DE PRINCIPIO EFFECTIVO SEMINI INSITO DISPVTATIO

IO. HIERONYMI BRONZERII.

In qua complura attinentia ad seminis Corpulentiam, Spiritus, Calidum innatum, Animationem, nec non ad Animæ materialis naturam & facultates discutiuntur & enodantur, passimq; Galeni roboratur Physiologia.

PATAVII;

Ex Bibliotheca Pauli Frambotti. M DC XXVII.

Superiorum Permissu.

Errata maioris momenti Sic corrigito,

Fac.	lin.		
14	22	ſaluetur	ſoluatur.
75	21	permaneant	permaneat.
93	4	generare	generari.
96	12	Semine	ſemina.
112	35	ſubiecto hoc,	ſubiecto, hoc &c.
126	1	mouente,primo	mouente primo &c.
128		in marg. ſub lit. m. lin. 3. q. 18. corrige 118.	
160	16	& Geometra	At Geometra.
100	12	eſſe, verum	eſſe verum.

DE PRINCIPIO EFFECTIVO SEMINI INSITO

DISPVTATIO

IO. HIERONYMI BRONZERII.

In qua complura attinentia ad ſeminis
Corpulentiam, Spiritus, Calidum
innatum, Animationem,
nec non ad Animæ ma-
terialis naturam
& faculta-
tes
Diſcutiuntur & enodantur, paſſim-
que Galeni roboratur
Phyſiologia.

ILLVSTRISS.

Atq; Excellentiss. Viro

DOMINICO MOLINO

Senatori Prudentissimo,

Ioannes Hieronymus Bronzerius S. D. P.

QVÆ te in sublime euehunt, Sen. Ampliss. & mirificè in Reipub. commoda exornant, tua sunt; Amor patriæ singularis, Iustitia incorrupta, Prudentia incomparabilis, Magnitudo animi Veneto Senatore digna, vt reliqua omittam, Ortus nobilissimos, Maiorum heroica gesta, Meritas dignitates, iure omittenda:

„ Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
„ Vix ea nostra voco.

Quid mirum, vbi tantam ipse tibi tot virtutibus peperisti auctoritatem atque præstantiam,

Plerique omnes bonarum artium studiosi ad tuum se recipiant patrocinium? Quod & ego iamdiu promereri vehementer exopto: nihil licet habeam eo dignum, præter vnam erga te eximiam obseruantiam & amorem, cuius signa exprimo perexigua, quandoquidem meæ tenuitatis maiora non datur exprimere. Egerunt amor hic atque obseruantia radices eò firmiores, quò plura sensi tuæ erga me humanitatis testimonia, quæ ita animo defixa gero, vt nulla obliuionis vi vnquam possint conuelli. Hæc vt perquam multa & magna esse fateor; illud tamen maximè excellit, quòd anno superiori perbenignè munusculum exceperis Disputationis de Inna.Cal. tuo nomini inscriptę: ex quo erigor in spem, vt altera hæc Disputatio illi affinis, & grata tibi, & sub tua protectione tuta, ac longè ornatissima futura sit: tuta, inquam, à liuore, non à correctione, à qua eam esse immunem nec volo, nec decet; quando, si cætera ignorem, saltem ex eo satis me sciuisse, veri iudicabunt sapientes, quia expetierim magis vera, atque ingeniosa, ad vsum ingenuè, & bona fide philosophantium prodire. Te igitur etiam atque etiam rogo, vt ceterum hunc laborem tuo nomini dicatum, qualiscumque ipse sit, benigno, vt soles, animo accipias, gratum saltem eo nomine habendum, quòd meum in te officium & obsequium testificetur. Vale.

Patauio, Prid. Kal. Septemb. MDCXXVII.

INDEX

INDEX CAPITVM.
SECTIONIS PRIMÆ.

SECTIONIS SECVNDÆ.

Errata maioris momenti Sic corrigito.

F.	lin.		
14.	22.	saluetur.	soluatur.
75.	21.	permaneant,	permaneat.
93.	4.	generare.	generari.
96.	22.	Semine.	semina.
122.	35.	subiecto hoc,	subiecto, hoc &c.
126.	1.	mouēte, primo	mouēte primo &c.
128.		in marg. sub lit. m. lin. 3. q. 18. corrige 118.	
160.	16.	& Geometra	At Geometra.
200.	17.	esse, verum	esse verum.

IOANNIS HIERONYMI BRONZERII

DE PRINCIPIO EFFECTIVO SEMINI INSITO

SECTIO PRIMA.

Disputatio introducitur, & de partibus seminis fabricationi deputatis, Medicorum probatur sententia, dogmaque Aristotelicum discutitur.

C A P. I.

QVemadmodum in magno mundo nihil est magis abditum, quàm natura principij, à quo fuit ab initio fabricatus, & à quo tamdiu dependet & conseruatur; vnde, qui verè sapiunt, hoc potiùs pietate colendum, quàm curiosa indagine perquirendum existimant: Ita in Microcosmo nihil difficilius captu est, quàm virtus, quæ in semine contenta, corpus organicum architectatur & regit; vt idcirco, qui ingenuè & circumspectè philosophantur, illius naturam, & operandi rationem, encomijs potiùs celebrare ament, quàm demonstrationibus explicare. Nihilominus tamen de ipsa scribere institui, non sanè quia aliquid doctrinæ, quæ à primis Philosophiæ luminibus tradita est, adijcere me posse confidam; sed vt hanc opportuno conatu pro virili defendam, & dilucidem: quandoquidem hoc nostro æuo, sinceræ eorum traditiones, præcipuè verò Aristotelis & Galeni, opinionum multitudine, atque interpretationum varietate mirum in modum obtenebrantur, quibus eò vsque cognitionis deducimur, quò, qui homo est, pertingere quidem, sed non vltrà progredi, nisi temere & frustra, potest.

Disputaturus igitur de natura & vi efficientis, quæ in semine residens, viuentium perfectiorum est causa; cùm ea vel anima sit, vel vtcunque animasticam naturam redoleat atque contineat, hanc ego considero primùm vel materialem esse formam, vel saltem ad illius

essentiam posse & debere reduci. Quoniam autem formę materialis, & subiecti corporis ea est conditio & affinitas, vt vnius notio ex alterius semper notione dependeat; quando insuper caloris natiui, qui nos genuit, atque vsque ad mortem enutrit, & de quo iam Disputationem conscripsi, origo prima, & modus sui exortus ad amussim inuestigari & dignosci nequit, nisi materia, qua nostrę generationis principium excipitur, secundum omnes sui partes, ac elaborationem perspecta sit: iure merito videbor operę pretium fecisse, si de hac ante omnia quantum huic instituto sufficit, ex ea, quę mihi probatur sententia, sermonem habuero.

Porrò autem prius adnotare oportet, me in pręsentia, cum semen dico, hoc nomine promiscuè intelligere & semen ex vtraque genitura conflatum, & genituram seorsim, quę in testibus elaborata, à mare & fœmina ad generationem confertur. Dico, hanc in testibus elaborari, quoniam de testium vsu iamdiu Aristotelis & Peripateticorum deiecta & explosa est opinio, & si qui fuerint, qui sententiam hanc nouis fulcris erigere tentauerunt, eos nuper egregiè deiecerunt Medici Recentiores, † inter eruditos connumerandi, quorum scripta vt sedulò euoluant, qui veritatis studio tenentur, seriò adhortor. Quamquam silentio prętereundum non est, Aristotelem ipsum a sanguinis alterationem, quam in testibus patitur, & ex qua seminis accomodata materia fit, neque ignorasse, neque reticuisse, vbi meatus ad viriles testes pertinentis partem alteram, per quam ad testes materia seminis comportatur, sanguine refertam; alteram verò, quà factum iam semē transit, exanguem esse, confessus est. Factum, inquam, atq. excoctum, sed nihil vlterius, quod ad fœcunditatem pertineat, adeptum; quando nimis expresse facultatē hanc alibi b cordi acceptā retulit; vt eiusmodi transmutatio aliud nihil, quàm materiale aliquod cōplementum; & pro meliori (vt ita dicam) adiectum importet. Incrassari enim ibi semen, Philosophus dixerit, vt artius, vt diutius permixtos spiritus conseruet, &, ne dilabantur atque euanescant, prohibeat.

† Mund. Vicent. de Genit.

a 1. de Gē. an. cap. 6.

b 2. de Gē. an. cap. 4. & 5. & alibi.

Hæc dixi, atque ita libuit Aristotelem interpretari, qui alioquin difficulter à contradictione liberari poterit; immò neque forsan quę in medium attuli, scrupulosioribus ingenijs vsquequaq; satisfaciet; siquidem materia, ex qua aliquid fit, & res ex ea facta, differunt vt causa & effectus, quorum alterum est subiectum, alterum ex addita forma resultans. Quapropter, si materia seminis in parte vasis sanguinea, in altera verò exangui, factum iam semen habeatur, atque in hac sententia materiæ mentio fiat, tanquam eius, ex quo efficitur semen, seminis verò, vt rei factę; necessum procul dubio est, huic in testibus

formam indi, per quam semẽ facti rationem obtineat: Facti, inquam, quod antea non esset, vel cuius sola extaret materia. Quòd si nomen formæ & generationis de accidẽtali & substantiali prædicatur æquiuocè; si semen absque facultate prolifica est æquiuocè semen, procul dubio, nisi censeat Aristoteles, genituram in testibus effici, & transmutari substantialiter, ita vt ibi fœcunditatem acquirat, duplici nos æquiuocatione decepit; ad quam tollendam omnino necessaria fuerat distinctio, de effectione materiali vel dispositiua, & formali vel substantialiter perficiente. Hęc autem cum non adhibita sit, reliquum videtur vt enunciatum in potiori accipiatur significatione.

Interim, qui censent Philosophum meatibus virtutem coquendi semen voluisse acceptam referre, animaduertant, primùm nihil vsquam in eo haberi, quod hoc exprimat: mox, si vtcumq; ex ipso verè elici possit, eius procul dubio circumspectionem desideratum iri; siquidem his neque valida coquendi vis, nisi à caliditate propinqui, vel circumstantis corporis inuentur, neque fœcundandi ad publicũ usũ facultas suppetit. Mitto (quod vidisse etiã videtur Auerroes[d]) corporis rarioris & glandulosi esse, redundans alimentum parare, quale mammarum & testium, non item densioris, ficcioris, ac magis compacti, qualis venarum & arteriarum substantia, quæ tantum sanguinis solummodo dealbare solet & alterare, quantum vix sufficit pro se ipsa. Adde, coctionem, de qua Aristoteli sermo est, debere intelligi, quæ fiat tantisper, dum coitus exercetur, nimirum breuem, & quæ validam impressionem expostulet, qualem vasa hæc ex se, nisi forsan longo temporis tractu, præstare non possent.

Sed & in verbis Aristotelis notare oportet, eum partem meatus exanguem illam esse voluisse, quæ à testibus ad colem est continua „ atque expedita, qualis totus piscium meatus: Nam dicit, [Cum „ eò peruenit genitura, celeriter ea quoque absoluuntur;] Quare in hac procul dubio non elaboratur semen: multò minus in sanguinea; nam ibi tantummodo materia continetur; proinde nisi in ipsis testibus perfici genituram existimasset, malè meatus partitionem tam hic, quàm alibi[e] fecisset in sanguineũ, cõtinentem materiam; & exãguem, semen confectum excipientem; Tertiam enim partem assignare tenebatur, vbi semen perfectionem acquireret, cuiusmodi alij fortasse dicerent esse testis appendicem illam, quam Galenus,[f] Fallopius,[g] Laurentius, &[h] alij epididymida appellant; sed hanc non nouit Aristoteles: Nouerunt Anatomici posteriores, vsumque ipsi digerendi semen vlterius, quàm fuerit digestum in præparantibus, demandarunt; immò nonnulli, quos conuellit Laurentius,[i] in hac

c Chris. Marcel. 2. de ani. ca. 86. Laur. 2. op anat o. q 2.
d 2. Coll. cap. 10.
e 3. Hist. ani. ca. 1.
f 1 de Se. cap. 15.
g In obser. & in instit. anat.
h loc. cit.
i loc. cit. vide etiã Galenum de sem. cit.

A 2 tan-

tantum parte, non etiam in testibus absolui totalem seminis elaborationem arbitrati sunt : Herophilus quoque k epididymidi tantum tribuebat, vt opinaretur, non admodum multum ad seminis generationem testes conferre.

k Apud Galenum ibidem.

Dicunt Recentiores, partem, in qua perficitur genitura, ex mente Aristotelis esse, quæ reuoluitur circa testes, & sanguinem pro illius materia continet. Verbaque attendenda proponunt, quæ sunt : „ [Itaque non ijs semen tantisper coquendum est cùm coeunt, vt „ pedestribus & viuiparis, sed tempestatis tempore iam concoctum „ continent vniuersum, ita, vt ne dum contingunt conficiant ; sed „ concoctum paratumque emittant ; quamobrem testibus carent, „ meatusque simplices rectosque habent ; qualis particula quædam „ circa testes quadrupedum est. Replicationis enim meatus pars „ altera sanguinea est, qua recipitur materia seminis ; altera exan„ guis, qua factum iam semen transit. Itaque cùm genitura eò de„ uenit, celeriter ea quoque absoluuntur. At piscibus talis totus „ meatus est, qualis in homine, cæterisque huiusmodi animalibus „ pars replicationis altera est.] Sed in his aperte asserit, particulam meatus, quam circa quadrupedum testes haberi vult, eam esse, quæ piscium vasis rectis proportione respondet, & per quam factum iam semen transit: l hanc autem Recentiores intelligunt esse sanguineam.

l Vide etiā loco de Hist. cit.

Quinetiam notare oportet, in his verbis testium carentiam in piscibus ideo animaduerti, quia in his semen tantisper, dum coeunt, nō debet concoqui, idest, vlterius elaborari, nō autem (vt censent) quia celerius coquatur, quàm in pedestribus & viuiparis. Vnde cum dixisset, pisces semen concoctum paratumque emittere, ac si coctio, quę in ipso coitu fit, ad testes, emissio verò expedita ad rectos meatus per„ tineret; statim subdit : [Quamobrem testibus carent, meatusque „ rectos & simplices habent, qualis particula quædam circa testes „ quadrupedum.] Dicit hanc esse [circa testes] neque addit [in„ uolutam] aut [circundātem totum testem,] vt Suessanus, m & „ Recentiores ; immò censet, rectitudine & simplicitate piscium „ meatibus similem esse. Quapropter verbum illud [circa] Græcè, περὶ simpliciter enunciatum, non ambitum testem circundantem, aut inuolutionem, sed propinquitatem & nexum potest & debet significare, vt replicatio etiam importet meatus duplicationem, quæ per ascensum & adhærentiam deferentis cum præparante fit. Alibi n ex Gazæ versione videtur voluisse, meatum hunc per testem progressum reflecti, & repetere caput testis, vnde incipit, Sed Græca oratio nulla

m locis de Hist. & de gen. an. supra cit.

n Loco de hist cit.

nulla de progressu & circuitu facta mentione, hæc tantùm continet verba: ἀπὸ δὲ τῆς κεφαλῆς πρὸς αὐτῷ τῷ ὄρχει, πόρος ἐστὶ πυκνότερος ἐκείνου καὶ νευρωδέστερος, ὃς ἀνακάμπτει πάλιν ἐν ἑκατέρῳ τῷ ὄρχει, πρὸς τὴν κεφαλὴν τοῦ ὄρχεως. Quæ vertenda sunt: [A capite autem propè ipsum testem meatus est spissior illo & neruosior, qui recuruat iterum, vel reflectit rursum in vtroque teste, ad caput testis.] Sed quia interpreti eruditissimo videbatur, eiusmodi reflexionem aut incuruationem esse non posse, sine aliquo progressu vlteriore à capite, quod est pars testis superior exuberans, addidit progressum per testem, quæ tamen progressio, dato quòd de mente fuerit Aristotelis, cùm possit esse per illius simam à capite versus fundum, non autem circumflexa & obuoluens, haud necessariò importat ambitū testem ipsum circundantem. Vno verbo, ex Aristotelis sermonibus non potest deduci, eum agnouisse plexus circuitusuè, in quibus semen elaboretur, sed solummodò meatum posuisse, cuius pars sanguinea vnam replicationis partem, exanguis verò recuruationem, & alteram replicationis portionem efficit.

Insuper monere expedit, Recentiores fuisse professos, se ex loco Aristotelis primò adducto ostensuros, in meatuum plexibus semen excoqui, vel reuolutiones perfectam coctionem seminis præstare, cum tamen in piscibus reuolutiones desiderentur, quæ non deberent desiderari, si effectus communis, secundum ipsos, in Peripato exigit communem causam.

Non sum ego nescius, Aristotelem censuisse, testes nullam meatuum partem complere, sed pendere ab ipsis eo modo, quo à textricum telis pondera; ita, vt vel etiam à rudibus castratoribus, quales sunt taurorum, possint auelli, vasis integris remanentibus, quæ deinceps in tantum generationi non sunt vsui, in quantum retrahuntur, non autem quia eorum continuitas violetur: signum, quoniam Taurus à castratione statim impleuit. Sed sicut ex his (licet Anatomes imperitiam præseferant) facilè intelligi potest, quomodo ex illius mente testes conseruent replicationem; cuius duas partes fecit, suo scilicet pondere deorsum trahendo; ita prorsus percipi non potest, quomodo aut seminis materiam, aut semen confectum in se è meatibus recipiant, adeo vt præ illius copia turgeant & increscant o, nisi foramina adsint, aut oscilla, per quę in illorum substantiam se se insinuet genitura, & per quæ denuò effundatur in deferentia. Si dicant; Turgent vasa; tunc malè Philosophus, qui testes, dicit, non vasa; quæ cum testibus nihil habent commune, quod ad eorum structuram pertineat; tunc fiet,

o 1. de gen. an. cap. 4. & loco de hist. supr. citato.

veluti in varicibus, inęqualis intumeſcentia, qualem non intelligit Ariſtoteles, neque arguit experientia. Si vaſa hæc teſtium penetralia occupare ſtatuant: quanta, amabo, Philoſophi mentem ſtupiditas obtenebraſset, vt non animaduerterit, impoſſibile omnino eſſe, quin ex indiligenti caſtratione tauri continuitas meatus diſſoluatur?

Tandem in hac Peripatetica exercitatione ſilentio non tranſibo, quid ego Ariſtotelicæ rationi reſpondendum exiſtimem, quando teſtes non eſse pro generando ſemine ſimpliciter neceſsarios ex eo deducit, quòd in omnibus ſemen facientibus non habeantur: Nam in piſcibus, ſerpentibus, & ſimilibus pleriſque non inueniuntur. Dicunt Recentiores, falſum eſse, non haberi in omnibus teſtes, quia in lucio piſce, tinca, & vipera mare reperiuntur. Ego, etiamſi Viris ingenuis, quòd hæc certò nouerint, fidem adhibeo; cum tamen non omnes, vt puto, diſsecuerint ſerpentes, & piſces ſemine præditos, ſatius exiſtimo, Philoſopho aliter ſatisfacere. Ipſum ſi interrogem, An cor pro alimento vltimo conficiendo ſimpliciter neceſſarium cenſeat? procul dubio reſponſurum expecto, quòd abſolutè. Si vlterius poſtulauero, Cur non omnibus vltimum alimentum parantibus datum ſit cor? Reſpondebit, dari proportionale, vel cor non eſſe neceſſarium, niſi in cor habentibus. Id ipſum ego de teſtibus enunciabo. Verùm vtcumque hæc ſe res habeat, & quicquid ſecus ſentiant Peripatetici, teſtes inter principia eſse connumerandos, ac ſemen prolificum ex propria & peculiari vi conficere, pręter ſubſtantiæ ſimilitudinem, quæ ex coctione & aſſimilatione ſanguini, non ſine ſubſtantiali tranſmutatione, conciliatur; præter ſeminis vitiatam facultatem, vel deperditam ſubſtantiam, ſi membra hęc vitientur, vel deperdantur; præter vſus omnino abſurdos, quos aduerſarij comminiſcuntur; detrimenta etiam, vbi fuerint exacta aut labefactata, maſculis & fœminis euenire ſolita, præcipuè verò roboris diſſolutio, quod ex ſemine fœcundo & ſpirituoſo, non ex commentitia & incredibili contentione cordis, *k* vniuerſo corpori conciliatur, vſque adeo apertè teſtantur, vt fides fermè euidentior in propoſito haberi non poſſit.

k Ex Ariſtotele 1. de Ge. an. cap 4 & lib. 5. c. 7.

De materia autem ſpiritali & ſanguinea, quæ ad ipſos per venas & arterias, huic muneri peculiariter dicatas, comportatur, quid attinet dicere? quid de plexuum apparatu, qui eam remoratur elaborandam, atque in nouam formam per vlteriorem coctionem, diuerſarumque ſubſtantiarum permixtionem haud ſecus mutandam, quàm in alijs membris principibus vſu venit, quibus adiecti ſimi-

similes plexus ad tale quid moliendum, communis vsus gratia, compertũ est? Certè si qui sunt, quibus, vbi hæc intellexerint, & per Anatomen exactam habuerint explorata, subtilitates tamen, & verborum cauillationes aliter persuadeant, magis expedit eos in sua sententia relinquere, quàm in leuiorum argumentorum, quæ ipsi proferunt, discussione verba prodigere.

Semen prolificum, atq; effectiuo principio præditum, tam à fœmina prouenire, quàm à mare.

CAP. II.

DIXI, genituram in testibus elaboratam non modò à mare, sed etiam à fœmina procedere, vt ex vtrisque perfectum semen, & quantitate sufficiens conflettur, quia scilicet dudum ex Galeno didici (quod sanè Pythagoram, Hippocratem, Democritum, Epicurum, [a] vetustioresque alios sapientes haud negasse comperio) fœminam ad fœtus generationem prolificum semen conferre, argumento, quòd per Anatomen & testes intrinsecus habere deprehensa sit, & vasa ab his deriuata craso, alboque semine, haud secus, quàm in masculis referta, quæ istiusmodi materiam ad vterum effundendam comportant. Neque frustra fuisse hunc membrorum & materiæ apparatum à Natura institutum, non solùm demonstrat structuræ artificium, sed venæ etiam cum arteria copulatio, ad spiritum cum crassamento miscendum, ex quo fœcunditatem oriri, præter paucos Sophistas, neminem crediderim negaturum. Disseca brutorum fœminas, quo tempore in Venerem stimulantur, earumque meatus seminales & testes comperies craso, alboque humore distentos, à coitu verò semper vacuos; sed & fœminæ æquè ac masculi ex turgescentia seminis in furias ignemque ruunt, quo emisso, prorsus conquiescunt. Mitto, tantum abesse, vt, quæ concipit mulier, proiectum hoc semen respuat, vt potius emissum (quicquid secus scripserit Commentator [b]) vna cum masculeo attractum retineat, signo certissimo, quòd eo casu pudenda semper remaneant siccata. Mitto rei Venereæ voluptatem, viriumque, cum soluuntur, languorem. Mitto gonorrheam, pollutiones nocturnas, marium, si castrentur, auersationem, totalemque & libidinis, & fœcundita-

a Apud Plut. 5. de plac. ca. 5.

b 2. de gen. an. cap. 4. & 2. colli. cap. 10.

ditatis extinctionem. Mitto eadem, quæ in maribus ex retento semine symptomata, fusè ab omnibus propè Medicis, qui in negocio vel ad mulieris morbos, vel ad fœtus generationem pertinenti versati sunt, examinata, discussa, & comprobata, ab amico verò meo doctissimo, c nuper à Recentiorum quorumdam oppugnationibus vsque adeo diligentèr atque accuratè defensa & vindicata, vt cogantur hi, velint nolint, manus & herbam dare. His, inquam, omnibus omissis, ad efficacissimum Galeni d argumentum me recipio, quod à natorum cum vtroque parente deducitur similitudine:. Hanc enim non aliunde, quàm ex communi causa prouenire posse, habuit pro constanti; quæ cum nequeat esse menstruum, vtpote fœminę proprium, sola remanet genitura, ex quo demùm vim actiuam fœmineo quoque semini inesse conclusit. Forma ratiocinij

c *Mund. de Genit.*

d *2. de se. cap. 1.*

„ hęc est: [Si vtrisque parentibus similes eduntur partus, ex com-
„ muni, quæ vtrisque inest, causa similes efficiuntur. Deinde ite-
„ rum: Si ex communi, quæ vtrisque inest, causa similes efficiun-
„ tur; vel ex seminis, vel menstruorum substantia id fit: át menstruo-
„ rum substantia communis minimè est; ex semine igitur similes
„ efficiúntur.

Porrò autem, tametsi ex aliorum e discussionibus apertum iam sit, rationem hanc tantum ab Auerrois responsionibus labefactari, quantum læditur cælum à Thracum sagittis, arcu sursum emissis: Ne tamen quicquam desideretur, quod Galeni ratiocinium vel dilucidare possit, vel roborare, in hác ego quoque palæstra me aliquantulum exercebo, si tamen priùs Lectores admonuero, Auerroem f in huius argumenti responsione tradenda Auicennam, g excitatorem, ne dicam doctorem habuisse. Responsio autem ad pauca contracta hæc est: Effectus communis arguit causam communem, sed aliquando eiusdem naturæ & modi causam, aliquando non. Quare propositio Galenica non est perpetuæ veritatis, & illius ratio falso nititur fundamento. Probant adductam distinctionem, quoniam etsi effectus communis nonnunquam à causa eiusdem speciei, & eiusdem modi proueniat, ut cum à Socrate & Platone carpentarijs scamnum efficitur; accidit tamen aliquando, ut effectus duobus sit communis, neque tamen ab eadem specie, eodemque modo concurrente causa producatur, ut si in fabricatione calcei concurrant Socrates calceolarius, & Plato coriarius, quorum alter habilem materiam præstat, alter verò congruentem formam inducit: Tunc enim efficiens pro materię dispositione operans, in opere moliendo materiam ad partes admittit.

e *Mund. de Genit. par. 1 c 16*

f *1. de Ge. an com cap. 20.*

g *9. de Na. an. ca. 9.*

Sed

Sed pace Arabicæ subtilitatis liceat intrepidè affirmare, hos egregios Philosophos fundamenta, vim, & sensum Galenicę demonstrationis, quantum oportuerat, non introspexisse. Habet Galeni argumentum quatuor fundamenta breuiter proponenda. Primum, si materia cum forma non habuerit essentialem nexum, sed hanc contingenter respexerit, formam totam ab efficiente procedere, & materiæ indi: Esse autem hoc verissimum comperies, si consideratione lustraueris arte facta, & si notaueris Platonis formas extrinsecus totas ab opifice in materiam immitti, quòd illa non habeat priuationem adiunctam. Secundum fundamentum est, figuram nihil importare aliud, quàm impressionem effectiuam, atq. opus esse facultatis formatiuæ agentis; quod apud aduersarios, ni ego fallor, in dubium non reuocabitur, nisi opinentur, materiam de se ad formam moueri: quod si non conuenit in materia, quæ ad formam essentialem respectum habet, quanto minus in ea, quæ (vt monstrabo) formam respicit contingenter. Tertium fundamentum est, principium hoc effectiuum præualere passiuo, ipsiq. dominari. Nam etsi nescius non erat Galenus, id quod transmutando agit, repati ab eo, quod transmutatur & patitur; g tamen certè nouerat, actionem non prouenire, nisi (vt ipse aliquando scripsit Commentator h) ex victoria motoris supra motum. Quartum fundamentum est, ab eadem facultate, vno eodemq. actu, nasum, & nasum simum vel aduncum, labrum, & labrum prominens vel contractum formari.

g 1. de Ortu & Inter. Tex. 53. & 4. de Gen. an. cap. 3. et. Them. in para. 3. physic. ad Tex. 8.

h 4. phy. com. 71.

Reuertor ad primum. Menstruum figuram, de qua sermo est contingenter respicere, ex eo patet, quia vt hanc induat, vel oppositam, necessariò essentialiter transmutandũ nõ est, contrà quàm in forma eueniat substantiali. Verũ quidem est, absq. organizatione speciei cõgrua materiam esse non posse, proinde ita ad hanc se habere, vt ad formam ipsam se habet. Sed illud quoq. verissimum, contingens esse, vt hæc, vel illa hominis organizatio Platonem magis referat, quàm alium quempiam particularem; licet enim (vt supra dixi) eodem generationis actu nasus, & nasus simus vel aduncus gignatur, potest tamen nasus, qui fit aduncus, fieri, & esse simus, citra formę substãtialis mutationem: quod & de reliquis organis dictum puta. Cum ergo menstruum ad figuram, vel similitudinem hanc particularem contingenter se habeat, figuratio tota solius erit principij effectiui opus, non etiam materiæ; haud secus, quàm solius calceolarij opus (quicquid secus Auerroi visum sit) est forma & fabricatio calcei. Quid enim corium ad formam calcei? An corium nequit aliam, quàm calcei formam recipere? vel calceus ex alia materia non

fabricabitur, quàm ex corio? effectus igitur istiusmodi, si à duobus proueniant, causam in his specie eandem, atq. eodem modo operantem significabunt; vt cum scamnum à Socrate, & Platone fabricatur, qui ambo sunt carpentarij. Cum ergo in proposito similitudinis enunciauit Galenus, effectum communem, à mare & fœmina prouenientem, habere causam vtriq. communem, non est, vt Auicennas inquit, mentitus; effectiuam enim significauit, quando ex iam determinatis materialis non concurrit.

Ex secundo fundamento, si figura impressio sit formatricis, menstruum autem duntaxat patiatur, atq. efformetur; si debet materia hæc propriæ dispositioni, quod efficit, reddere obediens; dubio procul transmutabit principium efformans ad suam vim: Modo vis hęc alia esse nequit, quàm impressio & motus, ipsi ab alteratrice fœminea communicatus, quo est ad seminis naturam dispositum; Menstruum enim semen est, quamquam non purum; erit ergo ex communi causa effectrice communis effectus.

Sed ex 3. & 4. fundamento, cum menstruum, quod ponitur loco materiæ, non præualet genituræ, pro effectiuo principio formandi nasum constitutæ, neq. præualebit formando simum; eandem ergo specie causam, mari & fœminæ communem, communis similitudinis effectus demonstrat. Ex his patet, quàm inaniter se exerceant, qui Arabum partes defendunt.

i sup. Auic. de Gen. embri.

Notat Foroliuiensis, *i* Auicennæ expositor & sectator, sperma à patre decisum tale virtualiter, siue actiua potentia esse, qualis pater formaliter est; mulieris autem menstruum tale esse potentia passiua, qualis mulier formaliter est: Reddit causam, quia in eo sunt partes mulieris partibus proportionaliter correspondentes, aptæ ex se membrorum sibi correspondentium formas, & dispositiones illis similes recipere; cum hoc tamen statuit, maternas similitudines induci non ex actione menstrui, sed ex pura resistentia: Nam bene patibile paternam figuram recipit; malè autem patibile, & resistens hanc respuit, & illam induit, ad quam fuerat per suam passiuam potentiam inclinatum atq. dispositum. Fallitur Vir acutus, quoniam potentia passiua ad formæ actum reducitur à potentia actiua, quæ secundum sibi proprium agendi modum operatur. Neq. est vllum naturale efficiens, quod cum sibi simile generat, materiam ad sui similitudinem non disponat atq. transmutet; ita vt ipsam sibi obedientem efficiat, nisi à cooperante alio, aut reagente superetur, atq. flectatur. Et si quæsiuero, vnde habeat menstruum virtutem passiuam, cuius merito partes mulieris contineat proportionaliter

liter respondentes? Vt puto, inquiet, à spiritibus, vel à toto, vel à
principalibus membris deciduis; & hoc primò, quoniam aliter
vllam membrorum impressionem habere non potest, cum secun-
dum illius sensum, menstrui corpulentia non decedat à membris ex
vltima digestione. Secundò, quoniam ad spiritum, vt ad partem
magis formalem, maximè pertinet apparare materiam. At enim
si isti seruiunt ad agendum in virili genitura, cur non etiam in men-
struo? quod autem vnum magis, alterum minus agat, hoc nihil ad
rem. Atq; ita ex his conuincitur, materiei, quæ à fœmina confer-
tur, vim agendi denegandam non esse. Mitto Foroliuiensem ipsum,
immo k etiam Auicennam, l cui hanc tribuit opinionē Ægidius, m in
efficiendo conceptu admittentes necessitatem accessus fœminei se-
minis à testibus excocti, atq; à menstruo distincti, licet hoc passiuè
tantummodo concurrere fortasse censuerit Auicennas, non etiam
actiuè; cuius sententię rationem non inuenio, cum tamen maximè
debuisset assignari, tum quia (vt bene adnotauit Ægidius, † ad quem
breuitatis causa studiosos remitto) quicumq; ex hac secta ponunt
sperma fœmineum in generatione animalium se habere vt materiā,
concedere coguntur in eo virtutem actiuam: tum quia rationi con-
sonum est, semini fœmineo à testibus ex spiritu, & sanguine elabo-
rato, si generationi inseruiat, eandem esse virtutem, quæ virili, eo-
dem modo, ac eodem membrorum apparatu confecto, atq; illius
officium eamdem quoq; habitudinem ad menstruum habere. Auer-
roes, & Peripatetici magis sunt tolerabiles, qui in fœmina eam qui-
dem humiditatem, quam semen appellamus, concedunt; sed (quod
eorum principijs minus repugnat) hanc nullatenus facere ad gene-
rationem existimant, nisi per accidens. Quid plura? quando tan-
tum valuerunt apud eumdem Foroliuiensem o Galenicę sententiæ
fundamenta, vt hanc Aristotelicæ ab Auerroe & Auicenna defensę
coactus fuerit anteponere, & confirmare, recedendo à facultate ma-
teriali & passiua, ad cuius exclusionem hoc vtitur ratiocinio: Cui-
cumq; effectui positiuo correspondet aliquod agens positiuum,
quod per se illius effectus est productiuum: Similitudo fętus ad ma-
trem est effectus positiuus; ergo habet causam particularem positi-
uam per se illum effectum producentem: sed illa causa non est sperma
viri, cum sit naturaliter inclinatum ad producendum dispositiones
similes dispositionibus patris; igitur &c.

Dinus, p grauis & ipse ac eruditus, quantum illa ferebant tem-
pora, Auicennę Commentator, ad explodendam opinionem, quòd
menstruum ex suis materialibus dispositionibus, obsistendo actioni

k Loco cit. in com. & q. 4.
l Ibidē & 9. de nat. ani. ca. 1. insi. qui locus est magis propr.
m De forma. hum. corpo. cap. 5. & 7. & 8.
† Lib. cit. c. 3.
n Vide ca. 20. 1. de Gen ani. & ibi Auer.
o loc. cit. q. 4.
p in cap. de creat. emb. Gen. q. 9.

virilis geniturę, causa sit, ob quam matris succedat similitudo, considerabat, in hac materia reperiri posse dispositiones duorum generum, actuales scilicet & virtuales; actuales, cuiusmodi durities, mollities, caliditas, frigiditas, & si quæ aliæ istius ordinis: virtuales, quales sunt ideę figurarum pulcrarum, quæ in maternis membris spectantur. Primas, si ab effectiuo virili principio nequeant transmutari, nō inficiatur remanere posse in genito fętu; at virtuales, nisi ab efficiente aliquo suscitentur & deducantur ad actum, putat numquam ex se tanti esse, vt emergant, atq; in formato fętu se pandant. Verum à quonam habebunt, vt in actum prodeant? non certè à semine patris, qui fortasse fuerit turpis; ergo ab effectiuo formosę matris principio. Cur verò ab hac sententia Vir pręclarus alio in loco q desciuerit, iam non disquiro. Atq; hęc satis cum Arabibus, & eorum interpretibus disputata sint.

q In libr. Hipp. de Nat. fœt.

r 9. de an. Trac. 2. cap. 2.

Ad Latinos quod attinet, Albertus r primùm, cum dicitur pro
„ Gal. [quòd effectus communis est à causa communi, & est à
„ spermate, ergo sperma est commune tam matri, quàm patri,] ait non tenere, quod præsupponitur, nisi in his, quæ diuisa sunt causa suorum effectuum: Nam si coniunctim necessariò conspirauerint, ita vt neutrum per se valeat producere effectum, propositio non est perpetuæ veritatis; puta, si præter actionem efficientis requiratur etiam materia ipsi adiungenda, vt secundum proportionem, quam ad eam habet, efficiens ad illius effectus productionem conspiret, quo fermè modo corpus perspicuum, & corpus ter-
„ minatum ad coloris productionem aggregata concurrunt: [sic
„ igitur (inquit) quoniam illa similitudo fit ex spermate viri,
„ & sanguine menstruo congregatis, & secundum proportio-
„ nem virtutis spermatis viri super sanguinem menstruum, cau-
„ satur similitudo cum patre & matre.] At ego hanc grauissimi Peripatetici resolutionem conuellens, vt multa prætermittam à Recentioribus doctissimis s rationabiliter considerata, recurro primùm ad supra exposita Galenicæ rationis fundamenta, quòd materia scilicet ad hunc similitudinis effectum se habeat contingenter, ita vt efficientis dispositioni nihil adijciat, ac proinde horum duorum concursum, qui hac in parte accidentalis est, non parere causalitatem ad hunc effectum pertinentem, quæ antea non esset. Item ad aliud fundamentum confugio, quòd nimirum similitudo sit opus formatiuæ agentis, vt est effectus positiuus ac limitatus; quapropter necesse sit, omne id, quod per se causa est inducendæ similitudinis, ratio-

s Mund. De Gen. par. 1. ca. 16.

eationem efficientis habere. Quibus suppositis sempiternæ fue-
rit veritatis, effectum similitudinis mari, & fœminæ communem
arguere genus causæ ipsis commune.

Neque satis discerno, quæ sint illæ menstrui qualitates, quas
voluit Albertus † merito puræ resistentiæ esse in causa, vt virtus
effectiua virilis genituræ matris similitudines imprimat. Sint au-
tem vt libet vera, quæ accepit, animaduerto primùm, marem
& fœminam duo agentia esse posse, vt re vera sunt, numero
distincta; semina quoque, licet permixta, posse proprias retine-
re vires, quas ante vnionem possidebant, neque ambo vniri ad
faciendam vnam indiuidualem similitudinem communem, nisi
forsan per accidens, sed singula suam seorsim in partibus di-
uersis iuxta prædominium exprimere: vt si fœtus prominenti la-
bro patri, & adunco naso matri similis fiat. Et demum ani-
maduerto, semen & menstruum, tametsi ad conceptum facien-
dum coniungi debeant, nihilo tamen minus ex Peripatetico dog-
mate alterum propriam actiui naturam seruare, alterum verò
propriam passiui. At merè passiuum quomodo transfert mo-
tum actiui ad diuersum determinatum, si determinatè non
transmutat vim actiui? quòd si hanc trasmutauerit ad deter-
minatum, qui fieri poterit, vt non agat? Neque est par ratio
de causis colorem producentibus, & causis similitudinis, cum
ratio causalitatis similitudinum tam in principio maris, quàm in
principio fœminæ per se haberi possit. Et ratio est, quia di-
spositio masculei principij est solum pro similitudine maris, nec
quicquam habet pertinens ad similitudinem fœminæ, & è con-
uerso. Non ita in perspicuo & opaco ad colorem relatis; & c
si sit par ratio, quando perspicuum & opacum ambo vt mate-
ria concurrunt, commune habent genus causæ. Dico vtrumque
iungi & conspirare vt materiam, quoniam, sicuti vel ex ipso-
met Alberto † elicimus, color consideratur vel pro suo esse
materiali, vel pro suo esse formali: primum esse prodit ex di-
spositione superficiei corporis terminati, quam primis elemento-
rum qualitatibus, licet per accidens generantibus, acceptam refert;
& hoc sensu corpus terminatum ad colorem se habet vt ad superfi-
ciem materialiter seu dispositiuè qualificatam: esse autem coloris
formale ex eo causatur, quòd lumen (sic ipse loquitur) influitur
extremitati perspicui terminati, vt proinde perspicuum termi-
natum ad lumen in superficie receptum se habeat tanquam
materia ad actum formalem, per quem agit in sensum. His pro
roni-

† Lib. & cap. sup. cit.

† 2. de an. Tract. 3. cap. 7. Et de appreh. par. 2. in in. Et in sū. de homi. par. 1. fo. 94.

ronide addo, magnum hunc Philoſophum in iam relatum Auicennæ errorem incidiſſe, u quòd fœminea genitura ad conceptum vt materia concurrat, & quod peius eſt, hanc eum tribuiſſe ſententiã Ariſtoteli, Theophraſto, & Peripateticis.

Poſt Albertum ſequitur Ægidius, qui primũ ſatis ieiunè ex communi Arabum refugio de menſtrui reſiſtentia ſe à Galeni ratione explicat, x poſtmodum verò rationi Peripateticæ innixus nonnihil tangit fundamenti, tametſi nimium vniuerſalis atq indiſtincti, ne dicam fallacis, & hoc vbi ſcribit † ad verbum: [Sed ſi ſemen maris non ſit forte, licet aſſimilet ſibi fœtum in ſubſtantialibus, non aſſimilabit ſibi in accidentalibus; & quia motus non habet terminum caſualem, vt quod ex quolibet eatur ſiue pergatur in quodlibet, ſed ſemper motus eſt in contraria, cum fœmina ſit contraria mari, vt dicit Philoſophus in 18. de Animal. quando fit defectus ſecundum ſimilitudinem à maſculo, ſiue à patre, itur ad ſimilitudinem fœminæ, ſiue matris.] Hæc Ægidius, non obſeruans, fœminæ ſimilitudinem contrariam eſſe ſimilitudini maris, quatenus hæc maris eſt, illa verò fœminæ; verùm quod naſus huius ſit aduncus, illius autem ſimus, nihil habere neceſſarij connexus cum contrarietate, quæ inter fœminam & marem. Videtur etiam ad illius ſuppoſitionem conſequi, nunquam fieri poſſe, vt ſaluetur motus maris, quin introducatur motus fœminæ, quod tamen eſt contra experientiam. Vt prætercam, ex determinatis eſſe admittendum aliquid, quod hanc fœminæ ſimilitudinem inducat limitando actiuè, non autem purè paſſiuè obſiſtendo, vt ipſe ſentit Ægidius.

Ab alente ſanguine poſſe maternas ſimilitudines induci vetus fuit opinio, à Recentioribus eruditiſſimis y ſuſcitata & recepta: ſed cum à Galeni z obiectionibus haud redempta ſit, in pręſens eam nullo numero habendam exiſtimo.

Cęterum ſubtiles, quibus Galeni & Medicorum arridet ſententia, ex Scoto a habent argumentum, cui Recentiores multum tribuunt. Hoc quomodocumq. à Scoto, & alijs formetur, mihi in ſubſtantia ita formatum non diſplicet: Quæ ſunt eiuſdem ſpeciei animalia, eiuſdem ſpeciei animabus prædita ſunt: mas, & fœmina ſunt eiuſdem ſpeciei: ergo &c. Subiungo: Ab animabus eiuſdem ſpeciei facultates eiuſdem modi operationum effectrices emanant; ergo tam fœminæ anima erit in generando effectrix, atq. eodem modo, quo maſculea: ſed maris anima agit ad generationem, primò generando ſemen, deinde illo tanquam inſtrumento vtendo; quare etiam fœminæ.

u 9. de Animal. trac. 2. c. 3 & 6. & li. 15. trac. 2. cap. 11. & lib. 16 trac. 1. cap. 10.

x De For. hu. corp. ca. 4. & ca. 18.

† eodem lib. cap. 18.

y Coste. 5. Diſ. Phyſi.

z 2. de ſem. cap. 1.

a 3. ſenten. Diſ. 4. q. 1.

minæ. Et hoc eò magis persuadetur, quoniam (vt suprà habitum est) fœmina conspicuè habet organa præparantia, excoquentia, & deferentia, qualia habet mas; & præterea semen ipsum substantia, colore, &c. à masculeo non differens; quæ inaniter à natura tanto apparatu fuisse fabricata, aut voluptatis tantum gratia, nullum est solidum ingenium, quod se patiatur doceri. Habent multa in contrarium S. D. a Suessanus, b & alij, qui partes Peripateticas tutantur; sed hæc, vt aduersantia claris atq. euidentibus demonstrationibus, à me in præsentia paruifiunt. a 3. p. q. 31. art. 5.

Statutum ergo sit, semen fœminæ nihilo secius, quàm viri, esse prolificum, & facultate effectiua præditum, ideoq. illius testes eundem præstare vsum, quem masculi: Et ex hoc fœmineo masculini seminis & quantitatem suppleri, & caliditatem attemperari; quam aliquantulum excedentem ad alios vsus naturæ lege paratam fuisse compertum est, multamq; è contra fœmineam humiditatem, remissumq. calorem ita commensurari, vt communi reddita materia, & necessariò etiam ea, qua regitur forma, quid tertium animali procreando idoneum confletur. Ex quo Aristotelis obiectioni c occurrentes, facilè rationem elicimus, cur fœmina, tametsi semen prolificum effundat, non ex se sola concipere potens sit. b 8. Metaph. d 11. c 2. de Gen. an. cap. 4.

De seminalis materiæ conditionibus, & primùm crassamenti; deq; calidi & humidi in viuentium procreatione præstantia, & vi.

CAP. III.

His assumptis, & tanquam non dubijs apud veritatis cultores præsuppositis, iam ad pensum reuertor, pergoq. ad materiæ seminalis conditiones examinandas: quam in primis satis constat humidum quoddam crassamentum esse; de quo si disputauero, an corporis conuulsura sit, an colliquamentum, aut alimentum, vel pars, frustra nimius euadam; cum iam pridem & vetustiorum Philosophorum, & Recentiorum discussionibus determinatum sit, hoc esse excrementum vltimi alimenti coctione elaboratum.

Est eiusmodi superfluitas digesta, albicans, crassior, viscosa, tenaxque, humida & calida. Digesta, quia propter moram in plexi-

bus, & ſubſtantia teſtium, his valde eſt aſſimilata, vnde & ipſi candor acceſſit. Neque enim ex ſpuma id fieri crediderim, quòd ad ſenſum ampulloſa non ſit, quòd frigefacta, aquea, & nigricans reddita, minimæ quantitatis, ampullis diſruptis non efficiatur, ſicuti de alijs humoribus in ſpuma comprehenſis ſemper vſu venire compertum eſt; & demùm, quòd aquæ non ſupernatet, quinimo Ariſtotelis † atque experientiæ fide, in eo elemento graueſcat & mergatur euidentiſſimè; vt ex hoc ſuccurrat Auerrois a ſimplicitatem ridere, qui iurantem fęminam, quòd in balneo eſſet grauidata ex genitura, quam in aquam maſturbator profudiſſet, & integræ fidei, & moribus ingênuis fuiſse crediderit: Mitto ſpirituum exhalationem & refrigerationem, quæ neceſsariò debuerant irrepſiſſe. Viſcoſa, craſsaque ſeminis corpulentia eſt, quia concoctio partium ſolidarum incraſsando procedit, ex quo habet, vt ſpiritus ſemel in ſui corpulentiam admiſsos cohibeat, vtque ipſa ab vtero excepta & difficulter decidat, & partium ſpermaticarum conueniens materia ſit. Humidam dixi hanc, & calidam eſse, quòd à corpore glanduloſo, & ex ſanguine (quo tamen minus calida eſt) ad animalis procreationem genita ſit.

† 2. de Gen. an. cap. 5.
a 2. coll. cap. 10.

„ [b Quippe vbi temperiem ſumpſere humorque, calorque,
„ [Concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus.

b Ouid. 1. Metam.

Non ſanè, quia duo hæc ſola ſufficiant, ſed quia in generatione præcipuas ſibi vendicant partes. Quò fit, vt calidum innatum, ex permixtione, & vnione ſpirituum ſeminalium cum humido primigeneo exortum, meritò & pro toto accipiatur temperamento, & prętcrea generare animal credatur, vt idcirco fęcunditatem à duabus his qualitatibus prodeuntem, ante Ouidium Lucretius c bene his innuerit carminibus:

c 5. de Re. Nat.

„ [Tum tibi terra dedit primum mortalia ſæcla,
„ [Multus enim calor, atque humor ſuperabat in aruis.

Hinc quoque non abs re, eruditorum iudicio, Antiqui Aegyptij, qui magni naturalium cauſarum exploratores ſemper habiti ſunt, Solem, cuius caliditas maximè vitalis apparet, pueruli figura, è loto arbore propè aquas vigente recens nati, Hieroglyphicè ſignificabant; aerem verò, qui calidus & humidus eſt, ideoque apprimè genitalis, Iunonem dixere, ſororem Iouis & coniugem, quaſi cœlo affinem, & ex eo maximè generatiuam. Ita Iouem Aſtrologi beneficentiſſimum, & vitæ amicum animaduertunt, quòd eo modo calidus ſit atque humidus, vt humido dominetur caliditas. Platonici animas per Cancrum deſcendere, & per Capricornum aſcendere autumant,

mant, quia vt hoc signum frigidum siccumque, corruptiuum esse; ita illud calidum humidum, generatiuum existimant. Et Philosophus [d] ea dicit perfectiora animalia, quæ natura sunt calidiora atq; humidiora. Hæc autem genitalis facultas, vt his pręcipuè qualitatibus permixtis & substantialiter iunctis debeatur, quantum res ipsa tulerit & ingenium, ad vsum eorum, quæ mox adijciam, declarare tentabo.

d 2. de Gen. an. cap. 1.

Calor profectò, seu ignis primò, cuius hæc qualitas forma est, aut saltem accidens maximè proprium, cum ad agendum efficacissimus sit, ad resistendum autem imbecillimus, paucam idcirco in se materiam, eamque raram continere significat: Nam si materiam multam collectam atq; compactam obtinuisset, & agentis sustineret vim, & obsisteret, ægreq; passionem susciperet. Eapropter concluditur, ignem plurimum habere formæ, materiæ verò minimum. Inde formalitas, nobilitas, præstantia, atq; actiua facultas omnium vehemētissima, quæ formæ eò magis conuenit, quò minus premitur à materia. Vnde & abstractæ substantię promptius agere putantur, fortius atque nobilius, semperq; demùm in actione versari. Nec longè ab hac sententia iuisse videtur Simplicius, [e] Aristotelis interpres grauissimus, vbi animaduertit, elementum hoc, quòd maximè à natura materiæ remotum sit, si ignis quidem maneat, non esse aptū natura, vt suscipiat contraria, quemadmodum aer & aqua; Ac proinde maiore esse agendi vi præditum, & quandam cum forma proportionem habere, minimè autem cum materia: sed cum etiam cęlo propinquior ignis existat, puriori modo atq; immediatius, quàm cætera sublunaria, illius recipit motum & vim. Vnde vt propter hæc omnia agendi facultate pro sua natura cæteris præstat, ita in omnibus compositionibus semper magis formalis apparet; etenim si mixta consideras, ea ex primis quatuor qualitatibus substantialibus elementorum conflantur quarum duæ, siccitas & humiditas, passiuè; duæ verò, caliditas & frigiditas, actiuè concurrere consueuerunt, atq; ex his caliditas magis, cuius dissolutio, ex [f] Aristotele, causa est, vt mixta naturaliter intereant putrescentia. Ex quo, quantum in mixtione & vnione causanda valeat, facile potest deprehendi.

e 1. Phys. com. 52.

f 4. Met.

Si ad animata conuertimur, caliditatem haud minus formæ familiarem animaduertimus, quòd anima qualitate hac ad omnes functiones indigeat, ipsaq., Alexandri [g] testimonio, semper in illis corporibus generetur perfectior, quæ copiosiore caliditate prædita sunt: id quod ex eo facile dignoscere licet, quia, vt etiam obseruauit Plutarchus, [h] tam partes, quàm animalia, quę minimum caloris sor-

g 2. de an. cap. 21.

cita sunt, minus etiam habent sensus. Quas ob res fortasse Democritus [i] animam igneam appellabat potentiam, atq. omnia corpora quodammodo animæ participantia esse, quoniam scilicet caloris haud prorsus expertia. Et post Democritum Aristoteles [k] de corde
„ loquens. [quia (inquit) hinc principium omnibus dependet
„ caliditatis, & anima tamquam ignita, in his particulis, exanguiū
„ quidem in proportionali, in corde autem sanguine preditorum.
„ Necesse est igitur, simul vitam existere, & calidi huius conser-
„ uationem, & vocatam mortem esse huius corruptionem.] Et posterius causam reddens, cur decreuerit nutritiuam sine naturali
„ igne esse non posse: [In hoc enim (ait) Natura igniuit ipsam.]
„ Et rursum: [Generatio igitur est prima participatio cum cali-
„ do nutritiuę animę; Vita autem mansio huius.]

Adhęc ignis aut solus, aut omnium maximè, quod vim animasticam significat pabulo, quo iugiter nutriatur, videtur egere: etenim ea est (vt Theophrastus etiam animaduertit) [l] ignis natura, vt prǽsente pabulo, semper vigeat, eoq. consumpto, semper extinguatur. Neque enim, si quid reliqui sit, id propriè ignis, sed supercombustum, quod Gręci dicerent ὑπέρκαυμα, nuncupandum est. Inde factum existimatur, vt antiquorum nonnulli dubitauerint, vel etiam pro constanti tenuerint, ignis naturam esse ab elementorum censu & conditionibus semouendam, vtpote quæ semper in fluxu sit, ac nusquam ex se & nunquam, nisi pabuli aggestione, habeatur atq. consistat; elementa autem, quemadmodum subiecti natura postulat, & firma esse debent, & insuper, ne aliquando generatio deficiat, etiam æterna.

Verùm quicquid de antiquorum sententia pro rei veritate determinandum sit (neq. enim hic istius contemplationis est locus) ex narratis percepisse sufficiat, ignem ideam quandam præseferre nutritionis & vitæ quam non aliunde procedere, rationi consonum est, nisi quia (vt paulo antè decernebatur) apprimè formalis existit.
„ [Quoniam autem est nutrimentum quidem materiæ (dicebat
„ Philosophus [m]) quod autem nutritur comprehensum cum mate-
„ ria, forma & species, rationabile iam solum simplicium corpo-
„ rum nutriri ignem omnium ex se inuicem generatorum, quemad-
„ modū & priores dicunt. solus enim est, & maximè formę ignis. & c.
His adde, ignem marem [n] inter elementa, vt humiditatem fœminam appellari, scilicet quia sine calore, ex motu nascente, corpora humida, qualia aer & aqua, quasi propria perfectione priuata putrescunt; immò absq. caloris diffusiua vi, neq. terra, neq. materia vlla natura

[i] Apud plutarcū 4. de plac. cap. 3. & 4.
[k] De iuu. & sen. &c cap. 2 in fine. & cap 10. & 14.
[l] lib. de igne.
[m] 2. de Gen. & corrup. tex 50.
[n] ex Plut. de Aqua & Ignis compos.

naturalium, ne dum semina ipsa turgent, aut fœcunditate gaudent. Galenus [o] quoque inquit, Hippocratis, & omnium ferè nobilissimorum Philosophorum dogma fuisse, ignem elementorum animalia constituentium maximè omnium vitæ causam esse. Quinimo „ eidem videbatur Hippocrati [p] [Id, quod calidum vocamus, im- „ mortale esse (intellige, in se consideratum, nam in mixto, humi- „ do indiget ad perficiendum) & cuncta insuper intelligere, & vi- „ dere, & audire, & scire, tum præsentia, tum futura.] Quò for- „ tasse respexit etiam Heraclitus, cum dixit: [q] [Splendor siccus, ani- „ mus sapientissimus.] Vno verbo, vsq. adeo formæ & perfectionis causa est ignis, vt illo dempto, vel Sapientissimi Thaletis sententia, [r] tametsi ipse aquam commune, atq. vnicum naturalium principium constituebat, omnium oritura confusio sit; quasi ignem ipse etiam vnicam & potissimam ornatus causam existimarit; quod Naturæ librum accurata obseruatione voluenti luculenter innotescere potest si animaduertat, quòd quemadmodum elementa reliqua, tanquam magis corporea, qualitates atq. accidentia materialia propinquorum corporum, quales sunt soni, odores, sapores, & similes qualitates promptius recipiunt, seruant, deferunt, alijsq. communicant: ita ignis, qui omnium maximè formalis est, atq. à materia solutus, facile induit conditiones illius formæ, cui quoquo pacto adhæret, & cuius experitur actionem subindeq. perfectionis ideam, vim energeticam, operandiq. & formandi modum primò, ac principaliter concipit, & excercet.

o 1. aph. 14.

p lib. de carnibus, quem quidam de principijs inscribendũ putãt. ab in.

q Apud Gale. lib. quòd animi mores. cap. 5.

r Apud Plut. cum in conui.

Quamobrem sicuti elementum istud sincerum, quia naturaliter cœlo propinquam habet sedem, omnium citissimum est, mobile maximè, & actiuum, vitæq. solum inter elementa similitudinem præsefert, illamq. magis defert, & sublunaribus impertitur: ita mixtum atq. attemperatum magis ideam recipit, impressionemq. & rationem (vt ita dicam) formalitatis temperamenti illius corporis, à quo, vbi adhæserit, iam secedit. Inde euenit, vt omnis industria & solertia opificis, quæ in viuentis generatione admirabilis atq. imperceptibilis apparet, meritò huic pręcipuè referatur accepta. Quòd si quispiam magis curiosus, quàm humanæ postulet intellectionis conditio, penitius sibi causam cupiat assignari, propter quam elementum hoc ex huiusmodi dispositionibus tales vires sortitum sit, is sciat, se pædię defectu premi; qua de re alibi forsan erit plura dicendi locus. Quanti igitur ignis natura in viuentis generatione facienda sit, satis arbitror demonstratum.

Hanc autem, licet à sua sinceritate recedat, formæ tamen nobi-

lioris (quod Philosophi non postremæ notæ reputant inconueniens) originem & causam esse posse, si humido permisceatur, quicumque prærogatiuas humidi in corporibus ad vitam promouendis & conseruandis bene adnotauerit, non ibit inficias; neque negabit, hanc qualitatem post ignem animæ magis familiarem videri, & esse. Nam vt omittam aquatilium considerationem, quæ omnium fœcundissima sunt, obseruo Hippocratē, s cumque eo priscos alios sapientes censuisse, ignem omnia per omnia mouere posse, aquam verò omnia per omnia nutrire, vsque adeo, vt Thaleti t persuasum fuerit, omnia, vel cęlū ipsum, & sydera. immò vniuersum nutriri humido; ad cuius sententiam Lucanus visus est respexisse, vbi de præalto Oceani fluxu & refluxu cecinit:

s 1. de Dieta.

t Apud Plutarc. 1 de plac. cap. 3.

„ [Flammiger an Titan, vt alentes hauriat vndas,
„ [Erigat Oceanum, fluctusque ad sydera tollat.

Sed præterea animaduertere oportet in hac calidi & humidi permixtione, ad vim prolificam & animasticam in semine procreandam non parum habere momenti, quod humiditas siccitati resistat; hæc enim dum vnit tam calidum, quam frigidum, calorem semper reddit immodicum: vnde actione nimia non solum non generat, sed comburit, omniaque in sui naturam conuertit. Resistat, inquam, dispergens atque remittens; iuuet tamen ex altera parte, se igni pabulum amicum præbens: quę causæ sunt, vt non modò igneæ actiuitatis vehementia frangatur, sed vt elementi natura in reliquorum etiam substantias facilius, & modo perfectiori sese insinuet, propriæque conditionis, quæ (vti dixi) maximè formalis est & motiua, participes reddat, neque tamen eas prorsus in propriam substantiam conuertat: Quinimo vnà cum alijs in vnam ab omnibus diuersam naturam, perfectioremque illam in viuentibus, quàm in simpliciter mixtis, conspiret. In quo negotio siccitatis quoque & frigiditatis, reliquis duabus qualitatibus commodantium, suus est vsus; altera enim calorem temperat vehementius agentem, altera verò humidum cogit, alioqui fluxile & inconsistens, parumque ad continendam caliditatem idoneum. Quod illarum esse munus fortasse Empedocles u non negauerit, apud quosdam suspicionem inducens, ac si ignem, mutatiuam contentionem; humorem, amicitiam tenacem appellet: & sanè, nisi nos sensus eludat, genituræ corpulentia à prædominio aquea videtur, & est; quod si crassescat, id ex coctione, aerisque & terræ etiam permixtione prouenire, rationi consonum est.

u Apud Plutarchum de primo frigido.

Esto igitur hæc dictorum conclusio, sicuti, si actiuas inter se com-

compares qualitates, frigido formalior caliditas est: ita vel ipsius Aristotelis iudicio, [x] siccó humidum longè vitalius semper apparet: quo fit, vt semina humore excepta & fluida, facilius, nobilius, & multiformius, quàm solida & terrestriora fingantur atque efformentur. Haud igitur mirum, si temperamentum, harum duarum qualitatum dominio constitutum, apprimè vitale censeatur, & sit, ac pro temperiei excellentia [y] formæ nobilioris conditionem induat. Vnde diuinè, vt solet, Hippo-„ crates [z] aliquando scripsit: [Irrepit in hominem anima, ignis, „ & aquæ commoderationem sortita.] Et post eum Philoso-„ phus: † [Animal esse natura humidum & calidum, & ipsum „ viuere tale.] Sed & quid amplius his tribuere videtur Hippocrates, [a] estque, vt opinor, admirabilis sapientia in viuente fabricando & gubernando spectata, & præterea etiam in dignoscen-„ do: [Porrò de animæ, (inquit,) sapientia & desipientia „ hoc modo se res habet: Quod humidissimum est in igne, & „ siccissimum in aqua, si in corpore temperamentum accepe-„ rint, sapientissima sunt, quia ignis habet humiditatem ab „ aqua, aqua autem siccitatem ab igne. Vterque autem suffi-„ cientissimus est: Neque ignis alimenti indigentior multum „ procedit, neque aqua motu indiga multum leuis redditur.] Quod si fabulosę antiquitatis arcana vltra fictionum velamenta accuratè introspicere libeat, facile intelligemus, valde consentaneo mysterio calorem ignis esse Vulcanum illum, qui à Ioue ex Iunone, idest, à cœlo, motu & lumine agente, ex aere procreatur, atque in circumfluam maris insulam, nimirum in terram aqua comprehensam, præcipitatur, vbi primum à simijs nutritur, quas ad imitandum rationalium actiones & fingendum esse propensissimi ingenij satis constat: deinde Veneris coniugio potitur, scilicet ex humidi permixtione, atque ex concubitu redditus generatiuus; mox in fabrum peritissimum euadit, qui dura emolliat, mollia durescere faciat, rara denset, densa rarefaciat, cogat, fundat, excauet, diuinèque ac supra humanum captum cęlet atque efformet; hęcque ministerio Cyclopum, idest, trium principum membrorum, magnarum atque eminentium virium; nimirum cordis, iecoris, ac testium, vel proportionalium in imperfectioribus, quorum duo priora materiam suggerunt, postremum temperat & fœcundat: Cyclopes etiam eo quod solo naturali instinctu perfectissime circumscripto, nullasque ad extremitates declinante, quasi oculo vno rotundo

media

x 3. de Gen. an. cap. 11. Vide etiã lib. 2. c. 1.

y Vid. Auic. lib. de Medic. Cord. Tr. 1. cap. 2.

z 1. de Diæta.

† De lõgi. & breu. vitæ cap. 3.

a loco cit.

media in fronte collocato, non etiam mente videant, atque à longè prospiciant. Omne igitur, non ad vitam modò, sed ad bene beateque viuendum spectans, calori atque humiditati iunctis apud Hippocratem, & priscos alios sapientes, duabus iam dictis qualitatibus acceptum referri debet. Quod tamen (vt antea exponebam) intelligere oportet, elementis reliquis non exclusis, etenim calidum euadit naturale non minus ex sicci & frigidi, quàm humidi permixtione, tametsi postea calidum humidum nuncupetur, non sanè quia duo ista in mixtione absolutè, & simpliciter formæ locum obtineant, neque quia sub vna (vt dicunt) atque eadem formali ratione existant; sed quia vtrumque ita ad alterum se habet, & cum reliquis est confusum, vt non nisi cum prędominio in mixto viuente stare possit: Idque sub ratione perfectibilis & perficientis, patientis atque agentis, nutrientis & nutriti. Sed de hoc non est hic plura dicendi locus, magis expedit de parte seminis spirituosa sermonem absoluere.

Spiritum semini inesse, huncque fęcunditatis causam à Platone, Aristotele, & Galeno censeri.
Cap. IIII.

QVoniam, qui in semine residet calor animalis & primigenius, non sincerus & summus est, sed attemperatus, vti dixi, atque ex aliorum permixtione ita remissus, vt non acriter, sed blandè sensum afficiat, tantumque absit, vt id in quo viget, destruat, corrumpat, & ad sui naturam immutet, vt potius animantis naturam ad vitam promoueat, foueat, atque conseruet; censendum procul dubio, hunc esse calorem alicuius mixti, quod seminis corpulentia comprehendatur: tale autem corpus esse tenuissimum, quod spiritum communiter appellamus, & res ipsa docet, & sapientum comprobatur auctoritate. Docet res ipsa, primùm quia ad materiam seminalem testibus præstandam arteria concurrit, eaque satis ampla, ac venæ coniuncta, scilicet vt vitalem spiritum copiosum sanguini adijciat. Deinde, quoniam vbi à tenui & vaporosa substantia seminis crassamentum deseritur, non modò infœcundum, vt obseruant Aristoteles † & Galenus *, sed, quod norunt omnes, ex crasso & globuloso aqueum euadit, & penitus inconsistens; cui rei tam in plantis, quàm in animalibus, multis modis prospexisse Naturam, neminem latet.

† 2. de Gē. ani. ca. 2.
* 14. de v. par. ca. 10.

In

In semine reperiri spiritum generationis fomitem, non negauit
Plato, b vbi Deos minores ex mandato parentis hominis fabricam
molientes introducit, hosq; refert, è quatuor elementorum portio-
nibus, quas rursus redditeri simus, nexu inuisibili copulatis corpus
„ finxisse: [Atque in hoc ipsum tum influente, tum effluente corpo-
„ re animæ Diuinæ circuitus illigasse.] Et rursum satis liquet, semen
ab ipso dici animatum & spirans; Nihil autem spirat, quod spatijs
quibusdam partes spirituosas & calidas externo aere recreandas
non contineat.

b In Timæo.

„ Aristoteles c quoque de his spiritibus ita habet: [Voluptas,
„ quæ per coitum persentitur, non solum semine exeunte acci-
„ dit, sed etiam spiritu, ex quo consistente semen emittitur.] Et
„ alibi: [d Inest enim in semine omnium, quod facit, vt fœcunda sint
„ semina, videlicet quod calor vocatur; idque non talis facultas ali-
„ qua, sed est spiritus, qui in semine spumosoque corpore côtinetur,
„ & natura, quæ in eo spiritu est, proportione respondens elemen-
„ to stellarum.] Ad hunc quoque spiritum ea videntur spectare,
„ quæ alibi scripsit per hæc verba: e [Generantur autem in terra, &
„ humoreque animalia, & plantæ, quoniam humor in terra, spiri-
„ tus in humore, calor animalis in vniuerso inest; ita vt quodam-
„ modo plena sint animæ omnia.]

c 1. de gen. an. ca. 20.
d 2. de gen. an. cap. 3.
e 3. de gen. an. ca. 11.

„ Tertium verò principium, (inquit Galenus, f) ex quo nerui
„ omnes procedũt, ex solo semine ortum habet; cum n. in commix-
„ tione fœminei seminis multæ ampullæ eius rumpantur, spiritus
„ interius atque in profundum, vt se ipsum conseruet, subit. Non
„ enim est sicut vapor, sed per se mobile animalis principium.]
„ Et alibi: g [Matrix ipsa, (inquit,) quæ celerrimè semini vndi-
„ que adhæret, collum autem totum conniuet, & eius maximè in-
„ ternum orificium: qui verò humor matricis asperitates illinit,
„ toti superficiei internæ subtensus, membrana tenuis efficitur: in-
„ terea autem spiritus vndique ad vnguem retentus non elabitur,
„ motusque naturales primus orditur: Nam & humiditatem qui-
„ dem tenuem è venis & arterijs in matrices attrahit, & eam simi-
„ lem humoribus, quibus ipse occurrit, reddit, crassitiemque quan-
„ dam accopiam iam tum ipsis apparat. Quod si non repente in
„ sinus matricis incideret, sed in itinere aliquantulum moraretur,
„ exinaniretur statim, atque ab humore excideret, & expirando
„ euolaret, vt qui exiguus est & leuis &c.] Et posterius h [Ipsum
„ autem semen, (inquit,) spirituosũ est ac spumosum, vt si extra ef-
„ fusum aliquando fuerit, paulò post diminutius multò appareat,

f 1. de se. cap. 8.
g 4. de vsu par. ca. 3.
h Cap. 9. 10. cit.

quam

virilis genituræ, causa sit, ob quam matris succedat similitudo, considerabat, in hac materia reperiri posse dispositiones duorum generum, actuales scilicet & virtuales; actuales, cuiusmodi durities, mollities, caliditas, frigiditas, & si quæ aliæ istius ordinis: virtuales, quales sunt ideæ figurarum pulcrarum, quæ in maternis membris spectantur. Primas, si ab effectiuo virili principio nequeant transmutari, nõ inficiatur remanere posse in genito fętu; at virtuales, nisi ab efficiente aliquo suscitentur & deducantur ad actum, putat numquam ex se tanti esse, vt emergant, atq; in formato fętu se pandant. Verum à quonam habebunt, vt in actum prodeant? non certè à semine patris, qui fortasse fuerit turpis; ergo ab effectiuo formosę matris principio. Cur verò ab hac sententia Vir prçclarus alio in loco q descierit, iam non disquiro. Atq; hçc satis cum Arabibus, & eorum interpretibus disputata sint.

q In libr. Hipp. de Nat. fœt.

Ad Latinos quod attinet, Albertus r primùm, cum dicitur pro „ Gal. [quòd effectus communis est à causa communi, & est à „ spermate, ergo sperma est commune tam matri, quàm patri,] ait non tenere, quod præsupponitur, nisi in his, quæ diuisa sunt causa suorum effectuum: Nam si coniunctim necessariò conspirauerint, ita vt neutrum per se valeat producere effectum, propositio non est perpetuæ veritatis; puta, si præter actionem efficientis requiratur etiam materia ipsi adiungenda, vt secundum proportionem, quam ad eam habet, efficiens ad illius effectus productionem conspiret, quo fermè modo corpus perspicuum, & corpus ter„ minatum ad coloris productionem aggregata concurrunt: [sic „ igitur (inquit) quoniam illa similitudo fit ex spermate viri, „ & sanguine menstruo congregatis, & secundum proportio„ nem virtutis spermatis viri super sanguinem menstruum, cau„ satur similitudo cum patre & matre.] At ego hanc grauissimi Peripatetici resolutionem conuellens, vt multa prætermittam à Recentioribus doctissimis s rationabiliter considerata, recurro primùm ad supra exposita Galenicæ rationis fundamenta, quòd materia scilicet ad hunc similitudinis effectum se habeat contingenter, ita vt efficientis dispositioni nihil adijciat, ac proinde horum duorum concursum, qui hac in parte accidentalis est, non parere causalitatem ad hunc effectum pertinentem, quæ antea non esset. Item ad aliud fundamentum confugio, quòd nimirum similitudo sit opus formatiuæ agentis, vt est effectus positiuus ac limitatus; quapropter necesse sit, omne id, quod per se causa est inducendæ similitudinis,

r 9. de an. Trac. 2. cap. 2.

s Mund. De Gen. par. 1. ca. 16.

ratio-

rationem efficientis habere. Quibus suppositis sempiternæ fuerit veritatis; effectum similitudinis mari, & fœminę communem arguere genus causæ ipsis commune.

Neque satis discerno, quæ sint illæ menstrui qualitates, quas voluit Albertus † merito puræ resistentiæ esse in causa, vt virtus effectiua virilis geniturae matris similitudines imprimat. Sint autem vt libet vera, quæ accepit, animaduerto primùm, marem & fœminam duo agentia esse posse, vt re vera sunt, numero distincta; semina quoque, licet permixta, posse proprias retinere vires, quas ante vnionem possidebant, neque ambo vniri ad faciendam vnam indiuidualem similitudinem communem, nisi forsan per accidens, sed singula suam seorsim in partibus diuersis iuxta prædominium exprimere: vt si fœtus prominenti labro patri, & adunco naso matri similis fiat. Et demum animaduerto, semen & menstruum, tametsi ad conceptum faciendum coniungi debeant, nihilo tamen minus ex Peripatetico dogmate alterum propriam actiui naturam seruare, alterum verò propriam passiui. At merè passiuum quomodo transfert motum actiui ad diuersum determinatum, si determinatè non transmutat vim actiui? quòd si hanc trasmutauerit ad determinatum, qui fieri poterit, vt non agat? Neque est par ratio de causis colorem producentibus, & causis similitudinis, cum ratio causalitatis similitudinum tam in principio maris, quàm in principio fœminæ per se haberi possit. Et ratio est, quia dispositio masculei principij est solum pro similitudine maris, nec quicquam habet pertinens ad similitudinem fœminæ, & è conuerso. Non ita in perspicuo & opaco ad colorem relatis; & si sit par ratio, quando perspicuum & opacum ambo vt materia concurrunt, commune habent genus causæ. Dico vtrumque iungi & conspirare vt materiam, quoniam, sicuti vel ex ipsomet Alberto ‡ elicimus, color consideratur vel pro suo esse materiali, vel pro suo esse formali: primum esse prodit ex dispositione superficiei corporis terminati, quam primis elementorum qualitatibus, licet per accidens generantibus, acceptam refert; & hoc sensu corpus terminatum ad colorem se habet vt ad superficiem materialiter seu dispositiuè qualificatam: esse autem coloris formale ex eo causatur, quòd lumen (sic ipse loquitur) influitur extremitati perspicui terminati, vt proinde perspicuum terminatum ad lumen in superficie receptum se habeat tanquam materia ad actum formalem, per quem agit in sensum. His proconi-

† Lib. & cap. sup. cit.

‡ 2. de an. Tract. 3. cap. 7. Et de apprehens. par. 2. in in. Et in sū. de homi. par. 2. Fo. 94.

ronide addo, magnum hunc Philosophnm in iam relatum Auicennæ errorem incidisse, u quòd fœminea genitura ad conceptum vt materia concurrat, & quod peius est, hanceum tribuisse sententiã Aristoteli, Theophrasto, & Peripateticis.

u 9. de Animal. trac. 2. c 3 & 6. & li. 15. trac. 2. cap. 11. & lib. 16 trac. 1. cap. 10.

Post Albertum sequitur Ægidius, qui primũ satis ieiunè ex communi Arabum refugio de menstrui resistentia se à Galeni ratione explicat, x postmodum verò rationi Peripateticæ innixus nonnihil tangit fundamenti, tametsi nimium vniuersalis atq indistincti, ne „ dicam fallacis, & hoc vbi scribit † ad verbum : [Sed si semen „ maris non sit forte, licet assimilet sibi fœtum in substantialibus, „ non assimilabit sibi in accidentalibus; & quia motus non habet „ terminum casualem, vt quod ex quolibet eatur siue pergatur in „ quodlibet, sed semper motus est in contraria, cum fœmina sit „ contraria mari, vt dicit Philosophus in 18. de Animal. quan„ do fit defectus secundum similitudinem à masculo, siue à patre, „ itur ad similitudinem fœminæ, siue matris.] Hæc Ægidius, nonobseruans, fœminæ similitudinem contrariam esse similitudini maris, quatenus hæc maris est, illa verò fœminæ; verùm quod nasus huius sit aduncus, illius autem simus, nihil habere necessarij connexus cum contrarietate, quæ inter fœminam & marem. Videtur etiam ad illius suppositionem consequi, nunquam fieri posse, vt saluetur motus maris, quin introducatur motus fœminæ, quod tamen est contra experientiam. Vt prætéream, ex determinatis esse admittendum aliquid, quod hanc fœminæ similitudinem inducat limitando actiuè, non autem purè passiuè obsistendo, vt ipse sentit Ægidius.

x De For. hu. corp. ca. 4. & ca. 18.

† eodem lib. cap. 19.

Ab alente sanguine posse maternas similitudines induci vetus fuit opinio, à Recentioribus eruditissimis y suscitata & recepta : sed cum à Galeni z obiectionibus haud redempta sit, in presens eam nullo numero habendam existimo.

y Coste. 5. Dis. phys.

z 2. de sem. cap. 1.

Cęterum subtiles, quibus Galeni & Medicorum arridet sententia, ex Scoto a habent argumentum, cui Recentiores multum tribuunt. Hoc quomodocumq. à Scoto, & alijs formetur, mihi in substantia ita formatum non displicet : Quæ sunt eiusdem speciei animalia, eiusdem speciei animabus prædita sunt: mas, & fœmina sunt eiusdem speciei: ergo &c. Subiungo: Ab animabus eiusdem speciei facultates eiusdem modi operationum effectrices emanant; ergo tam fœminæ anima erit in generando effectrix, atq. eodem modo, quo mascula: sed maris anima agit ad generationem, primò generando semen, deinde illo tanquam instrumento vtendo; quare etiam fœminæ.

a 3. sent. Dis. 4. q. 1.

minæ. Et hoc eò magis persuadetur, quoniam (vt suprà habitum est) fœmina conspicuè habet organa præparantia, excoquentia, & deferentia, qualia habet mas; & præterea semen ipsum substantia, colore, &c. à masculeo non differens; quæ inaniter à natura tanto apparatu fuisse fabricata, aut voluptatis tantum gratia, nullum est solidum ingenium, quod se patiatur doceri. Habent multa in contrarium S. D. [a] Suessanus, [b] & alij, qui partes Peripateticas tutantur; sed hæc, vt aduersantia claris atq. euidentibus demonstrationibus, à me in præsentia paruifiunt.

a 3. p. q. 31. art. 5.
b 8. Metaph.

Statutum ergo sit, semen fœminæ nihilo secius, quàm viri, esse prolificum, & facultate effectiua præditum, ideoq. illius testes eundem præstare vsum, quem masculi: Et ex hoc fœmineo masculini seminis & quantitatem suppleri, & caliditatem attemperari; quam aliquantulum excedentem ad alios vsus naturæ lege paratam fuisse compertum est, multamq; è contra fœmineam humiditatem, remissumq. calorem ita commensurari, vt communi reddita materia, & necessariò etiam ea, qua regitur forma, quid tertium animali procreando idoneum confletur. Ex quo Aristotelis obiectioni [c] occurrentes, facilè rationem elicimus, cur fœmina, tametsi semen prolificum effundat, non ex se sola concipere potens sit.

c 2. de Gen. an. cap. 4.

De seminalis materiæ conditionibus, & primùm crassamenti; deq; calidi & humidi in viuentium procreatione præstantia, & vi.

CAP. III.

His assumptis, & tanquam non dubijs apud veritatis cultores præsuppositis, iam ad pensum reuertor, pergoq. ad materiæ seminalis conditiones examinandas: quam in primis satis constat humidum quoddam crassamentum esse; de quo si disputauero, an corporis conuulsura sit, án colliquamentum, aut alimentum, vel pars, frustra nimius euadam; cum iam pridem & vetustiorum Philosophorum, & Recentiorum discussionibus determinatum sit, hoc esse excrementum vltimi alimenti coctione elaborati.

Est eiusmodi superfluitas digesta, albicans, crassior, viscosa, tenaxque, humida & calida. Digesta, quia propter moram in plexibus,

bus, & substantia testium, his valde est assimilata, vnde & ipsi candor accessit. Neque enim ex spuma id fieri crediderim, quòd ad sensum ampullosa non sit, quòd frigefacta, aquea, & nigricans reddita, minimæ quantitatis, ampullis disruptis non efficiatur, sicuti de alijs humoribus in spuma comprehensis semper vsu venire compertum est; & demùm, quòd aquæ non supernatet, quinimo Aristotelis † atque experientiæ fide, in eo elemento grauescat & mergatur euidentissimè; vt ex hoc succurrat Auerrois a simplicitatem ridere, qui iurantem fœminam, quòd in balneo esset grauidata ex genitura, quam in aquam masturbator profudisset, & integræ fidei, & moribus ingênuis fuisse crediderit: Mitto spirituum exhalationem & refrigerationem, quæ necessariò debuerant irrepsisse. Viscosa, crassaque seminis corpulentia est, quia concoctio partium solidarum incrassando procedit, ex quo habet, vt spiritus semel in sui corpulentiam admissos cohibeat, vtque ipsa ab vtero excepta & difficulter decidat, & partium spermaticarum conueniens materia sit. Humidam dixi hanc, & calidam esse, quòd à corpore glanduloso, & ex sanguine (quo tamen minus calida est) ad animalis procreationem genita sit.

† 2. de Ge. an. cap. 5.

a 2. coll. cap. 10.

„ [b Quippe vbi temperiem sumpsere humorque, calorque,
„ [Concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus.

b Ouid. 1. Metam.

Non sanè, quia duo hæc sola sufficiant, sed quia in generatione præcipuas sibi vendicant partes. Quó fit, vt calidum innatum, ex permixtione, & vnione spirituum seminalium cum humido primigeneo exortum, meritò & pro toto accipiatur temperamento, & præterea generare animal credatur, vt idcirco fœcunditatem à duabus his qualitatibus prodeuntem, ante Ouidium Lucretius c bene his innuerit carminibus:

c 5. de Re. Nat.

„ [Tum tibi terra dedit primum mortalia sæcla,
„ [Multus enim calor, atque humor superabat in aruis.

Hinc quoque non abs re, eruditorum iudicio, Antiqui Aegyptij, qui magni naturalium causarum exploratores semper habiti sunt, Solem, cuius caliditas maximè vitalis apparet, pueruli figura, è loto arbore propè aquas vigente recens nati, Hieroglyphicè significabant; aerem verò, qui calidus & humidus est, ideoque apprimè genitalis, Iunonem dixere, sororem Iouis & coniugem, quasi cœlo affinem, & ex eo maximè generatiuam. Ita Iouem Astrologi beneficentissimum, & vitæ amicum animaduertunt, quòd eo modo calidus sit atque humidus, vt humido dominetur caliditas. Platonici animas per Cancrum descendere, & per Capricornum ascendere autu-

mant,

mant, quia vt hoc signum frigidum siccumque, corruptiuum esse; ita illud calidum humidum, generatiuum existimant. Et Philosophus [d] ea dicit perfectiora animalia, quæ natura sunt calidiora atq; humidiora. Hæc autem genitalis facultas, vt his pręcipuè qualitatibus permixtis & substantialiter iunctis debeatur, quantum res ipsa tulerit & ingenium, ad vsum eorum, quæ mox adijciam, declarare tentabo. d 2. de Gen. an. cap. 1.

Calor profectò, seu ignis primò, cuius hæc qualitas forma est, aut saltem accidens maximè proprium, cum ad agendum efficacissimus sit, ad resistendum autem imbecillimus, paucam idcirco in se materiam, eamque raram continere significat: Nam si materiam multam collectam atq; compactam obtinuisset, & agentis sustineret vim, & obsisteret, ægreq; passionem susciperet. Eapropter concluditur, ignem plurimum habere formæ, materiæ verò minimum. Inde formalitas, nobilitas, præstantia, atq; actiua facultas omnium vehemētissima, quæ formæ eò magis conuenit, quò minus premitur à materia. Vnde & abstractæ substantię promptius agere putantur, fortius atque nobilius, semperq; demùm in actione versari. Nec longè ab hac sententia iuisse videtur Simplicius, [e] Aristotelis interpres grauissimus, vbi animaduertit, elementum hoc, quòd maximè à natura materiæ remotum sit, si ignis quidem maneat, non esse aptū natura, vt suscipiat contraria, quemadmodum aer & aqua; Ac proinde maiore esse agendi vi præditum, & quandam cum forma proportionem habere, minimè autem cum materia: sed cum etiam cęlo propinquior ignis existat, puriori modo atq; immediatius, quàm cætera sublunaria, illius recipit motum & vim. Vnde vt propter hæc omnia agendi facultate pro sua natura cæteris præstat, ita in omnibus compositionibus semper magis formalis apparet; etenim si mixta consideras, ea ex primis quatuor qualitatibus substantialibus elementorum conflantur quarum duæ, siccitas & humiditas, passiuè; duæ verò, caliditas & frigiditas, actiuè concurrere consueuerunt, atq; ex his caliditas magis, cuius dissolutio, ex [f] Aristotele, causa est, vt mixta naturaliter intereant putrescentia. Ex quo, quantum in mixtione & vnione causanda valeat, facile potest deprehendi. e 1. Phys. com. 52. f 4. Met.

Si ad animata conuertimur, caliditatem haud minus formæ familiarem animaduertimus, quòd anima qualitate hac ad omnes functiones indigeat, ipsaq., Alexandri [g] testimonio, semper in illis corporibus generetur perfectior, quæ copiosiore caliditate prædita sunt: id quod ex eo facile dignoscere licet, quia, vt etiam obseruauit Plutarchus, [h] tam partes, quàm animalia, quę minimum caloris sor- g 2. de an. cap. 21.

tita sunt, minus etiam habent sensus. Quas ob res fortasse Democritus[i] animam igneam appellabat potentiam, atq. omnia corpora quodammodo animæ participantia esse, quoniam scilicet caloris haud prorsus expertia. Et post Democritum Aristoteles[k] de corde

„ loquens. [quia (inquit) hinc principium omnibus dependet caliditatis, & anima tamquam ignita, in his particulis, exanguiũ quidem in proportionali, in corde autem sanguine prẹditorum. Necesse est igitur, simul vitam existere, & calidi huius conseruationem, & vocatam mortem esse huius corruptionem.] Et posterius causam reddens, cur decreuerit nutritiuam sine naturali

„ igne esse non posse: [In hoc enim (ait) Natura igniuit ipsam.]

„ Et rursum: [Generatio igitur est prima participatio cum calido nutritiuę animę; Vita autem mansio huius.]

Adhęc ignis aut solus, aut omnium maximè, quod vim animasticam significat pabulo, quo iugiter nutriatur, videtur egere: etenim ea est (vt Theophrastus etiam animaduertit)[l] ignis natura, vt pręsente pabulo, semper vigeat, eoq. consumpto, semper extinguatur. Neque enim, si quid reliqui sit, id propriè ignis, sed supercombustum, quod Gręci dicerent ὑπέρκαυμα, nuncupandum est. Inde factum existimatur, vt antiquorum nonnulli dubitauerint, vel etiam pro constanti tenuerint, ignis naturam esse ab elementorum censu & conditionibus semouendam, vtpote quæ semper in fluxu sit, ac nusquam ex se & nunquam, nisi pabuli aggestione, habeatur atq. consistat; elementa autem, quemadmodum subiecti natura postulat, & firma esse debent, & insuper, ne aliquando generatio deficiat, etiam æterna.

Verùm quicquid de antiquorum sententia pro rei veritate determinandum sit (neq. enim hic istius contemplationis est locus) ex narratis percepisse sufficiat, ignem ideam quandam præseferre nutritionis & vitæ quam non aliunde procedere, rationi consonum est, nisi quia (vt paulo antè decernebatur) apprimè formalis existit.

„ [Quoniam autem est nutrimentum quidem materiæ (dicebat Philosophus[m]) quod autem nutritur comprehensum cum materia, forma & species, rationabile iam solum simplicium corporum nutriri ignem omnium ex se inuicem generatorum, quemadmodũ & priores dicunt. solus enim est, & maximè formę ignis. &c.

His adde, ignem marem[n] inter elementa, vt humiditatem fœminam appellari, scilicet quia sine calore, ex motu nascente, corpora humida, qualia aer & aqua, quasi propria perfectione priuata putrescunt; immò absq. caloris diffusiua vi, neq. terra, neq. materia vlla

natura-

i *Apud Plutarcũ 4. de plac. cap. 3. & 4.*

k *De iuu. & sen. &c cap. 2 in fine. & cap 10. & 14.*

l *lib. de igne.*

m *2. de Gen. & corrup. tex 50.*

n *ex Plut. de Aqua & Ignis compes.*

naturalium, ne dum semina ipsa turgent, aut fœcunditate gaudent. Galenus ° quoque inquit, Hippocratis, & omnium ferè nobilissimorum Philosophorum dogma fuisse, ignem elementorum animalia constituentium maxime omnium vitæ causam esse. Quinimo
„ eidem videbatur Hippocrati p [Id, quod calidum vocamus, im-
„ mortale esse (intellige, in se consideratum; nam in mixto, humi-
„ do indiget ad perficiendum) & cuncta insuper intelligere, & vi-
„ dere, & audire, & scire, tum præsentia, tum futura.] Quò for-
„ tasse respexit etiam Heraclitus, cum dixit: q [Splendor siccus, ani-
„ mus sapientissimus.] Vno verbo, vsq. adeo formæ & perfectionis causa est ignis, vt illo dempto, vel Sapientissimi Thaletis sentẽtia, r tametsi ipse aquam commune, atq. vnicum naturalium principium constituebat, omnium oritura confusio sit; quasi ignem ipse etiam vnicam & potissimam ornatus causam existimarit; quod Naturæ librum accurata obseruatione voluenti luculenter innotescere potest. si animaduertat, quòd quemadmodum elementa reliqua tanquam magis corporea, qualitates atq. accidentia materialia propinquorum corporum, quales sunt soni, odores, sapores, & similes qualitates promptius recipiunt, seruant, deferunt, alijsq. communicant: ita ignis, qui omnium maximè formalis est, atq. à materia solutus, facile induit conditiones illius formæ, cui quoquo pacto adhæret, & cuius experitur actionem subindeq. perfectionis ideam, vim energeticam, operandiq. & formandi modum primò, ac principaliter concipit, & excercet.

Quamobrem sicuti elementum istud sincerum, quia naturaliter cœlo propinquam habet sedem, omnium citissimum est, mobile maximè, & actiuum, vitæq. solum inter elementa similitudinem præsefert, illamq. magis defert, & sublunaribus impertitur: ita mixtum atq. attemperatum magis ideam recipit, impressionemq., & rationem (vt ita dicam) formalitatis temperamenti illius corporis, à quo, vbi adhæserit, iam secedit. Inde euenit, vt omnis industria & solertia opificis, quæ in viuentis generatione admirabilis atq. imperceptibilis apparet, meritò huic pręcipuè referatur accepta. Quòd si quispiam magis curiosus, quàm humanæ postulet intellectionis conditio, penitius sibi causam cupiat assignari, propter quam elementum hoc ex huiusmodi dispositionibus tales vires sortitum sit, is sciat, se pędię defectu premi; qua de re alibi forsan erit plura dicendi locus. Quanti igitur ignis natura in viuentis generatione facienda sit, satis arbitror demonstratum.

Hanc autem, licet à sua sinceritate recedat, formæ tamen nobi-

o 1. aph. 14.

p lib. de carnibus, quem quidam de principijs inscribendũ putãt. ab in.

q Apud Gale. lib. quòd animi mores. cap. 5.

r Apud Plut. cum in conui.

lioris (quod Philosophi non postremæ notæ reputant inconueniens) originem & causam esse posse, si humido permisceatur, quicumque prærogatiuas humidi in corporibus ad vitam promouendis & conseruandis bene adnotauerit, non ibit inficias; neque negabit, hanc qualitatem post ignem animæ magis familiarem videri, & esse. Nam vt omittam aquatilium considerationem, quæ omnium fœcundissima sunt, obseruo Hippocratē, *s* cumque eo priscos alios sapientes censuisse, ignem omnia per omnia mouere posse, aquam verò omnia per omnia nutrire, vsque adeo, vt Thaleti *t* persuasum fuerit, omnia, vel cęlū ipsum, & sydera. immò vniuersum nutriri humido; ad cuius sententiam Lucanus visus est respexisse, vbi de prægalto Oceani fluxu & refluxu cecinit:

s 1. de Dieta.

t Apud Plutarc. 1 de plac. cap. 3.

„ [Flammiger an Titan, vt alentes hauriat vndas,
„ [Erigat Oceanum, fluctusque ad sydera tollat.

Sed prætera animaduertere oportet in hac calidi & humidi permixtione, ad vim prolificam & animasticam in semine procreandam non parum habere momenti, quod humiditas siccitati resistat; hæc enim dum vnit tam calidum, quam frigidum, calorem semper reddit immodicum: vnde actione nimia non solum non generat, sed comburit, omniaque in sui naturam conuertit. Resistat, inquam, dispergens atque remittens; iuuet tamen ex altera parte, se igni pabulum amicum præbens: quę causæ sunt, vt non modò igneæ actiuitatis vehementia frangatur, sed vt elementi natura in reliquorum etiam substantias facilius, & modo perfectiori sese insinuet, propriæque conditionis, quæ (vti dixi) maximè formalis est & motiua, participes reddat, neque tamen eas prorsus in propriam substantiam conuertat: Quinimo vnà cum alijs in vnam ab omnibus diuersam naturam, perfectioremque illam in viuentibus, quàm in simpliciter mixtis, conspiret. In quo negotio siccitatis quoque & frigiditatis, reliquis duabus qualitatibus commodantium, suus est vsus; altera enim calorem temperat vehementius agentem, altera verò humidum cogit, alioqui fluxile & inconsistens, parumque ad continendam caliditatem idoneum. Quod illarum esse munus fortasse Empedocles *u* non negauerit, apud quosdam suspicionem inducens, ac si ignem, mutatiuam contentionem; humorem, amicitiam tenacem appellet: & sanè, nisi nos sensus eludat, geniture corpulentia à prædominio aquea videtur, & est; quod si crassescat, id ex coctione, aerisque & terræ etiam permixtione prouenire, rationi consonum est.

u Apud Plutarchum de primo frigido.

Esto igitur hæc dictorum conclusio, sicuti, si actiuas inter se

com-

compares qualitates, frigido formalior caliditas est: ita vel ipsius Aristotelis iudicio, x sicco humidum longè vitalius semper apparet: quo fit, vt semina humore excepta & fluida, facilius, nobilius, & multiformius, quàm solida & terrestriora fingantur atque efformentur. Haud igitur mirum, si temperamentum, harum duarum qualitatum dominio constitutum, apprimè vitale censeatur, & sit, ac pro temperiei excellentia y formæ nobilioris conditionem induat. Vnde diuinè, vt solet, Hippo-„ crates z aliquando scripsit: [Irrepit in hominem anima, ignis, „ & aquæ commoderationem sortita.] Et post eum Philoso-„ phus: †[Animal esse natura humidum & calidum, & ipsum „ viuere tale.] Sed & quid amplius his tribuere videtur Hippocrates, a estque, vt opinor, admirabilis sapientia in viuente fabricando & gubernando spectata, & præterea etiam in dignoscen-„ do: [Porrò de animæ, (inquit,) sapientia & desipientia „ hoc modo se res habet: Quod humidissimum est in igne, & „ siccissimum in aqua, si in corpore temperamentum accepe-„ rint, sapientissima sunt, quia ignis habet humiditatem ab „ aqua, aqua autem siccitatem ab igne. Vterque autem suffi-„ cientissimus est: Neque ignis alimenti indigentior multum „ procedit, neque aqua motu indiga multum leuis redditur.] Quod si fabulosæ antiquitatis arcana vltra fictionum velamenta accuratè introspicere libeat, facile intelligemus, valde consentaneo mysterio calorem ignis esse Vulcanum illum, qui à Ioue ex Iunone, idest, à cœlo, motu & lumine agente, ex aere procreatur, atque in circumfluam maris insulam, nimirum in terram aqua comprehensam, præcipitatur, vbi primum à simijs nutritur, quas ad imitandum rationalium actiones & fingendum esse propensissimi ingenij satis constat: deinde Veneris coniugio potitur, scilicet ex humidi permixtione, atque ex concubitu redditus generatiuus; mox in fabrum peritissimum euadit, qui dura emolliat, mollia durescere faciat, rara denset, densa rarefaciat, cogat, fundat, excauet, diuinèque ac supra humanum captum cęlet atque efformet; hęcque ministerio Cyclopum, idest, trium principum membrorum, magnarum atque eminentium virium; nimirum cordis, iecoris, ac testium, vel proportionalium in imperfectioribus, quorum duo priora materiam suggerunt, postremum temperat & fœcundat: Cyclopes etiam eo quod solo naturali instinctu perfectissime circumscripto, nullasque ad extremitates declinante, quasi oculo vno rotundo media

x 3. de Gen. an. cap. 11 Vide etiã lib. 2. c. 1.

y Vid. Auic lib. de Medic. Cord. Tr. 1. cap. 2.

z 1. de Dieta.

† De lõgi. & breu. vita cap. 3.

a loco cit.

In semine reperiri spiritum generationis fomitem, non negauit Plato, *b* vbi Deos minores ex mandato parentis hominis fabricam molientes introducit, hosq; refert, è quatuor elementorum portionibus, quas rursus reddituri simus, nexu inuisibili copulatis corpus
„ finxisse: [Atque in hoc ipsum tum influente, tum effluente corpo-
„ re animæ Diuinæ circuitus illigasse.] Et rursum satis liquet, semen ab ipso dici animatum & spirans; Nihil autem spirat, quod spatijs quibusdam partes spirituosas & calidas externo aere recreandas non contineat. *b In Timæo.*

„ Aristoteles *e* quoque de his spiritibus ita habet: [Voluptas, *e 1. de gen. an. ca. 20.*
„ quæ per coitum persentitur, non solum semine exeunte accidit, sed etiam spiritu, ex quo consistente semen emittitur.] Et
„ alibi: [*d* Inest enim in semine omnium, quod facit, vt fœcunda sint *d 2. de gen. an. cap. 3.*
„ semina, videlicet quod calor vocatur; Idque non est alis facultas aliqua, sed est spiritus, qui in semine spumosoque corpore cōtinetur,
„ & natura, quæ in eo spiritu est, proportione respondens elemento stellarum.] Ad hunc quoque spiritum ea videntur spectare,
„ quæ alibi scripsit per hæc verba *e* [Generantur autem in terra, *e 3. de gen. an. ca. 11.*
„ humoreque animalia, & plantæ, quoniam humor in terra, spiri-
„ tus in humore, calor animalis in vniuerso inest; ita vt quodammodo plena sint animæ omnia.]

„ Tertium verò principium, (inquit Galenus, *f*) ex quo nerui *f 1. de se. cap. 8.*
„ omnes procedūt, ex solo semine ortum habet; cum n. in commixtione feminei seminis multæ ampullæ eius rumpantur, spiritus
„ interius atque in profundum, vt se ipsum conserret, subit. Non
„ enim est sicut vapor, sed per se mobile animalis principium.]
„ Et alibi: *g* [Matrix ipsa, (inquit,) quę celerrimè semini vndique adhæret, collum autem totum conniuet, & eius maximè internum orificium: qui verò humor matricis asperitates illinit, *g 14. de vsu par ca. 3.*
„ toti superficiei internæ subtensus, membrana tenuis efficitur: interea autem spiritus vndique ad vnguem retentus non elabitur,
„ motusque naturales primus orditur. Nam & humiditatem quidem tenuem è venis & arterijs in matrices attrahit, & eam similem humoribus, quibus ipse occurrit, reddit, crassitiemque quamdam accopiam iam tum ipsis apparat. Quod si non repente in
„ sinus matricis incideret, sed in itinere aliquantulum moraretur,
„ exinaniretur statim, atque ab humore excideret, & expirando
„ euolaret, vt qui exiguus est & leuis &c.] Et posterius *h* [Ipsum *h Cap. 9. & 10. lib. cit.*
„ autem semen, (inquit,) spirituosū est ac spumosum, vt si extra ef-
„ fusum aliquando fuerit, paulò post diminutius multò appareat,

quam

ctura, vnde meritò concludatur, in principe mẽbro spiritus generari.

Quamuis autem circa testes vasorum plexus ex Anatome cernantur conspicui, tamen cum nullæ ibi cauitates appareant, & suspicari possimus, plexus ad seminalem corpulentiam coquendam, & subigendam institutos fuisse, nullam arbitror euidentem rationem haberi, quæ suadeat, testes nouorum esse spirituum fabricatores, vt proinde temere illi admittendi non sint, Galeni exemplo, [a] qui, vt alibi aperui, [b] naturales à Iecore fluentes, similem ob causam, nõ ausus est introducere. Dicam amplius, præter cauitates, à quibus tanquam à scaturigine & penu spiritus prodire, & ad quas, si expediat, se recipere consueuerunt, desiderari insuper proprios ductus, quales alijs spiritibus deputauit Natura, ne si per alienos ferantur, se cum alijs implicent, impediantur, atque impediant, potissimùm quoniã substantiæ impetu ruentis est, confertim affluere.

a 12. Met. cap. 5.
b De In. cal. ca. cit.

Neque tantùm istos deficere animaduerto, sed materiam quoque, quæ non potest esse sanguis, vtpote qui dum coquitur incrassatur; tantum abest, vt attenuetur in spiritus conuertendus: coctus verò absq; aeris interuentu, atque in udituram conuersus ad prostatas reducitur. Multo minùs pro materia vitales spiritus admiserim, qui ad testes sinceri non perueniunt, & si qui perueniant, vel moram in ipsis tantam non trahunt, quantam spiritus elaboratio videtur expostulare; vel si ibi commorantur diutius, ex plexuum actione adeo cum sanguinea substantia confunduntur, & substantialiter connectuntur, vt meritò complantati reputentur, quippe qui & inseparabiles sint, & ad corpulentiæ naturam pertineant. Non sunt ergo testes nouorum spirituum fabricatores.

Quanquam, quod diligenter velim animaduerti, omnino profitendum est, spiritus, quicumque illi fuerint, qui ad testes feruntur, cum seminali humore & crassamento permixtos, sub nouo essendi modo in nouam formam conspirare. Quod dictum volo, ne cuipiam fortasse scrupulus inijciatur, caliditatem natiuam & primigeniam posse alicui alteri membro, quàm testibus, acceptam referri; neuè studiosis facile Medicorum quorumdam recentiorum [b] auctoritas imponat, qui, vt in pessima causa ingenij acumen ostentarent, nostro æuo contra germanam Galeni doctrinam, soli cordi animę principatum, & natiui caloris originem demandarunt, cum tamen animaduertisse debuerint, spiritus calorem, qui à corde influit, non nisi modificatum in semine contineri, atque in testibus serosæ humiditati permixtum dearticulari, ac genitalem facultatem acquirere. Sed quoniam, vt probabili admodum ratione constat, aliunde spiritus

b Rud. 1. & Nat. Cor. consti. ca. 4.

ritus ad testes confluere; ita de partibus, à quibus proueniant, multæ sunt controuersiæ; ego, vt tutò & breuiter, quantum fieri potest, quæ ad meum attinent institutum, determinem, ex Medicorum concessis in præsentia propositam veritatem inuestigare tentabo; quandoquidem, vt mea fert opinio, & veritati consonum esse iudico, ex horum placitis pro rei exigentia adstruere liceat assertiones, quę suppositionibus Aristotelicis non repugnent.

Tria igitur cum sint membra, à quibus semini possunt spiritus, ex classicorum quorumdam Medicorum sententia d prouenire, Cerebrum, Cor, & Iecur: Hæc cum eminenter, tanquam trium facultatum corpus vniuersum gubernantium radices, totum ipsum, quod constituitur, animal sint, nisi spiritus eorum Ideas, vel temperaturas, forma suè geniture imprimant, haud facile animus concipit, quonam instinctu aut impulsu semen, vel quæ in eo est vis, dirigatur, vt perfectum animal, eique simile, à quo decessit, valeat efformare; cuius rei gratia probabile censent, à cæteris etiam particulis, & ab vniuerso corpore nonnihil spiritus atque facultatis de repente in testes irruere, idq; ex valida agitatione corporis, & perturbatione, quæ in ipso fit coitu; è qua maius etiam quid semini accedere Lucretio e probabile visum fuit.

„ Corpore de patrio, & materno sanguine crescunt
„ Semina, cum Veneris stimulis excita per artus
„ Obuia conflixit conspirans mutuus ardor.

Verùm hęc donentur Epicureo, qui fortasse magistro subscripsit, opinanti, semen esse animę & corporis conuulsuram.

d *Auice. Gentilis, Iacob. de partibus Forli. Dinus; quos omnes vide 3. cano. Fen. 21. Trac. 1. cap 2 q8 est de Gē. emb. Fer. quoq; & alij Recentiores. præcipue verò Fern. 7. Physiol. c 4. de Re. Nat.*

Ad illos quod attinet, qui ex concubitus agitatione & concussione imaginantur aliquid virtutis & spiritus à toto ad testes confluere, hi, quantumuis liquidò constet, semen iam perfectè elaboratum in glandulosis pręstitibus contineri, neq; vllam postea alterationem à testibus, aut loco, vbi seruatur, suscipere; eo tamen argumento, istiusmodi spirituum confluxum ad hæc membra officialia, vt semini permisceantur, & facultatem adijciant, rationi consonum putant, quòd titillatio vehemens tunc temporis eximia voluptate vniuersum corpus afficiat. Leuis sanè coniectura, & cui non facilè solidum acquiescat ingenium, quando (quod Magnus animaduertit Albertus f)
„ nemini est ignotum [Delectationem non esse, nisi in fine coitus,
„ & in mēbris genitalibus.] Quod si quid ipsius ad vniuersū corpus extenditur, vnde quassetur & gestiat, id ex consensu & conspiratione totius succedere, ex Aristotele discere debuerunt, qui scripserat:
„ [g Cum igitur voluptas similis in libidine, atq; in prurigine fit,
„ effici-

f *15. de animal. cap. 3.*
g *4 Prob. 16 & 1. de Gen. an. ca. 18.*

„ efficitur pariter, vt corpus gestiat vniuersum.] Sed enim, præter quàm quod probabile est, eiusmodi consensum ex insueta transmissione, à parte, quę primò afficitur, procedente causari, quęcumque tandem illa sit, neque hanc vicissim necessariò ab vniuerso recipere; demonstrandum etiam fuerat, quę maior causa sit, vt in hac delectatione ad partem primò voluptate percitam spiritus totius corporis & virtutes confluant, quàm vbi aliæ partes ex prurigine affectu consimili concitantur.

Porrò autem ad pleniorem intellectionem istius opinionis, quam enucleatius examinandā propono, lubet nūc propria, quibus exponitur, verba recitare, quę vt speciosa primo aspectu sunt, pulcramque videntur sententiam, & valde rationabilem continere; ita in recessu inanis iudicij plena reperiuntur. Vbi igitur decreuerunt, h seminalem corpulentiam, tamquam reliquias alimenti vltimi, non à toto corpore decidere, quod & Aristotelem sensisse opinantur, hanc censent à tribus principibus membris, cerebro, corde, & iecore promanare. De spiritibus verò, quod statuunt, tale est: † [Cum itaque duo in semine comprehensa teneantur, materia, & facultas illa, quæ patiendi vim habet, non ab omnibus corporis partibus, à quibusdam tamen necessariò secernitur. Hæc verò, quæ prorsus est efficiens, ab vnaquaq; vel minima demigrat; quod nonnulli hac verborum interpretatione explicant, semen non mole, sed viribus à toto defluere.] Et rursum paucis interpositis: [Ex quo intelligi potest, per ea vasa materiam, per arterias verò formam & facultatem semini conferri; per has quidem spiritus vitalis, per venas naturalis à iecore, per neruos animalis à cerebro & spinę medulla delabitur in testes. A cæteris autem particulis, & ab vniuerso corpore, credibile est, nonnihil spiritus atq; facultatis de repente in testes irruere, idque valida agitatione corporis, & perturbatione, quæ in ipso fit coitu: cuius hoc esto indicium, quòd titillatio vehemens tum vniuersum corpus eximia voluptate afficit. Hæ igitur vires & facultates, quæ cum spiritibus ex vniuerso corpore, maximè verò ex principibus partibus confluxerunt, illi demum seminis materiæ insident, tanquam procreationis magistrę & opifices. Quapropter non testes semini vim tribuunt, qua fœcundum est, sed hæc ab vniuerso corpore suscipitur.] Ita de spiritibus seminalibus, de loco, vnde decedunt, & ad quem confluunt, de modo, & de tempore, antedicta decernit sententia, à qua doctissimi alij, & per quam celebres Medici tam vetustiores, quàm Neoterici parum distant; quos, vt eiusmodi spiritus à toto delapsos

h Fern. 7. phys. cap. 2. in fin.

† Lib. cit. cap. 4.

reciperent, præcipuè mouit natorum & parentum in ſanis quibuſdam, vel morboſis particularium membrorum diſpoſitionibus conuenientia, quodq; ex Macrocephalis Macrocephali, manciq; ex mancis aliquando generentur. Hos enim, & eiuſcemodi affectus commodè ſaluari non poſſe arbitrati ſunt, abſq; iſtorum ſpirituum ſingularum partium temperamenta deferentium confluxu; tametſi de tempore & neceſſitate non omnino cum antea relatæ opinionis auctoribus conueniant.

Ariſtotelis & Galeni de ſpiritibus à toto deciduis ſententia diſcutienda proponitur; & de loco, vnde proueniat corpulentia ſeminalis, Ariſtotelis explicatur doctrina.

CAP. VI.

AT vbi mecum ipſe cogito, Ariſtotelem & Galenum morborum contagia ex parentum ſeminibus ſæpenumero contracta non latuiſſe, ac ex mancis mancos, ex Macrocephalis Macrocephalos aliquãdo generari optime cognouiſſe: & inſuper non ignoraſse, fętus ſignorum quorumdam particularium veſtigia, quę parentum membris vel omnino pręter naturam videntur impreſsa, iiſdem in partibus geſtare, ac proinde eos de iſtorum omnium cauſa eſse ſollicitos debuiſſe, vt pote quæ ad formatiuam pertineat, ad cuius vires & conditiones inueſtigandas eiuſmodi ſpeculatio multum videbatur conferre: cum, inquam, conſidero, tantos Viros, quibus omnia hęc fuere perſpecta, formatores hos ſpiritus à toto deciduos non agnouiſſe, ſed fęcunditatis in ſemine cauſam omnino membro principi acceptam retuliſſe; ſuſpicor, principij virtutem vtriq; ſufficientem viſam, quæ cunctas generantis ſimilitudines exprimat. Ad cuius rei pleniorem intellectionem lubet eorum ſententias de locis, à quibus ſemen prodeat, & vnde viribus donetur, inquirere.

Primum igitur, vt ab Ariſtotele initium capiam, animaduerto, nõ deeſſe illius doctrinę profeſſores, qui à corde ſanguinem, ex quo fit ſemen, haberi velint; ſpiritus autem non ſolum à corde, ſed à reliquis etiam corporis partibus. Ego verò totum oppoſitum cenſeo, atque ex illius ſcriptis duas in propoſito concluſiones elicio; quarum prima eſt, humidum ſeu corpulentiam ſeminalem eſse à toto corpore deci-

duam

duam. Altera, hanc à cordis ſpiritibus, atq; illius calore perfici & fęcundari. Quod ad primam attinet, eam ipſe locis huius tractationis maximè proprijs apertiſſimis verbis expreſſit, quarta ſcilicet ſect. Problematum, & libris de Gen. anim.

Problemate igitur citatę ſectionis 23. Vbi petijt, quare, qui concumbunt, reſolui atq; languere magna ex parte ſoleant? Reſpon-
„ det: [An quòd ſemen omni ex parte corporis ſecretio eſt? Itaq;
„ vt ędificij conſtructio, ſic corporis compactio quatitur, dum ſe-
„ mē decedit, quaſi ſanguinis multum, aut aliqua pars aliò decedat;
„ ita quod exit, peropportunū eſt, & quod exiguū ex multo alimen-
„ to conficiatur, quemadmodum amylum ex farina.] Ita Philoſophus in Problematicis. Sed magis luculenter, propriè, atq; ex pro- † *Lib. 1. cap. 18.*
„ feſſo in libris de Gen. ani. in quibus primum hæc habet: † [Ergo
„ vtilis excrementi pars aliqua ſemen eſt. Vtiliſſimum autem quod
„ vltimum eſt, & ex quo iam vnumquodq; gignitur membrum.]
„ Nota loquendi modum: [Ex quo iam vnumquodq; gignitur] vt actualem innuat nutritionem. Nutritio enim, etiam non reclamantibus, qui ſecus in propoſito ſentiunt, quædam generatio eſt.
„ Et paucis interpoſitis: [Igitur. (inquit) contra quàm veteres pu-
„ tarunt, dicendum eſt: cum enim illi, quod ex toto ſecedat, ſemen
„ eſſe fateantur, nos, quod ad totum ſuapte natura faciat, ſemen eſ-
„ ſe fatebimur; cumq; illi colliquamentū dicant, nos excrementum
„ potius eſſe ſtatuimus: quod enim vltimum accedat, & excremen-
„ tum vltimi ſit, id ſimile eſſe probabilius eſt, perinde vt pictori-
„ bus ſępenumero aliquid Andriceli .i. purpuriſſi remanet, ſimile
„ eius, quod conſumpſerint.

Nunc quæro, quodnam ſit vltimum alimentum? Procul dubio ſanguis ᵃ in principe membro confectus, & per venas atque arterias diſpenſatus. Huius igitur hoc fuerit excrementum. At excrementa ante alterationem & coctionem neq; fiunt, neq; ſecernuntur; coctio autem iſtiuſmodi, atq; alteratio alia eſſe nequit, quàm quæ in partibus fit: ex hac igitur ſemen ſuperfluēr. An verò eandem alterationem expertum, cùm ſit digeſti reſiduum, quis dubitat? Hoc ſanè totum apertius manifeſtari non poterat, indeq; & noſtrum iudicium probari, quàm exemplo Andriceli. Dicit, remanere aliquid ſimile ei, quod eſt in pictura conſumptum: ſi ſimile, ergo eadem paſſum: ſi non eadem paſſum, neque ſimile eſt; neque modicum, quod ſuperfluit, ſed id eſt totus ſanguis, qui in venis remanet non alteratus.
„ [Color (dicunt Neoterici) remanens reſpondet ſemini, pictura
„ partibus corporis; peniculus ergo, vel vaſa colorum, venis reſpon-

a 2. de par. ani. cap. 3. & 1. de Gen. ani. cap. 19. & alibi.

„ de-

„ debunt. Semen ergo hoc pacto est sanguis remanens in venis „ superabundans, quo non indigent partes: Nam peniculus est di- „ stinctus, & res separata à pictura, & venæ à partibus.] Sed quorsũ hæc? quando similitudo non in loco, in quo residet quod superfluit, spectanda est; sed in natura & conditione substantiæ, quæ residua est, & illius, quę in nutriti naturã cõuertitur. An nõ statim ex serie doctrinæ Aristotelicæ, & propositi consideratione intelligitur, adduci exẽplum ad similitudinem declarandam, quæ cadit inter alimentum vltimum omnino conuersum & id, quod ex eo alterato superabundat? & cum hoc, ad aperiendum, semen esse excrementum, quod ob solam quantitatem à natura relinquitur, non etiam ob qualitatem alienam & noxiam, vt de alijs omnibus superfluitatibus vsu venit? Cæterùm penicilli, & vasa pictoris consideranda non sunt nisi exempli in omnibus accidentibus conformatio, absolutaq; identitas desideretur; quam in nullo propemodum haberi, experientia manifestat.

Sed esto, ad locum etiam à partium substantia separatum significandum adductum exemplum fuisse, an nõ dantur præter venas spatia & pori, in quibus eiusmodi superfluitas valeat contineri, immo necessariò post attractionem, & ante absolutam assimilationem contineatur? Donemus, non ęxtra venas alterari alimentum nondum assimilatum, sed in venis: quid tum? ergo non ex toto decedit; ergo vltimæ coctionis excrementum non est. An ista consequantur, viderint alij. Quis censuerit, iecur alterando assimilare chylum in venis per suum parenchyma dispersis, & negauerit, sanguinem ab eo viscere secedere, & dispensari? Sed ad rem; si pictura, vt pars viuens, colores per coctionem atq; alterationem efficeret, vtiq; quod remanet purpurissi ei simile, quod in imagine fuit insumptum, negari non posset, ab hac fuisse eadem passum, quæ id, quod iam in picturam migrauit: sed cum hoc sit pictoris opus, vt cum ex albo, v. g. & nigro cœruleum componit, nemo non videt, ex actione artificis, alterationem & transmutationem eandem subijsse quod remanet, cũ eo, quod consumitur: Haud secus, quàm quod ex digestione superfluit, ab eadem, quæ nutrimentum assimilat, facultate, eodem alterationis actu mutatur.

Sunt qui putent, ideo Philosophum adstruere, semen esse, quod ad totum suapte natura faciat, quoniam totum fętum vi quadam amplectatur, cum aliud efficiat; non autem, quod ab aliquo totius corporis vigorem habente secernatur. Alij dicunt, accedere ad omnem partem, accipi materialiter, & virtute; ab Aristotele verò virtute acceptum fuisse, non materialiter. Sed eiusmodi laruas, quæ statim

ac

ac iuxta illius orationem fuerint collocatæ, inter quam plurimas alias consimiles euanescunt, persequi in præsentia non est ex vsu; sufficiat, hasce distinctiones proposuisse, vt studiosi videant, ad quas machinas descendere cogantur Viri aliàs ingenio & eruditione conspicui, cùm verbis supra relatis vim inferre conantur.

Profectò Galenum fuisse non modò in Aristotele versatissimum, sed prætereа vbiq; locorum ingenuè germanos illius sensus eruere consueuisse, ita est apertum, vt nulla indigeat probatione. Nunc igitur tanti Viri hac de re iudicium aduersus eos potissimùm, qui
,, se Galeni sectatores esse profitentur, libenter profero: [Vnde
,, (inquit) [b] sanè demirari etiam hominem conuenit, qui cum in b 1. de Sē. cap. 12.
,, primo de Gene. ani. his verbis, quibus de seminis substantia ve-
,, teribus contradicit, demonstrare conetur, ex eo vnumquodque
,, membrum effici; inferius postea, ab eo, non ex eo gigni ait; ex quo
,, enim fiat vnumquodque sanguinem menstruum esse affirmat.]
En vt Aristoteli tribuat, quod voluerit, materiam seminalem, tanquam quid à sanguine contradistinctum, esse vlterioribus dispositionibus affectã, & ex qua vnumquodque efficitur membrum, quod per partes generari dicunt. Hoc autem fieri non potest, nisi istiusmodi materia quoquo pacto sub actu tertiæ coctionis extiterit.

Sed pergamus enucleare, quod verè Peripateticum reputatur. Semen igitur, vt ex Galeno elicui, ad Philosophi mentem vlteriori digestione elaboratum esse, atq; à coctione sanguinis ad partium naturam alteratum, vsque adeo apertè in illius verbis statutum compeerio vt mirari subeat, quomodo hæc in dubium reuocetur sententia:
,, [Sed (inquit) [c] cum ex sanguine concocto, digestoque, modo quo- c 1. de Ge. ani. c. 19.
,, dam pars quæq; gignatur, semen autem concoctum à sanguine
,, secernatur (Nam inconcoctum, aut per vim emissum, videlicet
,, cum vltra modum quis re Venerea vtitur, cruentum iam aliquibus
,, prodijt.)] Modo quicquid de cruẽta hac emissione post prostatas exinanitos statuere rationabile sit, his verbis apertè docet, à sanguine semẽ coctum, aut per coctionem confectum secerni: At nõ coquitur sanguis, neque immutatur, nisi ad partes accesserit, à quarũ calore alteretur, atque in nutrimentum vertatur. Ex his postea cõstare ait,
,, [Semen esse excrementum alimenti sanguinei, quod vltimum in
,, membra digeritur, & quidem vim magnam ob eam rem obtine-
,, re; sanguinis enim (inquit) sinceri, salubrisque secessio resoluere
,, potest, vtque filij similes parentibus sint, ratio exigit: simile est
,, enim, quod ad partes accesserit, ei, quod remanet; itaque semen
,, manus, aut faciei, aut totius animalis, est manus indefinita,

aut

„ aut facies, aut animal totum indefinitum, & quale quod-
„ cumq; illorum eſt actu, tale ſemen potentia eſt, aut corpulentia
„ ſua, aut facultate ſiue virtute, quam in ſe ipſo contineat; id enim
„ nondum ex ijs, quę expoſuimus, patet, Vtrum ſeminis corpus cau-
„ ſa ſit generationis, an habitum aliquem, & principium motus ge-
„ nitale obtineat.] In qua oratione tria obſeruatione digna occur-
„ runt; primum illis continetur verbis: [Sanguinis enim ſinceri, ſa-
„ lubrisq; ſeceſſio &c.] Ex quibus elicitur, ſeminalem corpulen-
tiam, tametſi eandem paſsa fuerit alterationem, quam id, quod per-
fectè eſt aſſimilatum, & iam in partium ſubſtantiam conceſſit; nihi-
lominus haud ita completè ad membrorum naturam eſse alteratam,
vt omnino ſub forma ſanguinis non permaneat. Secundò animad-
uertere oportet, dixiſse Philoſophum, propterea quòd excremen-
tum à membris decedit, magnam vim & pro reſoluendo generante,
& pro aſſimilatione fœtus obtinuiſse: Non aſſerit, ex hoc abſolutè
formandi facultatem ſemini prouenire, ſed conferre multum ad for-
mam imprimendam, quòd in ſemen eiuſmodi irrepſerit diſpoſitio.
Tertiò demum notandum eſt, fuiſse enunciatum, id, quod deceſſit,
licet ei ſimile ſit, quod ad partes acceſſit, nihilo ſecius tamen id ma-
num eſse indefinitam, & totum indefinitum. Quomodo autem in-
„ definitum intelligat, declarat ſtatim ſubiungens: [Quale quod-
„ cumque illorum eſt actu, tale ſemen potentia eſt, aut corpulentia
„ ſua.] id eſt, potentia materiali & paſſiua. [aut facultate ſiue virtu-
„ te.] intellige, effectiua & motrice [quam in ſe ipſo contineat. Id
„ enim (inquit) nondum ex ijs, quæ expoſuimus, patet, vtrum ſe-
„ minis corpus cauſa ſit generationis, an habitum aliquem, & prin-
„ cipium motus genitale obtineat.] Clarum igitur, ſeminis mate-
riam & corpulentiam ex Ariſtotele, à toto, poſt tertiam coctionem,
decidere, ac propterea eſse ad animalis generationem valde diſpoſi-
tam.

Neq; hanc ob rem (quod aduerſarij pro inconuenienti inferunt) ipſe in antiquiorum, quam reprobat ſententiam, conceſſit, quando hi ſemen completum, vt colliquamentum à toto arbitrabantur ſecerni. Forteq; fuerunt iſtius placiti aſsertores Pythagoras, Democritus, Leucippus, Anaxagoras, Empedocles, & ſi qui alij ante Ariſtotelem elementa poſuerunt impatibilia, ac per corporum defluxiones ſimile a ſimili generari. Vnde Epicurus, horum ſectator, ſemen
† Cap. 5. (vt paulo ante notabam †) animæ & corporis conuulſuram opinatus eſt, poſuit in ſemine formata membra, & præterea cum Pythagora & Democrito coitum ſemper noxium, nunquam ſalutarem exiſtimauit,

uit, vtpote in quo homo semper exiliret ex homine. d Contra autem Aristoteles esse hoc censuit excrementum, & reliquum eius alimenti, quod ad partes accessit, atque in alimentum consumptum fuit; & quod ipsi sustinebant ita esse formatum, vt ex eo, quod à manu v.g. decessisset, nihil præter manum posset constitui, ipse indefinita potentia manum esse voluit, quia nimirum ea seminis portio, per coctionem inde receptam, non ita contrahatur ad manum, vt ex ipsa, aut ab ipsius vi, nequeat etiam brachium generari, immò & facies, & crus. Colliquationem cum voluptate stare non posse, iudicant Recentiores, indeque à consentaneo esse maximè alienum, tantam priscos illos mandragoram bibisse, vt non nouerint, se sua iugulare decreta, vbi ex totius corporis oblectatione seminis à toto decisionẽ confirmassent. Sed an hi res ęquè, vel fortè etiam magis absurdas, contradictionemque implicantes protulerint, adeoque irrationabiles, vt meruerint ab Aristotele paralogizantes vocari, & agrestes & balbutientes, puerilia insuper enunciantes, nimisque simplices atque inconsiderati quinimo etiam stolidi & deliri, crassę ignorantiæ, & demum etiam furiosi, alijs iudicandum relinquo, qui sint in Aristotelis lectione versati.

d Vit. Pli. lib. 28. ca. 6.

Quid si separationem concesserint sine voluptate fieri? vel si vis etiam, existimauerint fieri cum aliqua tristi partium sensatione, sed longo tamen interuallo superare voluptatem, quæ ex materiæ titillantis transitu per partes exquisitè sentientes enascitur? ex hoc enim apud istos causabatur delectatio, aut dulcis tactus, de quo Lucretius. e

e 2. de Re. Nat.

» Sunt etiam, quæ iam nec læuia iure putantur
» Esse, nec omnino flexis mucronibus vnca,
» Sed magis angululis paulum prostantibus, & quæ
» Titillare magis sensus, quàm lædere possunt;
» Fęcula iam quo de genere est, inulæque sapores;
» Denique iam calidos ignes, gelidamque pruinam,
» Dissimili dentata modo compungere sensus
» Corporis, indicio nobis est tactus vterque.
» Tactus enim tactus (prò Diuum numina sancta)
» Corporis est sensus, vel cum res extera sese
» Insinuat, vel cum lędit, quæ in corpore nata 'st;
» Aut iuuat egrediens genitales per Veneris res.

Neque quidquam officiunt antedicti Recentiores, vbi considerãt, » dixisse Philosophum; [Semen esse excrementum alimenti san» guinei, quod vltimum in membra digeritur.] non autem [Quod

 vlti-

„ vltimum in membra digestum est.] Primum, quoniam Grammatica hæc præsentis & præteriti temporis, animaduersio nimium scrupulosa videtur, & est. Quapropter neque graues interpretes turbauit iste dicendi modus, qui promiscuè vsurpant quod distribuitur, & distributum. Deinde, quoniam, quæ ipse subiungit Aristoteles, quæque alibi scribit, apertissimè patefaciunt, eiusmodi excrementum superabundare coctioni, quæ celebratur in toto. Nam (vt notabam) & facere aliquid eiusmodi dispositionem ad similitudinem docuit, & superfluitatem hanc esse ad instar Andriceli, quod ex pictura remansit, & fortè alia alibi, quæ hanc veritatem attestantur.

Sed valeat quantum uis, multumque importet ille dicendi modus; Asserit Aristoteles, semen esse excrementum sanguinis, qui per membra digeritur; nō dicit, qui per venas dispensatur, aut distribuitur: Dicit, [digeritur.] vt intelligatur, in ipso actu coctionis, quæ fit in toto, tanquam vtile quid alteratum, & sola quantitate redundans secerni. Quapropter Albertus, *f* inter Aristotelis interpretes primi ordinis, rectè animaduertebat, alimento in quarta digestione (supponit cum Arabibus tertiam in venis fieri) primò accidere digestionem seu alterationem; secundò assimilationem; tertiò apprehensionem à specie membri, quando iam diuisus humor imbibitur membris; & quartò vnionem, quando vnitur, & omnino cum „ substantia partis nutritæ identificatur. Post hæc notabat, [pri„ ma duo fieri in humore extra membra, & secunda duo in mem„ bro, quando diuiditur humor, & distribuitur per membra, & „ post secundum fieri decisionem seminis: & quia illa similitudo „ est vniuersalis, præcipuè membris similibus, ex quibus vbique „ per totum componuntur membra composita instrumentalia, ideo „ vniuersaliter secundum illum modum,] opinatur rectè dici, à toto corpore sperma decidi; in qua sententia, vt consentientem habuerit Auicennam, proposito Aristotelis addictissimum, liquidò „ constat, vbi sustinuit, *g* [sperma esse superfluitatem digestionis „ quartæ, quæ fit, cum dispertitur cibus in membris, resudando à „ venis, tertia digestione iam expleta. Et est de summa humidita„ tis proximæ tempori coagulationis, ex qua nutriuntur membra „ radicalia, vtpote venæ, & arteriæ, & similia illis. Et quandoque „ reperitur de ea plurimum sparsum in venis, ad quod iam præces„ sit digestio quarta, & remansit, vt nutriantur ipsæ venæ.

f 3. de animal. Trac. 2. c. 8. & lib. 15. Trac. 2. cap. 6. et 10.

g 3. cano. Fen. 20. tract. 1. c. 3. Vide etiam 15. de Nat. anim. c. 3.

Porrò autem, quoniam in similibus difficultatibus nihil magis expedit, quàm Græca ipsa exemplaria diligenter consulere, reperio ego, quosdam codices habere, διαδιδομένης, præsentis temporis Parti-

ticipium, & hoc rectè vertunt, [quod digeritur;] alios verò, διαδεδο-μένης, quod Participium præteriti est, & idem importat, quod Latinè [digesti;] quemadmodum multi legunt, inter quos Conciliator, h Foroli. i Dinus, k Thom. de Garbo, l & alij plerique, è quorum numero censetur etiam Auicennas; m vt huius discriminis sola mutatio litteræ ε, in ι, vel ι, in ε, causa existat; quæ tam facile in Aristotelicum textum potuit irrepsisse, quàm facile est in proposito sensum vnum pro altero citra absurditatem accipere. Interpretationem autem Dini, Foroliuiensis, & Thomæ de Garbo, n qui, quod dicitur distributum, idipsum esse putant ac si enunciatum fuisset, quod potest distribui, aliorum iudicio censeo relinquendam.

h Dif. 24. i Sup. cap. de Gener. emb. q. 3. K ibidem q. 1. l 1. de pot. & vir. an. tract. 5. q. 56. m Locis supra cit. n Loc. cit.

Atque hoc loco considerari debet, nutritionem plurimam habere latitudinem, quæ cadit inter primam sanguinis alterationem, & postremam consummatamque mutationem, quæ est in naturam & substantiam nutriti: Inde si quid demitur, aut subtrahitur ex alterato, meritò dici, id esse portionem eius, quod digeritur; per hoc tamen non tolli similitudinis dispositionem, & secessionem à toto. Quamuis notare oporteat, portionem hanc alimenti vltimi, quæ semen fieri dicitur, si ad id conferatur, quod eodem mutationis actu in membri substantiam transiuit, reliquum mutati & distributi rectè vocari. Quid plura? ipsimet contra opinantes, Aristotelem voluerunt in præallegato Capite docuisse, verum semen esse sanguinem vlteriore coctione coctum, quamquam de suo, [in seminalibus locis,] addiderint, cum tamen ipse Philosophus indeterminatè omnium membrorum mentionem fecerit, & menstruum quoque sanguinem semen esse apertissimè docuerit.

Verùm neque omiserim hoc loco Aristotelis textum, in 2. de Geni. o qui ex Gazę versione habet, semen esse superfluitatem alimenti mutati. Quamquam in Græco codice vetusto his verbis Græca respondere animaduerto: τὸ γὰρ σπέρμα περίττωμα μεταλαβούσης τῆς γαστρός
„ ἐστι. Quæ Latinè ad verbum translata sonant: [Semen enim excre-
„ mentum est ventris, qui concepit.] Sed haud mihi probabile fit, eruditissimum interpretem adeo licenter quod importat, [ventris,] reddidisse, [alimenti;] credibile magis est, ipsi emendatioris codicis copiam extitisse, qualis fuit Iulio Pacio Vicentino, Gręcè, Latineque doctissimo, habens loco τῆς γαστρός, τῆς τροφῆς. & loco μεταλαβούσης, μεταβαλλούσης. quod ipse vertit, [mutati.] Quicquid tamen de hoc statuatur, quod peritiorum iudicio determinandum relinquo, sit nunc ex hucusque disputatis stabilis, atque abundè demonstrata prima conclusio, Seminalem corpulentiam, Aristotelis sensu, ex tertia

o cap. 3.

coctione à singulis corporis partibus esse deciduam. Remanet secunda ab initio proposita conclusio, in Aristotelis doctrina probanda, nimirum corpulentiam seminalem à toto prouenientem cordis calore, & spiritibus fecundari. Vt igitur intelligatur, debere hanc alimenti vltimi superfluitatem, secundum Philosophi mentem, colligi circa precordia, prope vitę, calorisque insiti & naturę fontem, vbi repleatur spiritibus, atque animastico principio donetur, notandum est id, quod Capite illo 18. 1. de Gen. an. præmisit, vbi habet:

„ [Itaque in ijs etiam maribus, qui semen emittunt, non causa ge-
„ nerationis est, quod ex toto secesserit, sed alio quodam modo, de
„ quo postea videbimus.] Deinceps considerandum, quod scripsit
p 2. de ge. „ posterius per hęc verba: p [Quædam non emittunt genituram, sed
an. cap. 4. „ vt quæ emittunt, motu sue geniturę creant, quod instituitur ex
„ materia contenta in fœmina: sic ea motu suo interno in ea parte
„ contento, vnde semen secernitur, idem faciunt, & constituunt.
„ Pars ea locus septi transuersi est in omnibus id habentibus; princi-
„ pium enim naturę cor, proportionale uè est.] Et rursum inferius: q
q eod. lib. „ [Purgationes autem seminales à septo veniunt; principium
c. 5. in fin. „ enim naturę hinc est.] Non me latet, nulla ea in parte receptacula reperiri, in quibus seminalis humiditas colligatur, pręter communia sanguinis & spirituum; nullas esse peculiares atque expeditas vias, per quas effluat, nisi illę sint caua vena, & aorta, ex quibus seminaria vasa procedunt. Vtcumque tamen res habeat, ita Philosophus censuit, vel quia loca ista sufficere posse crediderit ad materiam illam recipiendam, seorsumque à sanguine continendam; vt cum idem vrceus aquam & oleum continet impermixta: Vel quia persuasum habuerit, alia conceptacula non deficere. Vt enim tunc rudis erat Anatome, quòd minus in ea versari aut permitteretur, aut consueuissent sapientes, ita opinari potuit Vir sublimis, & decipi. Quem-
r in com. admodum in attinentibus ad hoc negotium, vel Diu. Hippocra-
libri de tem & Platonem aliquando eandem ob causam deprehendimus ab-
Nat foet. errasse. Dinus r ex allegatis Aristotelis locis conatur deducere, semen
in quęst. *quę est à* pro tanto à corde secedere, pro quanto à superfluo illius nutrimento
f. 69 inf. procedit; superfluum (vt apparet) cordis alimentum existimans es-
f 1 de gen. se sanguinem, in arterijs contentum, sed quid hęc opinio habeat ra-
an. ca 19. tionabilitatis, ex iam discussis palam est.
& 20. & *lib. 2. c. 3.* Modo ad rem. Menstruum purum & fœcundum, dicit Aristote-
& lib. 4. les, f proportione geniturę masculeæ respondere, semenq; esse, quam
c. 4. & 5. quam indigens confectionis: At hoc quoque colligi ad septum, di-

citur.

citur ex tertio de Gen. ani. cap. 1. & lib. 4. cap. 8. vbi de ventre superiori, & regione cordis verba faciens: [Hinc (ait) seminale quoque excrementum secernitur, ob eam, quam inter initia disputationis nostrę reddidimus causam.] Quam autem causam reddiderit, iam fuit expositum, quòd ibi naturę, calorisque & spirituum resideat principium, nempe cor. Subiungit tamen hoc loco: [Est enim naturę sanguineę tum excrementum maris, tum menstrua fœminę; sanguinis autem, & venarum principium cor est, quod in ea ipsa parte superiore positum est. Quapropter hic primùm excrementi talis mutationem innotescere necesse est.] quasi dicat, ex sympathia huius humoris cum suo principio fit, vt ab eius vi & facultate regatur, atque vbi à toto deciderit, ad ipsum feratur. Inde postmodum spiritibus repletum & fęcundatum secerni, vt generationis opus expediat, rationi cōsonum est. Quòd autem in plexibus, aut testibus formaliter dearticuletur, satis ex Philosophi doctrina nō est perspectum.

Scio, Recentiores nominis atque eruditionis conspicuę, duplicem ex Aristotele semini originem fecisse: alteram in toto; & bene, si ex singulis particulis solam corpulentiam, non etiam spiritus deduxissent: alteram in testibus, vbi fęcundetur & perficiatur; sed perperam postrema hæc, licet fundamentis non careant probabilibus, quæ si hoc loco particulariter sub examen vocare vellem, actum ab alijs fortasse agerem, & facile in molestam prolixitatem inciderem. Colligamus igitur ex iam adductis auctoritatibus, quod magis principijs Peripateticis consonum est, semina à corde habere, vt sint fęcunda, & generandi vi prædita.

Quamquam silentio inuoluere non debeo sententiam, quæ alicui fortasse scrupulum inijciat, ipsum scilicet Philosophum aliquando videri cerebro etiam, ʳimmò (quod minus probabile apparet) oculis vim seminis prolificam acceptam referre. Quarta enim Problem ᵘ profitetur, ab oculis vim ad semen transmitti: [Oculos verò (inquit) & locum his proximum, vim ad procreationem maximè obtinere, docent illinimenta, quæ mulieres tam steriles, quàm fęcundę experiuntur, vtpote cum vis ad semen transmitti hinc debeat.]

r 10 sect. proble. 56.
u probl. 2.

Non desunt, qui probabiliter suspicentur, Problematum sectiones, quæ sub Aristotelis nomine leguntur, esse supposititias, quòd pluribus locis se in problematicis nonnulla scripsisse memoret, quę nusquam habeantur. His tametsi omnino non ausim subscribere, Iouem tamen lapidem iurarem, problema illud 56. 10. Particulę,

ticulæ, in quo ſemen à cerebro labi per ſpinam aſseritur, vel omnino Ariſtotelis non eſse, vel reducendum ad illum ſenſum, ad quem reduci debet ſecundum quartæ Particulæ, nimirum caſtigatum iuxta ſententiam, quę 2. de Gen. an. cap. 5. magis Peripatetica & rationi cõſona habetur. ὅ τε γὰρ (inquit ibi) περὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς τόπος σπερματικώτατος τῶν περὶ τὴν κεφαλήν ἐστι. Quæ ad verbum Latinè ſonant: „ [Et locus enim circa oculos ſeminaliſſimus eſt eorum, qui ſunt „ circa caput.] Modò iſtius enunciati ſenſui non repugnat, immo maximè conſonat, ſi ſuſtinueris, ſemen à toto, quamquam potiſſimũ à capite & oculis procedere; deinde collectum fœcunditatem à corde acquirere. Atque hucuſque ſatis actum cum Ariſtotele.

De Galeno, quid attinet dicere? Conſtat, ipſum pro materia ſeminis ſumpſiſse ſanguinem & ſpiritus, qui in vena & arteria ad teſtes deſinentibus, anaſtomoſique & plexibus complicatis continentur; expreſseque vitalem (vt alibi cumulatè patefeci x) ſolummodo ſemini conceſſiſse: Deinde teſtibus principatum, omnemque efficiendi ſeminis vim tradidiſse; Conſtat de ſimilitudinibus, earumque cauſis (quod & Ariſtoteles fecit) pertractaſse, neque tamen aliam in ſemine virtutem agnouiſse, quam quæ ipſi eſt à teſtibus indita.

Cum igitur, ſicuti iam dixi, y conſidero, duo hęc Philoſophię lumina, quibus & quę de mancis, & quę de morbis hęreditarijs, deque alijs id genus affectibus proferunt Recentiores, fuere perſpecta, formatores hos ſpiritus à toto deciduos non introduxiſse, ſed vtriſque ſufficientem viſam principis membri virtutem fuiſse, quæ ſemini impreſsa, totius conformationis ſit architectrix, minus promptè in poſteriorem hanc ſententiam inclino. Atque eò minus iſtis ſpiritibus faueo, quòd eorum introductionem multis videam vrgeri difficultatibus, in quibus poſthac accuratè verſabor, tum vt conſtet, me ab amicis non diſsentire, niſi multa coactum rationis vi; tum quia ambiguitatem omnem in pręſenti ſpeculatione velim eradicari.

x De Incal. cap. 4.

y Cap. 6. ab initio.

piſ:

Difficultates aduersus spiritus, quos à singulis corporis partibus ad seminis fabricam confluere, statuunt Neoterici.

CAP. VII.

PRimùm igitur difficultatem habet, quod dicunt, spiritus, qui singularum partium ideas aut temperamenta susceperunt, ad semen faciendum confluere: etenim vel hi extra vasa reperiuntur, adiacentes & applicati solidis; vel in proprijs adhuc conceptaculis continentur. Si extra vasa, qui esse possint, non video, nisi „ forsitan ij, quorum meminit Galenus scribens: † [Quamquam † 5. Simp. „ nos iam antè spiritum innatum, etiam si non sit animæ essentia, cap. 9. „ saltem primum eius esse instrumentum, in Commentarijs de Hip„ pocratis Platonisque placitis demonstrauimus; & certè dicimus, „ eum spiritum in omnibus animantis contineri partibus, sed non „ vndiquaque esse sui similem, veluti nec sanguinem, necesse est: „ Tum in spatijs inanibus non paruam eius inesse substantiam, im„ mò potius velut materiam quandam, leuiculam etiamnum muta„ tionem exposcentem, ad innati spiritus qualitatibus suis absoluti „ generationem; nihilo secius tamen iam tum etiam admodum ad „ naturalia opera conducentem.] Modò num hic spiritus ex eorũ sit ordine, quos oberrantes appellant, & per vniuersum corpus quàm celerrimè discurrentes & volitantes; an propinquissimè ad fixorum naturam accedat, viderint alij.

Sed solutus sit quantumlibet, mobilis, & subtilis, huius profectò in venas atque arterias regressus vix, aut ne vix quidem poterit sustineri. Quo enim instinctu venarum & arteriarum oscula sensum effugientia inueniet? Quæ hunc expellet facultas, aut trahet? Natura certè partium non expellet, quia hæc res ipsis est proficua & familiaris, nulliusque vel quantitate noxæ, vel qualitate. Deinde si expellat, cur ad hanc magis, quam ad aliam partem, non video. Sic si suapte natura nunquam consistat, nondum satis intelligo, cur vniuersus vnà ad testes cursum dirigat, non partim huc, partim aliorsum separatim deflectat? vel etiam, cur non ad vnum aliud membrum totus decurrat? Quod si aliquando vitales vniuersi atque affatim mouentur, & retrahuntur ad cor, id principij, à quo prodeunt, conditio

exigit:

exigit : Vrget quoque necessitas, vt ibi multiplicati se, viriumque suarum radicem, tamquam in arce munitissima tueantur; euenitque tunc, vt his destituta membra collabantur & concidant. Quod in ipsa confectione seminis non contingit, immò neque in colis erectione, aut seminis effusione, in qua licet quoquo pacto soluantur vires, id tamen alias potest habere causas, prҿter hanc, quòd spiritus, qui sunt in ambitu, deserant partes, & confluant ad genitalia.

Sed concedatur, spiritus ad semen sponte concurrere, aut si vis etiam, animæ nutu, qui tamen in seminis elaboratione, affectu deficiente, non habet locum; Tunc quæro, an omnes confluant, vel horum pars? Non omnes, quia nimis multi eò concurrerent, vnde reliquum corpus vniuersum prorsus deficeret; ergo eorum pars. At quæ maior ratio est de hac, quàm de alia portione? si, vt fors tulit, ad testes perueniant, fortuitus quoque erit eorum vsus, quod aduersarios omnes dicturos non credo: sponte igitur accedere spiritus, vel animæ nutu, non est probabile.

Verùm neque trahent testes, quorum naturalem facultatem non esse tanti, vt à toto trahere possit, & Neoterici ipsi, qui hos introducunt spiritus, contra Ferneliũ, Recentioresq; alios, cumulatè patefaciunt, & ego mea hac consideratione, Galeni auctoritati atque iudicio innixa, manifestabo. Primùm enim constat, facultates per maximum, quod valent, semper mensurari consueuisse; deinde testes tunc vehementissimè trahere, cum alimenti, adeoque succi familiaris, nec non propriorum spirituum inopia summopere vrgentur. Modò quid tunc accidat, vel accidere posse, rationi consonum sit, ex Galeni discamus sententia. Censet ipse, a ei, qui coitibus frequentibus operam dederit, & anfractus, & testes ipsos omnino semine vacuari; qua in re adeo consentientem habet Aristotelem, vt is memoret, ab intemperantibus, qui frequentiori Venere vtuntur, interdum ex defectu seminis, sanguinem ipsum effundi. Ea igitur occasione vero simile putat Galenus, testes ex proximè superioribus venis atque arterijs materiam coquendam attrahere, idque raptim, & multa vi:

a 1. de semin, c.16.

Has verò deinceps, vt sibi prospiciant, à superioribus alijs, & sic alias
,, ex alijs successiuè eam prolectare; [vsque dum in omnem corpo-
,, ris partem trahendi hæc vicissitudo diffusa, omnibus animalis mē-
,, bris proprium alimentum eripiat: Attrahit enim subinde id,
,, quod penitus exinanitum est, ab eo, quod plus habet, quasi violen-
,, ter rapiens. Cùm igitur hoc semper fiat, & omnia, tamquam
,, in chorea, sibi inuicem alimentum tradant, omnia animalis vasa
,, & membra tantisper euacuari necesse est, quoad repleatur id, quod
,, poten-

„ potentissimum est. Atque hoc modo accidit, vt his in occasioni- „ bus omnes animalis partes non tam seroso humore, quàm vitali „ etiam spiritu priuentur; siquidem hic quoque ex arterijs, vnà „ cum genitali humiditate excernitur.] Si igitur in tanta trahendi necessitate, testium vis solummodò ad propinquiora extenditur vasa, neque ad totius ambitum & remotiora pertingit, nisi quatenus intermedię venarum atque arteriarum tractiones, quæ multæ sunt, atq; ad plures horum vasorum terminos ordinatę, successione quadam spiritum membris atq; alimentum eripiunt, quid causę erit, vt maiores conatus testes adhibeant ad spiritus trahendos, quo tempore nutrimento & spiritibus saturati sunt, sedateque & sensim alterant genituram, ac materiam, quæ copiosa affluit, allicere potius lentè videntur, quàm attrahere? Non apparet igitur ex dictis, quid sit, quod hos spiritus extra vasa partibus adiacentes in venas reducat, atque ad genitales partes promoueat.

Verum quicquid sit de hoc, accipiamus nunc, quod vltrò ab aduersarijs concessum iri, dubitandum non est, eiusmodi scilicet à toto delapsos spiritus, siue in spatijs, siue in proprijs conceptaculis contenti fuerint, influentis naturam seruare, ideoque non solùm citatam mobilitatem, sed substantiæ etiam tenuitatem retinere; tunc difficile intellectu est, quonam pacto à cōtactu partium earum ideas, temperaturasuè suscipiāt, & susceptas conseruent: etenim si eiusmodi, quam sigillationem appellant, figuræ impressionem importet, qualis ea est, quæ ab sigillo impresso cerę inditur, hoc dubio procul dictu audituque est perridiculum, ac penitus impossibile. Imprime tu, quisquis es, qui hanc imaginationem concipis, in aquam tuo annulo sphingem, anchoramuè, aut quamlibet aliam figuram, ita ut ad aliquod breue tempus, sigillo ablato, remaneat. Ego certè me id posse præstare penitus desperarem. Quanto minus id fieri poterit in tenuiori corpore, & subtiliore, immò quàm propinquissimè ad incorporeorum naturam accedente?

Dices forsan, has membrorum species spiritaliter, vt visibiles in spiritibus animalibus recipi, atque ad tempus seruari. Nugaris, mihi crede, quicumq; in tanta infantia versaris, vt hæc insomnia habeas persuasa. Quo enim medio, quo organo, quá subiecti dispositione fiet hæc receptio? Et si eiusmodi recipiantur figurę sa, (quod eruditissimi Laurentij commentum fuisse video b) quemadmodum in aere figurarum & colorum species recipi consueuerunt, quomodo vel absente etiam re figurante, & colorante seruatur impressio? An quia spiritus ab anima regulati valeant retinere? Sed cur

b 2. op. an. q. 30. vide illius opinionem de spiritibus & formatrice à toto deciduis, eodem li. q. 15. in Codi. Frã confundentem, quem semper citabo. Ima Veneto li. 8. q. 4.

cur regulari ab anima retinent? Ego nullam causam inuenio, nisi quia tales formæ ab anima cognoscuntur, suntq; propria illius obiecta, ad quæ, vt primò, & per se afficiatur & formetur, ipsa ordinata facultas est. At neq; receptæ membrorum imagines ab vlla generatis facultate percipiuntur; neq; si percipiantur, spiritus vllus ex ijs, qui talibus animæ potentijs inseruiunt (vt mox aperiam) ad seminis fabricationem concurrit. Præterea spiritus, quicumq; illi fuerint, neque vnguium imagines neque cutis, neque membrorum conuexa, neque intima ossium, hoc valent spiritali modo suscipere. Hęc tamen omnia effingunt, qualia prorsus in generante. Quid plura? spiritus, qui fuerit extra vasa, procul dubio poris inanibus comprenditur, in quibus, nisi solidæ partes sint prorsus diaphanæ, nullam aliam speciem, quàm circumstantis corporis, quæ porositatis formam habet, recipiet: Id ipsum de eo, qui in venis atque arterijs, dictum puta. Per corpus (aiunt) volitat vniuersum, atque discurrit. Sed oberret quantum vis, ego alias vias ipsi expeditas, præter venas & arterias, non agnosco; & si, quòd celerrimè huc atque illuc cursitet ac moueatur, membrorum ideas concipit, nulla maior ratio est de hac spiritus portione, quę musculi figuram retinet, & in conceptu exprimit, quàm de alia, quæ iecoris, aut pulmonis formam contrahit. Concedo, spiritui mirabiles esse vires; sed nõ cõcedo, irrationabilia & captum excedentia illius potestatibus, sola imaginatione suadente, tributa, qualia eiusmodi sunt figmenta, & alia pleraque, quæ posthac considerabuntur. Satius igitur fuerit profiteri, in tantum à singularum partium contactu eiusmodi sigillari spiritus, in quantum alterati eorum temperamenta suscipiunt.

Eia ergo practicè pensitemus, quomodo spiritus influentes, potissimùm intra vasa, quantumuis exilia, sub hac influentis forma seruati, valeant partium, ad quas distribuũtur, temperamenta & naturas induere. Primùm, huic impressioni obstat continua mobilitas, cuius merito alterationi, quæ subiectum stabile, & non subterfugiens expostulat, minus videntur obnoxij. Volebant Recentiores, alimentum non accipere temperamenta partium corporis, nisi assimilatum, vel saltem agglutinatum; & si alteretur simpliciter adhęrens, & non agglutinatum, eam alterationem esse leuiorem, quam vt temperamenta semini imprimenda recipere valeat. Quid ergo dicerent de spiritibus nusquam, & nunquam consistentibus, qui in complantatos nondum fuere mutati; idque eò magis, si in arterijs & venis adhuc repositi sint? obstat huic alterationi corporis spiritalis tenuitas, in qua nulla tam vehemens alterationis impressio fieri po-

ri potest, quæ facile, semoto alterante, vel sponte sua non euanescat. Obstat temperamentorum multiplicitas, quę actualiter in vnius arteriolæ spiritu, puta digiti, recipi debet, cuiusmodi sunt complexiones ossis, nerui, ligamenti, & reliquorum, quæ ad illius organi constitutionem concurrunt. Demum obstant materiales qualitates, quę temperamenti comites inseparabiles sunt: Nihil enim est tam tritum in Philosophia, quàm quòd formæ substantiales proprias dispositiones in materia postulant & supponunt, quemadmodum ipsi etiam, quibus cum mihi in pręsentia est disputatio, contra alios Recentiores optimè asseruerunt. Qui igitur fieri potest, vt spiritus sub suo naturali temperamento, forma, & materialibus conditionibus remanens, nihil, quod ad tenuitatem pertineat, nihil quod ad citatam mobilitatem, perpessus, ossis (gratia exempli) temperamentum contraxisse putetur?

Sed concedamus in hoc aduersę sententię, & spiritus per corpus distributi vtcumq; has induant complexiones; concedamus, siue extra vasa, siue in vasis reperiantur, nihil, quę de causa eos mouente considerata fuere, habuisse momenti, profectò adhuc non leues ex considerandis, concurrendi modo, via, ordine, quantitate, & fine difficultates emergunt, quę hos spiritus, quocumq; tandem tempore ad semen confluant, possunt excludere. Ex modo, quoniam vel confluunt, quo tempore semen excoquitur vel in ipso concumbendi actu, vel vtroq; tempore. Si dum conficitur semen, primùm liquet, hoc fieri sensim sensimq;, & iugiter sanguinem & spiritus trahi, in ijs potissimùm, qui non intemperanter Veneri indulgent, Quare continua deberet esse spirituum decessio, & semper in promptu, quod tamen longe est à probabilitate remotum. Deinde, an possibile est, non alios in vena & arteria seminali spiritus, qui trahi possint, haberi, nisi qui à toto decesserint? & si qui sunt, & ad testes confluunt, vel trahuntur, nihil eos ad fęcunditatem seminis habere mo[illegible]s habent, formatrici nō inseruire? & si inseruiunt, non pos[illegible] à toto confluentibus formationem institui? Hæc autem quanquam omnia absurditatem redoleant, omnium tamen longè absurdissimum foret, si quis huic sententię pertinaciter addictus, vellet alterationem spirituum, atq; impressionem à singulis partibus semel susceptam, vsque adeo indelebilem esse, vt à crassamenti commixtione, validissimaq; testium coctione non sit transmutabilis, & re vera non transmutetur.

Vnde qui asserunt, communes spiritus, quos ad seminis constitutionem concurrere, negare non possunt, ab ijs limitari, qui à toto

fuere decidui, rem omnino impossibilem adstruunt. Si spiritus à corde, primo & validissimo suo opifice alterati, illiusq; calore donati, à singulis partibus alterantur, atque ad propriam naturam conuertuntur, ita vt non amplius cor generaturi sint, sed manum aut crus; quanto magis testes eiusmodi temperaturas, quas liceat ascititias nominare, & leuius impressas, euertent, immutabunt, delebunt, propriamq; ideam insculpent, potissimum in tanta mora & commixtione, cuius merito vel seorsim, vel vnà cum crassamento in vnam communem formam conspirant? Substantiæ tenues, quales aqua, aer, spiritus, & similes, Galeni c atque experientiæ testimonio, facile quascumq; impressiones recipiunt, sed quàm facillime etiam (vt antea dictum) vel sponte sua deponunt, ne dum si diuersis, aut contrarijs alterationibus afficiantur; idq; si humoribus in viuente accidit (quæ Actuarij consideratio est, d) quidni etiam spiritibus? hocque breuiori tempore, & negocio faciliori, quando corpora spiritalia tenuitate aqueis euidentissimè præstant? Profectò si ex contactu partium harum Ideas (quod iam impossibile iudicatum fuit) spiritaliter induerent ad eum fermè modum, quo animales spiritus visibiles species creduntur recipere, & ad tempus etiam seruare; ex hac analogia eiusmodi possemus Idearum conseruationem, permixtione & contactu diuersorum non obstante, aliqualiter sustinere; sed enim alteratio materialis, ex qua subiectum substantialiter transmutatur, atq; afficitur, vel nouum acquirit essendi modum, est in causa vt subiectum ex noua passione semper dispositionem præcedentem exuat, atque ad nouam inclinet, sub qua maneat, quousq à superueniente alia affectione patiatur & transmutetur. Atque hoc loco (vt nonnullos ex contrariæ sententiæ assertoribus particulariter alloquar) animaduerto, quòd cum aduersus aliorum Recentiorum opinionem disputarent, qui semen à toto deciduum, ideoq; membrorum ideis
„ impressum sustinuere, ita ratiocinabantur: [Materia hæc quæ
„ à membris deuenit, substantialiter ab ipsis testibus transmutatur;
„ In testes enim deuenit sub forma sanguinis, & ibi acquirit seminis
„ formam, vnde formam nouam acquirit deponens priorem: At nō
„ potest fieri mutatio secundum substantiam, nisi mutetur tempe-
„ ramentū; ergo temperamentorum sigilla à membris impressa in
„ materia, ex qua fit semen, delebuntur] Modò isthæc omnia recipiens dico ego; cum forma substantialis ex aliqua materia educitur, vtique substantialis succedit mutatio; per istos anima, quæ forma est substantialis, & secundum suum esse perfecta, ex spirituali materia, quę in semine est, educitur; ergo in his spiritibus fit mutatio se-

cundum

c de ineq. intemp. c. 4.

d 1. de spiritibus c. 9

cundum substantiam. Placet insuper ijsdem, haud posse fieri mutationem substantialem, quin mutetur etiam temperamentum. A primo igitur ad vltimum, in spiritibus quoque eorum conclusio sequi-
„ tur, quę est: [Ergo temperamentorum sigilla à membris impres-
„ sa in spiritibus delebuntur.] Nisi forsan velint, animam ex omnibus spiritibus ad semen confluentibus non educi, sed solum ex communibus, dimissis particularibus, qui, quomodo præsentes, commixti, eiusdemque adhuc naturę cum communibus existentes, actionem testium & transmutationem effugiant, non discerno.

Particularis impugnatio spirituum, quos in ipso concumbendi actu ad semen irruere putat Fernelius, eiusque Sectatores.

CAP. VIII.

Nunc remanent alię difficultates considerandę quę horum spirituum in ipso concumbendi actu confluxum oppugnant. Ex Recentioribus Fernelio subscribentibus, illi, quorum nuper mentio facta est, statuebant, menstrua non impura haud posse esse spiritibus referta; & si quos recipiunt, eorum merito particularium membrorũ dispositiones nõ posse impressas
„ gestare. Afferebant rationem, quoniam [pauci, qui in ipsis con-
„ tinentur spiritus, sunt in transitu, non permanentes, non per ali-
„ quam illius transmutationem, veluti sunt in humore, ex quo se-
„ men in vasis seminalibus & testibus conficitur.] Et antea Peripatetico concedebant, absque diuturna detentione & commixtione, quę in plexibus fit, spiritus cum semine non confundi. Nunc, vt appareat, quantum suo excitatori, in hoc negocio tribuere debeant, qui voluit, hos spiritus in ipso tantum Veneris actu à toto ad semen irruere, vniuersũ recitatum sermonem, solido atque erudito Philosopho dignum, ad seminalem materiam, quę in prostatis continetur, transfero. Nonne ibi spiritus à singulis partibus delapsi longè magis in transitu, & non permanenter, attingunt semen, quàm attingant mẽstruum in uenis contentum? Nonne absque coctione atque elaboratione diuturna, quę in plexibus & testibus celebratur? Quomodo ergo potest

† Ab Haly à techn. citatù Conc. dif. 34.

teſt ſemini ex horum cõtactu aliquid inſculpi, & inſeri, quod ad formiam partium atque ideam quicquam valeat habere momenti?

Dicunt, pro erectione pudendi multos à toto concurrere ſpiritus. At hoc enunciantes, aſſumunt pro euidenti; quod precipuè & maximè eſt controuerſum: etſi enim nõ negauerim, cauſas diſtendendi colis calorem ac ſpiritus eſſe, ſi tamen & flatus addideris, qui illius partis caua corpora, fungoſa, arteriarũq; & venarũ ſexcentis complicationibus contexta replent, & infarciunt; hanc tamẽ omnem ſpiritalem materiam prętẽdam ego à proximis, non à remotioribus venis atque arterijs aduocari. Quod ſi ſpiritus, à quibus colis inflatio fit, ab omnibus ſemper membris, quorum natiuo calori fouendo, & reficiendo dicati ſunt, deciderent, ſuccederet ex hoc, animalia, potiſſimùm quibus ſtatis temporibus ſæpe & multum pudendum erigitur, prorſus exanimari, & quàm citiſſimè contabeſcere, neque vnquam ex emiſſione ſeminis leuari, contrà quam Ariſtoteli [a] & Galeno [b] viſum fuit, quibus etiam quotidiana adſtipulantur experimenta. Et pręterea aliud ſequeretur incommodum, quòd minima deciſi ſpiritus pars ſemen ipſum attingeret & afficeret; niſi forſan duæ deciſiones, altera pro erectione, altera pro ſeminis perfectione fingantur.

a 1. de Gẽ. an. ca. 18. & alibi.
b de Art. Med. cap. 86.

Interim circa hunc ſpiritus ad colem erigendum affluxum notari vellem, primò docuiſſe Galenum, [c] ex nerui concaui dilatatione à proximis arterijs ſpiritum educi, modumq; inſuper deſcripſiſſe: „ [Quum ergo (inquit) ſic fuerit extenſus, ſequitur ex arterijs ſpi- „ ritus, quemadmodum pulmo thoracem, ob eam, quam habet ad „ motum ſequelam.] Quas autem, qualeſque, & à quibus partibus, proximis an remotis, dilatatio hæc trahere ſpiritus poſſit, aliorum ſit iudicium.

c 6. de loc. aff. ca. 6.

Sed ſi etiam animaduertas, quæ ſit ſpirituoſa materia, ex Auicẽnæ ſenſu, ad hanc efficiendam erectionem concurrens, ſcio certè, te, quiſquis hæc legis, hoc aduerſariorum commentum non probaturum: „ [Erectio (inquit) [d] accidit propter tenſionem nerui concaui, & „ quæ ſequuntur eum latitudinaliter & longitudinaliter, propter „ illud, quod effunditur ad ipſam de ventoſitate forti, quam defert „ ſpiritus deſideratiuus ſpiſſus, cum quo incedit ſanguis plurimus, „ & ſpiritus groſſus. &c.]

d Lib. 3. Fen. 20. Tract. 1. cap. 2.

At verò cum ad modum etiam pertineat, quod aduerſarij dicunt, partes omnes dum vehementer concuſſæ ad ſeminis expulſionem conſpirant, ſpiritus in illo conatu & virtutes conferre; tunc quæro, quo motu membra eiuſmodi immiſſionem promoueant? naturali

ne,

ne, an animali, vel vtroque? Non naturali, in quo nulla vis pellendi ad id, quod tam longè distat, atque hoc repente; præterquam quòd expulsio (vt suprà adductum est) sit rei superfluæ, aut contristantis, non proficuæ & salutaris. Adde, naturales facultates cuique membro insitas, neque diffundi, neque per spiritus comportari, quapropter neque vt vehantur ad semen spiritus commouebunt. Si asserant, protrudi spiritus animali motione, cuiusmodi re uera sunt conatus, quassationes, agitationes; vbi habentur organa huic, quæ à toto fieri fingitur, motioni seruientia? Sed concedamus, ex communi conspiratione & consensu posse contingere, vt omnium membrorum animalis facultas hanc spirituum & virtutis immissionem efficiat, Animales ergo erunt spiritus, qui confluent, hos enim facultati huic inseruire, & solos illius nutui obedientes, pro imperio, & conatibus moueri compertum est. At quomodo hi sunt partibus applicati? aut per quas vias retrocedunt? Adde, si verum sit, vel ipsis probantibus Neotericis, quod verissimum communiter iudicatur, hos spiritus per neruos tantummodo posse distribui, captu per difficile est, quo pacto neruulum tam citò valeant pertransire, tunicas testium, & substantiam permeare, indeq; ad prostatas peruenire.

Sed contineant animales spiritus singulæ particulæ localibus motionibus dicatæ, quis nescit, & vim, & spiritum (si modò concurrat spiritus) ad musculos, qui mouendo laborant, affatim confluere? tantum abest, vt quos habent, excutiant. Ruere forsan dicent spiritus, non quassatione detrudi, sed ex hac commoueri tantùm, & perturbari, mox ex se eò viam capessere, & se recipere, quò conatus collimat, & vrget expulsionis necessitas. At spiritus omnino facultati, qua reguletur, subijcitur, non temere fluit, aut refluit, instar vaporis, aut flatus; est animæ instrumentum, habet ex hoc principio quod moueatur, & agat, inde antedictæ omnes reuertuntur difficultates. Quid plura? Quot viri ex solo osculo, & leui contactu semen effundunt? Quot brutorum fœminæ? (quod ipsi etiam aduersarij non in his tantùm, sed in plantis quoque contra Recentiores alios, circumspectè animaduertunt) Quot probè mulieres, sine vlla agitatione & commotione concipiunt, immò facilius concipiunt, quàm aliæ, quæ lasciuiæ & voluptati nimium deditæ, [illegible] titillationes, de quibus lepidè, vt solet Lucretius e: e Lib. 4.

» Nec molles opu' sunt motus vxoribus hilum.

Immo multæ sunt, quæ sine vllo voluptatis sensu & commotione grauidantur; quà in re egrè Aristoteli & Auer. fidem præstitissem, nisi

nisi huiusce veritatis haberem attestationes, quibus fidem non adhibere nequeo, cum hoc tamen esse posse, vt fœminæ etiam semen emittant, Laur. *f* primò, mox & alij abundè patefecerūt. Neque ego id in(i)cior, si pingues fuerint, mucosę, & impurę, vel si, ut *g* Dinus cēsuit, semen effundatur quidem in vterum, sed per os illius non transeat, quę tamen de ijs, à quibus id accepi, non ausim constanter affirmare vel negare.

f 2. ap. an. q. 23.
g Super. ca. de gen. emb. q. 9.

Verùm enimuerò istis etiam spiritibus tempore coitus à toto deciduis, si non sint animales, sed naturales, & vitales tantùm, quod ad vias, & substantię naturam attinet, difficultates adauget. Quomodo enim, & per quos ductus tam citò petunt prostatas? Quomodo omnes momento plexus labyrintheos & testes possunt perlabi & pertransire? Quomodo, aut quo miscente eum semine confunduntur? potissimùm cum nulla mora intercedat, aut concoctio? Si essent veluti aura illa epileptica, quę ex determinato membro genita, aliud determinatum ex se petere nata est, aut ad illius siue halitus, siue aurę instar, quę ex hydrargyro expirans, aurum penetrando inficit, dealbat, & friabile reddit, possent & motus, & transitus, & permixtio facilè sustineri. At primùm consensus desunt, quales in antedictis spiritalibus & solidis adsunt: Deinde crassior spiritus substantia obstat, quę à corde, & si vis etiam, à iecore, pro excitando, & adiuuando natiuo calore procedens, singulis partibus applicatur; cum enim neque ex noua aeris permixtione, neque ex elaboratione, qualis illa, quę in plexibus est, attenuetur, quinimo ex contactu humidi natiui, atque ex ipsa partium alteratione, vt coctio ex Aristotele, *h* & Auerroe *i* incrassandò procedit corpulentior euadat, inde fit, vt ad motum, & ad penetrationem (quod & ab initio tetigi) reddatur ineptior.

h 4. met. t. 18.
i. 4. Col. c. 23.

De complantati spiritus crassiore substantia, ad quam influens debet assimilari, notabile est, quod ex Haly memorat Conciliator, *k* spiritum. s. & calorē innatum esse duos vapores naturales in corpore, inter quos extat differentia, quòd spiritus innato calore subtilior sit, & calor innatus grossior, & pluris humiditatis. Quando igitur spiritus, qui à partibus decidunt, narratas ob causas minus penetrantes & miscibiles fiunt, non video, quomodo tam facilè & citò vias impeditas permeent, quomodo seminali corpulentię permisceantur, non potius adijciantur superliniti, & quomodo (vt iam dixi) non magis obiter semini inhęrescant quàm menstruo. Rursum in ipso concumbendi actu vniuersum corpus incalescit, pulsusque consueto grandiores & concitatiores fiunt: Vnde forsan, non quam

k Dif. 59.

Ari-

Arist. assignauit, *l* sed hæc, quam Hippocrates *m* antea tetigerat, causa est, cur pituitosis coitus aliquandò sit proficuus. Porrò autem, non potest diffundi calor, nisi sanguis & spiritus ab intimis ad totius ambitum erumpant, tantum abest, vt qui sunt expassi, & partibus applicati, retrahantur & concentrentur ad semen confluxuri; quo casu frigesceret corpus, pulsusque rariores & minores fierent, vt in febrium accessionibus, & lipyria euenire, quotidiana experientia manifestat.

l 4. Prob. 16.
m de Genitura.

Sed demus, hos contrario motu corporis intima petere, quomodo copiosioribus & calidioribus obuiantes non retrocedunt? atque id potissimum, si confusio, de qua proximè dicetur, rationique consona est, succedat? Considerabant nuperi horum spirituum fautores contra alios Neotericos, haud probabile esse, tempore concubitus semen, quod isti à toto deciduum sustinuere, à cole ad testes proficisci, indeque iterum per virgam paulò posterius eiaculandum remeare: ego hoc totum ad spiritus transfero.

Aliæ difficultates contra examinatam Fernelij sententiam ex ordine, qui debetur spiritibus ad semen confluentibus.

CAP. IX.

SVccedunt his aliæ difficultates ex ordine, qui sigillatis spiritibus pro formatione debetur. Igitur dum spiritus hi particulares ad semen confluunt, vel ordinati sunt, vel confusi. Nō ordinata serie suis quique locis dispositi; nam quomodo in tanta quassatione & citato motu, dum passim alij alijs obuiant, dū in angustijs atque anfractibus inuicem concursant, disiecti non confunduntur? potissimùm cum tenuissima sint corpora, aerea, & facillimæ partitionis, ac prętereà ob naturæ similitudinem valdè prompta, vt vnum alteri permisceatur, vnumque ab alterius contactu patiatur & alteretur.

Habebant Recentiores, huic sententiæ addicti, pro inconuenien[...] per easdem arterias & materiam vel corpulentiam seminis per easdem venas, quæ ad vterum pertingunt, hanc ob causam non misceri; quanto minus conueniet, non confundi spiritus, quos inibi

inibi professi sunt haud posse, nisi per hæc vasa, accurrere ad genitalia? aut saltem per quosdam alios eorumdem vasorum ramulos, qui quanto angustiores, tanto magis commixtionem adiuuant? Si igitur confunduntur, vt verisimilior suadet ratio, neque semel conceptam à singulis partibus alterationem deponunt, vel confusi remanent, vel ordinantur, vel in vnum simplicem ex omnibus conflatum spiritum, ab his diuersum, commigrant. Si confusi remanerent, quomodo Microcosmi monstrosissimum non successerit chaos? Quomodo spiritus, qui, gratia exempli, pedis fert ideam, vel temperamentum, cum altero mixtus, qui iecoris speciem aut temperiẽ præsetulerit, non in iecore facit pedem, aut iecur in pede? Quomodo non fractas, ac portentosas imagines, velut ægri somnia, aut modò hanc, modò illam speciem non repræsentant? Neque ipsi Recentiores ab hoc inconuenienti vllo pacto possunt absolui, qui videntur voluisse, spiritus hos à toto defluentes, varias materiæ portiones, quas occupant, ad huius, vel illius membri formationem determinare, atque in tantum formatricis limitatores esse. Tametsi non exprimant, an aliquid in formatione agentes, vel meram passiuam dispositionem inducentes, quod postremum non credo eos voluisse; tum quia Auicennæ rationi † contra Galenum formatæ, atque aliàs ab ipsis reiectæ, de materia similitudines indiuiduales causante, non subscribunt; quas tamen horum spirituum officio tribuunt: tum quia, si hi materiam disponunt, hoc præstabunt suo actiuo motu, quo & ipsi mouentur: quamobrem vt causa etiam sint formæ effectrix omnino necesse erit, ex communiter recepto axiomate, atque à Recentioribus ipsis adducto, quòd eiusdem sit efficientis apparare materiam, & formam educere; & demum, quia sermonis tractu asserunt [Formatrice regente & imperante spiritus in semen prolapsos similitudines imprimere.] Si igitur spiritus hi particulares confusi formatricis fuerint instrumenta, valeantque non solum ad similitudinem indiuidualem, sed etiam ad specificam; immò vt professi sunt Recentiores, ad specificam multo magis quàm communes ex sigillatione testium, quis non videt, confusionem hanc omnem operis exequutionem esse impedituram? haud secus ac malleus, incus, serra terebra, scalprum, lima, &c. si annexa inuicem, & implicita fuerint fabrum confundant potius quàm adiuuent. Si ordinatione indigent, & re vera ordinantur, quodnam est secernens atque ordinatè distribuens? Certè hoc vel ipsa est formatrix, vel separatrix & ordinatrix, ab alijs Recentioribus excogitatę; vel sunt duæ facultates naturales, expultrix atque attractrix; vel ipsimet spiritus

† vid. sup. cap. 2.

ritus sponte propria petent loca, vt de semine à toto deciduo alij dicunt Neoterici.

Si formatiuam dixerint, hęc vel est facultas animæ vegetalis, ex communibus spiritibus à testibus educta, vel à toto per hos spiritus ad semen delata; si à toto per spiritus delapsa, quomodo ipsa quoque non est confusum quoddam, & indigens secretione? Si à testibus genita, vel de se est indifferens, vel limitata: si limitata, non indiget spirituum impressionibus, vt limitetur, immo ipsa potius limitauerit spiritus. Quapropter bene dixit Auerroes, a calorē seminis, qui quantum est in se, calefactionem tantum & desiccationem efficeret, non figuram, neque formam animatam, esse similem calori artificiali, quem ars mensurat ad aliquam operationem. Limitabit, inquam, eiusmodi formatrix, eritque dirigens & rectrix omnimoda spirituum ex vi principij, quod tantopere refugiunt. Si indifferens, quomodo limitabit? est enim distributio & ordo quid, quod ad limitationem pertinet, neque facultatis ordinantis indifferentiam supponit. a 12. Met. com. 18.

De vi separatrice atque ordinatrice, cùm plura sequenti Capite scribenda sint, hoc tantùm in præsentia dixero, has, præterquam quod ab his fuerint reprobatæ, minus etiam in proposito ad rem facere, quia ordinatrix vel ad formatiuam redigitur, quæ & ipsa est confusum quoddam; aut ad animam indifferentem, quæ est ex se ad limitandum inepta. Ad communiter receptas facultates si confugimus, meminisse oportebit ex doctrina naturalium facultatum, plenissimè à Galeno tradita, b expulsiuam, atque attractiuam nutritioni tantum inseruire, trahendo quod est coquendum, & quod coctionem atque assimilationem subterfugit pellendo. Vt alias rationes dimittam, posterius, vbi de ordinatrice tractabitur, exponendas. b In lib. de Nat. facul.

Non esse probabile cogitare, hos spiritus sponte se ad propria loca recipere, aduersariorum ratio contra Neotericos adducta mihi sufficiet. Dicebant isti, partes in semine delineatas suapte propensione atque instinctu ad propria loca diuertere. Obijciebant illi, fore sic, vt omnes paruæ portiones osseæ seminales, in vnum locum ferantur, atque ita de reliquis; Aristotelemque pro hoc sensu probando, contra Empedoclem disputantem adducebant, cui etiam c pariter Empedoclem confutans, addi posset. c 2. de So. Cap 3.

Modo idipsum ego de spiritibus enunciabo, & multò meliori iure, quòd hi figura & soliditate sint destituti. Dicam amplius, hoc ad totum etiam semen posse transferri, quando iuxta sensum istorum, (vt paulò antea tetigi) sigillati spiritus varias crassamenti portio-

nes determinant, quas semel occupauerint.

Neque enim satis est consentaneum, si asseratur, hos spiritus corpulentas appropriatas sedes deserere, indeque ad alias, commutando receptus, migrare. Considerabat Aristoteles [d] contra antiquos, qui semen à toto deciduum adstruebant, quod proposito potest accommodari: [Non enim fieri potest (inquit) vt partes coniungantur, commeandoque eodem deueniant. Tum etiam quonam pacto dirimantur superiora inferiora, dextra sinistra, priora posteriora? hęc enim omnia carent ratione.]

d 1. d Gr. ani. c. 18.

Vnicum, si dixerint, ex omnibus fieri spiritum, eumque simplicē; quod placitum magnificat Fernel. [e] vnica ergo perficietur forma, vnico temperamento donabitur, per quod generationis munus expediet: actiones enim sunt vltimarum formarum, & postremò aduenientium. Quid ergo tunc multiplices illę impressiones membrorum particularium habebunt momenti? Si confunduntur, si forma alia simplex loco omnium formationis opus perficit? Quamquam ipsi hanc spirituum naturam, ex pluribus simplicem redditam, non videntur prorsus recepisse, qui statuunt, trium spirituum miscellam corpus dissimilare atque organicum, cui propterea anima insit, tamquam actus corporis organici.

e 7. Phys. ca. 4. in fi.

Tandem de his in vnum conspirantibus spiritibus interrogabo, vbinam in simplicem illam naturam degenerent, vimque nouam, & formam sibi congruam adipiscantur? procul dubio in membris generationis, quò conueniunt. Ex his igitur tota vis formandi, ex his instrumenti perfectio.

Argumento à quantitate deducto spiritus à toto decidui excluduntur, & aduersus facultates seminis separatricem, atque ordinatricem, nuper à Recentioribus inuectas, obiter disputatur.

CAP. X.

PORrò non tantùm ex antea consideratis capitibus contra hos spiritus, tā in seminis prima elaboratione, quàm in ipso Veneris actu à toto deciduos, difficultates emergunt, sed ex quantitate etiam; quandoquidem, vbi mente recolo, aduersarijs placere,

cere, è mancis mancos enasci, quia ex partibus deficientibus spiritus non decesserint: Parentum præterea næuos ex horum spirituum impressionibus in fœtibus exoriri. Vbi animaduerto, eiusmodi spiritus, vt testium actionem, ex se ad figuras particulares indifferentem, limitent, fuisse receptos, mihi videor ex horum sententia probabiliter posse colligere, quemlibet particularem spiritum à toto particulari membro decidere, puta cutaneum à tota cute, intestinalem ab omnibus intestinis, sic iecorarium, & reliquos. Modò si hi non fuerint penitus incorporei, quantum, quæso, spatij, quo capiantur, expostulabunt? Vtique spiritalissimum ex hoc, aereum nimis, ac immodicæ quantitatis semen euaderet. Si dixerint, paucum sufficere spiritum, qui non à toto membro, sed ab illius particula demandetur: statim requiram, an necessarium sit, quod ex ea v.g. cutis parte decidat, vel contingens? Si necessarium, quæ maior (vt antea consideraui) est, ratio vnius, quàm alterius partis? Si contingens, cur non potest non decidere, & aliquando, immò sæpenumero non decidit? Si non decidit, & formatur pars, vtique formatiua sibi communem aliquem spiritum limitabit; quod si de vno non sit probabilior subrogatio, quàm de alio, idipsum de omnibus, si desiderentur, efficiet. Inde sequetur, incassum hos à toto confluentes spiritus introduci.

Interim, si hâc ob causam spiritus ab omnibus partibus accurrentes sunt reijciendi, quanto magis Clarissimorum Recentiorum placitum erit suspectum? qui & crassamenti, & spiritus substantias à cunctis corporis particulis deducentes, particularibus temperaturis donatas, neque nimiam genituræ & menstrui quantitatem recipere possunt, neque conuenientem tueri; vt *neque nimis multiplicem diuisionem*; quandoquidem singulas *seminis decisas*, atque in testibus confusas portiones: non solùm in *duas, sed in quinque*, & *septem*, immò in sex supra triginta, immò in *trecentas sexaginta*, & forte plures partes diuidi posse concedunt, quarum vnaquæque portiunculas seminis tum crassas, tum spirituosas contineat, quæ membris vniuersis à quibus decisæ fuerint, respó... nequaquam quòd sunt hæc Aristoteli parum consentanea, qui, † vt cuilibet speciei molem corporis præscriptam putat, ita huic congruam & limitatam seminis quantitatem deputatam, habet pro comperto. Supra imaginationis quoque est captum, portionem, quæ à manu, à pede, capite, & reliquis prodijt, tot occupare seminis partes, aut in semine vnica separatione collecto, atque vnica alteratione elaborato, adeò minutim partitam confluxisse & habe-

† 4. de Gen. an. cap. 4.

haberi,idque citra errorem vllum & confuſionem, potiſſimùm ante
ſecretum quippiam aut ordinatum, ſuiſque ſedibus diſpoſitum;
nullibi inſuper deficiente,vel ſuperabundante craſsamento, ſpiritu-
uè,particularibus membris, à quibus emanauerint,reſpondentibus;
& præterea, vnoquoque minimo integris formandi viribus exiſten-
te, quantum totum aliud, quod à parte ſecretum in ſemine repe-
riatur. Quot, quæſo, minimæ deciſiones? aut quę vnius minima-
partitio & diſtributio? Hi ſunt, qui ad tollendam portionum iſta-
rum ſeminalium confuſionem, nouas facultates priſcis Philoſophis
haud cognitas, ſeparatricem atque ordinatricem,introducunt,qua-
rum in præſentia obiter, ſed non omnino præter inſtitutum, aliqua
mihi etiam habenda conſideratio eſt, ſi tamen antea ſilentio non
prætermiſero, has duas ſeminis virtutes ſupponere, primum con-
fuſionem apprimè conſentaneam confluentis materię; deinde hanc
& quantum ad partem craſsam, & quantum ad ſpirituoſam non ſo-
lum à toto decidere, ſed diuerſis etiam temperamentis (vt iam di-
xi) pro ſingularum partium natura,prędìtam eſse: quibus hypothe-
ſibus deletis, neceſſitas omnis harum facultatum aufertur; ſicuti ſi
ſuppoſitiones eędem concedantur, omnino ponendę ſunt.

Neque Gal. facilè conceſserit, attractricem ac expultricem in
ſemine ſeparationem & ordinem efficere: ordinem, quia cæco in-
ſtinctu feruntur, quem non eſse tanti, vt negotium adeo mirabile
exequi valeat,ipſe hab it pro comperto; Et pręterea,quoniam con-
fuſa,quę proprijs quibuſdam actibus diuerſa exiſtunt, vbi ſecernen-
da, & ſub ea,qua reperiuntur forma, ſint ordinanda mouens aliquod
ex electione,& cognoſcens videntur expoſtulare: Vnde qui chaos ad-
miſerunt, tam Philoſophi,quàm Poetæ,immò etiam,ſi Aiberto cre-
b 15. 8 ani dimus, b qui opinati ſunt, ſemen partes ſingulas ſingulis confuſas
mal. cap. complecti,illius ordinationi Deum,aut mentem pręficere à rei, qua
2. iam cit. de agitur, conditione, fuere coacti. Separationem à duabus antedi-
ctis facultatibus naturalibus prouenire,non concedet Galenus, quia
expulſio eſt rei noxię & excrementitiæ, qualia non ſunt cerebro ie-
cur,& cordi pulmo; Nam ſi id eſse poſset,ſemen foret aggregatum
quippiam præter naturam, noxia noxijs permixta comprehendens.
c 1. de Ge. Tractio verò rei eſt non vndequaque ſimilis, ſed aſſimilandæ; actio
& cor. tex. enim ex Ariſtotele c inter res omnino ſimiles non ſuccedit. Tractio-
48. nem eſse rei, quę proportionem quamdam cum re trahente habeat,
d de Sym- non autem omnimodam ſimilitudinem, facilè reddetur apertum
pa & An- conſideranti tractionem magnetis, electri, adamantis, & ſimilium
ti. cap. 8. reliquorũ.Quòd ſi etiã Fracaſtorio, d acuti & peramœni ingenij vi-

ro

ro id concessero, quod ego videre nunquã potui, argentum argentũ, ferrum ferrum, magnetem magnetem trahere, hoc tam obscurè succedit, vt vix, aut ne vix quidem percipi queat. Adhæc, sit cerebralis materię portio, vbi pedalis, alia vbi cordialis aut hepatica, alia vbi renalis, alia alibi pluribus diuersis materijs commixta; quomodo, quæ hic reperitur, magis trahet, quàm quæ ibi? Quomodo hæc omnes alias portiones ad se alliciet, aliæ non allicere poterunt? Quomodo in his partibus sępenumero, si non in omnibus, saltem in tribus, vel duabus trahendi vires non exęquabuntur, vt inde frequentissima monstra duorum, vel trium capitum enascantur, quæ tamen rarissima conspiciuntur? Alia ergo virtus, præter attractricem & expultricem, ex Recentiorum hypothesi, de semine à toto deciduo, ponenda est. Vnde illi etiam, qui post hos, si non crassamentum, spiritus saltem à singulis partibus deciduos constituunt, quid nam eos, vbi confunduntur, separet, ordinetque pręter attractricem & expultricem concedere debuerunt, & declarare. Non dico, hos in tractrice atque expultrice expresse acquieuisse; ita vt censeant, operam istarum facultatum spiritus particulariter figillatos suis quosque sedibus destinari; sed vbi nullas alias in semine naturales facultates agnoscunt, præter communiter admissas, supposita separandi necessitate, ad istas (ni ego fallor) velint nolint coguntur confugere, & forsan confugiunt.

Haud equidem dissimulabo, me in posterioribus eorum additamentis notasse, quòd senserint difficultatem, & confessi sint inconueniēs, si quid ponatur trahere, quod simile est, non assimilandum; proindeque eò se recepisse, & vt profiteatur, non ex propria sententia causam separationis in tractricem relatam fuisse, sed id ex aduersariorum principijs esse deductum, quamuis apertè ipsi, posita indigentia separationis, enuncient, attractricem à Galeno & Auicenna positam posse sufficere; neque horum aduersarij tantę fuerint fatuitatis, vt concesserint, aut concessisse voluerint, separationem posse à tractrice procedere, multoque minus inter similia tractionem fieri. Quapropter non video, quomodo Recētiorum positio ex principijs [illegible] deduci valeat.

Verùm quoniam spirituum seminis fabricationi interuenientium à toto defluxum impossibilem esse, & monstraui hactenus, & sum paulò etiam inferius demonstraturus, nunc ad corpulentiam quod attinet, vt fundamentum vniuersum nouarum facultatum euertatur, præter id, quod de nimia seminis quantitate, & partium diuisione, nuper considerabam, adhuc breuiter dicam, sanguinis pro partium nutri-

nutritione alterati à toto decessionem (si admittatur) necessariò factum iri, vel quia (vt animaduertebam de spiritibus) præparatum partes protrudant, vel quia testes trahant, vel propter vtrumque. Verùm primò testium tractricem illius non esse roboris, vt ab omnibus vel remotissimis membris valeat nutrimentum deducere, ex antea discussis facilè est intelligere. Deinde cur trahent? certè vt nutriantur. At quo sanguine facilius nutrientur? proximone, qui vel à propria testium assimilatrice in proximis vasis dispositus sit, vel saltem sinceram formam communē alimenti vltimi adhuc retineat? an remoto, & pro nutritione partium longè dissimilis naturæ mutato? Partes non reijcient: Nam quæ, amabo, naturæ insueta fatuitas sit, si, quod iam paratum habetur, semoueat, vt statim nouo, & superfluo labore eiusdem dispositionis & temperaturæ substantiam reficiat? Concoquit sanè hepar sanguinis materiam, atque assimilat, & quod supetfluit, reliquis abundè dispensat; sed haudquaquam pellendo aut reiectando: remotiora à proximioribus successione quadā continua trahūt, atq; hac ratione eiusmodi succus vsque ad extrema per totum distribuitur corpus, ipsumque subinde iecur, vt quod assiduè deperditur sarciat, copiosum reficit: copiosum, inquam, & superabundans, tum propter natiuam temperiem calidam & humidam, in alimento parando vbique luxuriantem; tum quia id principis, & communem procurationem habentis, non subditę, & pro se ipsa tantummodo concoquentis partis est munus. Neque dispositio ab hoc principio sanguini indita, ita particularis est, vt communi etiam vsui ex præscripto naturæ commodè nequeat inseruire. At dicere, quod carnosa v.g. particularis pars proximè pro spermatica, dura & sicca, qualia ossa, cartilagines; pro humida & molli præparet nutrimentum, ex quo aut tractioni detur occasio, aut dispensationi alterius modi, quæ non nisi ab officiali membro procedit, omnem absurditatem excedit. Vno verbo, si sanguis in venis residens verè vltimum est alimentum, quod à nemine (vt censeo) reuocatur in dubium, vtique ex hoc partes omnes sibi assimilandum assumere debent, quod indigentię sufficiat, non aliunde.

Dicunt pro noua separatrice, & ordinatrice, Medicos ex semine albas particulas atque exangues efficere, ex menstruo verò rubras atque sanguineas. Platonem allegant, statuentem ossa ex terrestriori parte seminis fabricari. Isthęc omnia verissima sunto, & à nobis vltrò approbata. Faciant præterea quantumlibet ad confirmandum, [Non posse ex quacumque menstrui, vel crassioris seminis, seu masculei, seu fœminei portione quodcumque membrum indif-

„ indifferenter constitui.] Quid cum? ergo non potest cranium
generari, nisi ex ea, quæ à cranio decessit materia? meninx, non nisi
ex ea, quæ à meninge? Hoc nolumus, respondebunt hi, sed separan-
tem & ordinantem in semine, vel ex Platone, & Galeno, quomodoli-
bet necessariò ponendas esse. At notare oportet, Galenum quantum
vis decernat corpus ἀρχέγονον ex seminali humiditate, sanguine, & spi-
ritu (vt fusius alibi patefeci) e esse conflatum, noluisse tamen, sangui-
nem maternum primo pręgnationis tempore ita esse genituræ per- e *In disp. de inn. cal. & Nat. spi. cap. 4.*
mixtum, vt secretrice indigeat, vel ordinatrice. Ad Platonem quod
attinet, animaduerto ego, eum seminis terrestrem partem cum reli-
quis quidem cõfusam fecisse, sed non separandam, vt eorum fert opi-
nio; & meritò, quando enim non in vna tantum parte corporis ossa
effici oportet, sed vbique, vbique etiam membranas, neruos, liga-
mẽta; semper quod in qualibet particula seminis terrestrius habetur,
osseam naturam induit, quod verò dilutius, nerueam, aut membraneã,
idque sine vlla distractione, aut in vnum congestione succedit.

Quod si hęc non vsquequaque satisfaciant, Aristotelem saltem au-
diamus, Platone semper in physicis melioris sensus, qui in proposito
„ ita habet ad verbum: f[Distinctio autem partium non (vt quidam
„ opinantur) propterea fit, quia simile suapte natura ad simile fera- f *2. de gẽ. an. cap. 4.*
„ tur. Nam præter alias multas, quas ratio ista habet difficultates,
„ accidet, vt quæuis pars similaris seorsum creetur. v.g. ossa per se,
„ & nerui, & carnes, si quis eam causam approbet. Sed quoniam
„ excrementum fęminæ potentia tale est, quale natura animal est,
„ partesque potentia insunt, actu nulla inest, ideo pars quæque exi-
„ *stit.*] *Habet pro inconuenienti* Philosophus, partes similares se-
paratim fieri; quinimò hic, vbi caro fit, etiam fieri os rationi con-
sonum putat, non simili ad simile comportato, sed vbique prout
manet & reperitur, alterato & formato: quod explicatius docuit,
„ paucis interpositis hæc scribens: [Sed cum partes omnes potentia
„ in materia insint, cum principium motionis affuit, perinde vt in
„ [illegible] miraculis, quod subinde sequitur excitatur; &
„ quod nonnulli naturales authores exponere volunt, cum dicunt,
„ simile ferri ad simile, dicendum, partes moueri non mutantes lo-
„ cum, sed manentes & alterascentes mollitie, duritie, colore, &
„ reliquis partium similarium differentijs, factæ iam actu, quæ antè
„ erant potentia.] Hucusque Philosophi oratio, ex qua nihil, quod
pro nouis excogitatis facultatibus faciat, sed potius quod eas euer-
tat, haberi, palam est.

Sed vt ad Platonem reuertar, notari vellem, diuinum Philosophũ, vbi

vbi de ossium generatione verba facit, potiùs Pythagoricè fabulari,
„ quàm physicè docere; scribit enim ad verbum: [*Os verò ipsum*
„ ita composuit, terram atterens, puram, lenemque *miscuit*, made-
„ fecitque medulla: Id postea in ignem iecit, deinde *in aquam mer-*
„ sit, rursus in ignem: Iterum & in aquam. Atque *ita sæpe transfe-*
„ rens in vtrumque, tale reddidit, vt à neutro *liquefieri posset*.
„ Hoc igitur vsus sphæra ossea, quasi torno facta, cerebrum circum-
„ sepsit. &c.] Plato hactenus modum describens, quo Diuinus faber osseam naturam à primo specierum ortu condiderit, mox per semen propagandam, non sanè eodem materiæ delectu, apparatu, dispositione, atque intellectus industria: Nam hæc omnia seminis virtutem materialem præstare, neque consueuisse, neque posse, pro certo est, sed vi, & efficacia principij, semel diuinitus concepti, & naturæ inditæ, vbi terreum medullæ habeatur commixtum, quod in qualibet vel minima parte seminis contineri, pro natura & conditione mixtionis elementorum, necesse est: vnde & quamlibet seminis particulam idoneam esse, vt ex ea ossa fabricentur, negari non potest, licet maioris minorisque habita ratione, Natura, quæ paratioribus numquam abutitur, has potiùs (vti dixi) in hanc, quàm in aliam partem insumat portiones. Nihil ergo (ni ego fallor) ex his habetur, quod ad separatricem adstruendam pertineat.

Sed esto ex Platonis enunciato necessaria separatio, de ordine quid concluditur? Haud certè aliud, quàm quod Medici: quantum enim ego perspicio, nihil quod ipse adstruit facit ad disponendum suis sedibus materias particulariter signatas, quod esse munus ordinatricis nuper inuectę, dubio procul mihi videor posse colligere. Nullum (aiunt) monstrum, neque excedens, neque mutilum exorietur, si ex quacumque parte seminis partes omnes possint generari. Cur? An quia formatrix in materiæ distributione errare non possit? aut materia ipsa numquam deficere? & si deficiat, naturam satius facturam, si totum corpus minoris efficiat molis, quàm manu truncum? Assumunt, quod non conceditur; Naturam non negamus de possibilibus facere, quod melius: at quòd possibile, vt cogitant, vel ex indifferenti materia facere minoris molis, & si possibile quòd melius, & si melius quòd non secundum quid, sed simpliciter, hoc opus. Non dubito, quin nouerint Naturam instinctu agere, huncque dum generat, regulari non à particulari fine tantum, sed etiam à communi; intendere Naturam in hoc opere conseruationem speciei; hanc haberi per similis procreationem; similitudinem præter cætera in debita & congruenti mole consistere; magnitudinem consuetam non solum

ad individuum [illegible] reddendam esse necessariam, sed etiam ne virtutes desinent, quo[illegible]s species perpetua conseruatur. Adhæc eos latere [illegible]atricem non esse Phidiam aut Polycletum, pro marmoris quantitate statuam designantem. Ac demum, fabricam humani fętus non totam fieri simul aut delineari, sed à tribus membris principibus incipere, ad quorum proportionem reliquæ postea partes conformandæ sunt; quod tamen aliquando, ob materiæ nimiam abundantiam aut inopiam, non succedit.

Sed esto, ex contraria Recentiorum hypothesi nunquam posse materiam deficere, nunquam malè distribui, nonne ipsi statuunt, ex imbecillitate efficientis aliquam non efformari partem? At quid vetat, ne in parte seminis, ex qua. v. g. manus fabricanda suscipitur, imbecillus reperiatur calor, imbecilla facultas, vnde fętus manu mancus reddatur? [Trunca (inquiunt) hominum corpora quibusdam partibus oriri nullo materiæ defectu, nullaque agentis imbecillitate, ob solam vteri, membraneque fœtũ ambientis angustiam, in ea regione, quæ constituendæ partis in conceptu locus esse deberet.] Mitto concussionem, erosionem, morbum in magnitudine, & fortè alia, quę fętui contingentia, excessum particularum aut defectum possunt inferre. Quæ igitur in syllogizando necessitas: Ex quacumque parte seminis partes omnes possunt generari; ergo nunquam monstrum excedens, aut mutilum exorietur? At nascitur mutilum; ergo ex quacumque seminis parte non potest membrum quodlibet efformari? quasi ex sola materiæ deficientia, & materiæ particulariter signatę determinatum membrum desideretur in monstro. Atque hæc de antedictis nouis facultatibus ferè digrediendo discussa sint satis: Modo ad spiritus à toto deciduos disputatio reuertatur.

Aliæ difficultates contra spiritus à toto delapsos; quæ à fine prodeunt.

CAP. XI.

Recitata iam fuit, & multis rationibus reprobata eorum opinio, † qui in ipso Veneris congressu ad semen aliquid spirituum & facultatis à toto irruere contendunt, idque valida agitatione & commotione corporis, ad eum finem, vt

† Fern. 7. phys. c. 4.

H 2

vt sint hi vnà cum alijs, in prima seminis fabricatione à principibus membris, vt formam & facultatem semini conferant, deriuatis, veluti procreationis ac similitudinis opifices & magistri. Nunc eos admonitos volo qui hac opinione delectantur, illius auctores vidisse, se ex hoc placito generatiuam testibus detraxisse, tametsi propter alia conentur horum membrorum principatum tueri. An verò, quod dixi, consequens sit, idque prӕterea etiam absurdum, ex hoc, quod subiungam, facilè constabit. Vel enim pro munere facultatis generatiuӕ adimplendo, quod in alteratione & formatione consistit, ei, quod generat, simile generando sufficiunt spiritus, qui semini dum elaboratur in testibus, permiscentur; vel non sufficiunt. Si sufficiunt, frustra alij excogitantur & adiunguntur, quos ne dicant frustra introduci, eligent sustinendum, priores non sufficere; tuncque vel testes non habebunt generatiuam, vel si habebunt, ea erit incompleta, atque (vt ita dicam) dimidiata vel diminuta; quorum neutrum est pro dignitate principij, aut ad aures Galeni: Non pro dignitate principij, quoniam principij est, sua virtute totum id continere, quod à se causatur & pendet: percurre animo substantias omnes, quas membra cętera officialia ad communem vsum conficiunt atque dispensant, cunctas comperies ex eorum elaboratione sufficientem formam, exactumque complementum adeptas, quantum communis indigentia videbatur expostulare. Non ad aures Galeni, quandoquidem ipse non modò hӕc inter principia reposuit, [a] sed etiam professus apertè est, ab his semen vndequaque perfectum produci; esse dicit [b] testes alterum innati caloris fontem, & si vsum spectes, prope ad cor ipsum accedere, immò tanto prӕstantiores videri, quanto prӕstat benè, quàm simpliciter viuere.

a in Arte Med. c. 9.

b 1. de semin. c. 15.

Has autem prӕrogatiuas ex sola corpulentiӕ seminalis prӕparatione & coctione habere non possunt, nisi perfectum semen, aggregatum scilicet ex seroso humore & spiritu perficiant, illiusque aura corpus vniuersum perfundant. Quippe eos sincerissimam seminis possidere qualitatem, quam & in omnes animalis partes quàm citissimè diffundant, non ipse tantum Galenus, sed experientia docet, & prӕterea, continere semen non solùm multum, & citò, sed exquisitè etiam confectum; cuius actiuam facultatem & formam esse ab impressione horum officialium membrorum, probatu non est difficile: quoniam cum amplius non sit dubium, semen neque à toto, neque à corde, neque ab alio principe membro elaboratum ad testes descendere, quemadmodum tam ex antea discussis, quàm ex eruditis Recentiorum considerationibus [c] luculenter est demonstratum; remanet,

c Mund. de Gen.

[illegible]us conuenientem formam, & genitalem facultatem, quæ toti [illegible] matam materiam perficiat, adipiscatur: At nulla forma materiam perficit, quæ non sit vna per simplicitatem essentiæ, nõ autem per aggregationem. Hanc igitur vbi acquirat vel totum semen, vel illius spiritus, si non in testibus, haud discerno: quam sanè veritatem eos non inficiari video, qui ex tribus communibus spiritibus, animali, vitali, & naturali, tanquam ex heterogenea materia, testes animam educere, vnde semen animatum redditur, enunciarunt, idque in progresu non semel repetiuerunt: immò & qui dicunt, ex pluribus vnũ fieri spiritũ, vt supra tetigi, d ad hoc fatendũ vel inuiti pertrahentur. Postquam igitur reliquum est, semen fęcundum in testibus generari, atque ab ijs genitalem facultatem acquirere, posteaquam hæc nulla alia est pręter vegetatiuam (quod tantisper mihi concedatur, donec de hoc meam sententiam aperiam) quando sub hac vegetali comprehenditur generatiua, quæ ex alteratiua & formatiua constat, à primo ad vltimum de necessitate consequitur, formatiuam non aliunde semini, quàm à testibus comparari. Hanc verò esse virtutem nõ illimitatam, sed pro formandorum membrorum varietate multiplicis facultatis, negari non potest. Qui enim diceret, formatiuam vnius tantum & simplicis, indeterminatæque potestatis esse, vt per se, & propria vi nequeat omnia membra formare, ac similitudines reddere, contradiceret in adiecto. Vno verbo, vt aduersarios de absurditate conuincam, in quam eos necessariò incidere iudicabam, ita breuiter ratiocinor: In omni naturali agente, actio qualibet atque facultas pro principio habet formam illius agentis; semen est naturale agens: ergo principium omnium suarum operationum eius forma statuenda est. Adiungo, forma naturalis ab eo efficiente prouenit, quod ipsam de potestaté materię educit; sed testes sunt, qui de potestate materiæ seminalis seminis formam, quæ anima est, siue vegetalis, siue cuiuscunque alterius ordinis, educunt: ab ipsis ergo hæc forma procedit. Minorẽ nõ video quomodo sint negaturi; sed si negent, facilè probabo, si quidem vbi coquitur semen, vbi nouam & vitalem temperiem acquirit, vbi serosę humiditatis & spiritus fit permixtio, ibi etiam forma, quæ in his consistit, vel quæ hæc consequitur, producitur; ista omnia in testibus efficiuntur: ab ipsis ergo omnino seminis forma procedit. Vt ex his concludere liceat, omnem seminis facultatem & actionem virtuti formali & effectiuę à testibus semini inditę esse tribuendam. Quòd si inter huius facultates sit formatiua perperam hanc ab alijs principibus membris, aut etiam à reliquis corporis particulis, non à solis testibus productam.

d Cap. 4.

ctam autumant: & quod de ſemine dixi, idipſum de ſpiritibus dictum puta, ſi ex ipſis, vt quibuſdam ex aduerſarijs placet, ſeorſum à craſſamento teſtes animam educant.

Hac tamen conſideratione non obſtante, quę in ſemine nihil effectiui ab alio, pręterquā à teſtibus, agnoſcit, ſi afferat fortaſſe quiſpiam, hos à toto confluentes ſpiritus à natura ſemini ſuperadditos, ad indiuidualem ſimilitudinem reddendam; Quęro, an ſuperadditi credātur neceſsariò, & ad rem neceſſariam, vel contingenter, & ad rē contingentem: Neque enim video qui determinaturi ſint, vel contingenter hos confluere ſpiritus, ſi eorum effectus ſit neceſſarius, vel neceſſariò, ſi ſit contingens. Vbi igitur reſpondendo eligatur primum, quod petebam, vt nonnulli iſtius ſententię fautores ex ſuis hypotheſibus eligere coacti ſunt; tunc maior erit in partibus vis, quàm in principio, ne dicam, totam formatiuam eſse particulari hac ſigillatione comprehenſam. Ad cuius rei euidentiam ſciſcitabor, an ſpecies generet, vel indiuiduum? quà homo, an qua talis homo, Socrates nimirum, vel Plato? procul dubio quà Socrates primùm, deinde quà homo, tertiò quà animal, ſed ſemper magis quà Socrates, » atque indiuiduum. Doctrina tota eſt Ariſtotelica, [Valet autem » (inquit Philoſophus) ſemper in generādo magis, quod propriū » & particulare eſt; Coriſcus enim & homo, & animal eſt, ſed pro» pinquius homo, quàm animal eſt: generat autem & quod parti» culare, & quod genus eſt, ſed magis quod particulare, hoc enim » ſubſtantia eſt: Quod enim gignitur, etſi quale quid eſt, tamen » hoc quicquam eſt, idque ſubſtantia eſt. Quamobrem ex facul» tatibus inſunt in ſeminibus eiuſmodi omnium motus; Maiorum » etiam propria, & nepotum ſemini inſunt potentia, ſed propin» quius ſemper quod particulare eſt, Coriſcum dico, aut Socratem. » &c.] Quo fit, vt ſemen, quantumuis illius actio, ex communi naturæ ſcopo, ad ſpeciei conſeruationem ordinetur, attamen ex primo ſuo conatu & pręcipua operatione tentet particularis generantis figuram exprimere.

c 4. de gē. ani. cap. 3

Si ergo ſemen in teſtibus elaboratum ex eorum ſigillatione non ſufficit, vt indiuidualem figuram exprimat, nemo non videt, ipſum principali motione deſtitui, quæ aliarum quodammodo eſt fundamentum & baſis. Dico, particularem hanc aliarum quodammodo eſse fundamentum & baſim: primum, quia ſi Coriſcus quà Coriſcus, magis generat quàm vt homo, mouebit etiam magis & principalius quà Coriſcus ex quo primis antea recitatis verbis Ariſtotelis dixit: » [Valet autem ſemper in generando magis quod proprium & particu-

,, ticulare est.] Et generatiua in simili producendo primò indiuiduum respiciet, secundo loco speciem; inde similitudo particularis prius erit in intentione naturæ, quàm specifica: & meritò, quando indiuidualis, quę specie à specifica non differt, exactior atq; perfectior reputatur; & quod operatur ad perficiendum, sibi apicem perfectionis quantum potest proponere consueuit. Quapropter indiuidualis generatiua, quatenus indiuidualis, erit (vt ita dicam) magis generatiua, quàm specifica.

Addo quin etiam, meritò particularem hanc seminis impressionem aliarum basim constitui, quia ista specificam & genericam potentia continet: Nam quod potentia physicè ab aliquo continetur, actum supponit realem in eo, quod continet; & quod plus comprehendit, continet id, quod comprehendit minus. Modò actus realis non est, nisi in indiuiduo, & indiuiduum plus comprehendit, quàm species; & species, quā genus: quare quod specificum & genericum, continebitur in indiuiduali: similitudo ergo indiuidualis, & generatiua indiuidualis potentia specificam continebunt, eruntque basis atque actus, cui innitatur specifica, & qua in potentia contineatur; immò cum actiones sint substantiæ singularis, quę est hoc aliquid, isthęc propria, veraque erit generatiua, quę semen formabit & moderabitur modò particulari. Et si Ioannis Grammatici expositionem bene ponderaueris, eatenus vniuersale generare comperies vel generari, quatenus spectatur in particulari; quasi dicat, ex consequutio-
,, ne quadam: [Sed magis (inquit) quod particulare est: Hoc enim
,, substantia, & quod generatur, prima scilicet & præcipua, ac quæ
,, magis propria est; quę & generatur, particulare est, sed vniuersale
,, in ipso inspicitur.

Si obijciatur, genericam similitudinem sine specifica stare posse, specificam autem è contrà non absque generica; atque ita de indiuiduali, respectu specificæ: Si dicatur, haud posse in fętu indiuidualem similitudinem haberi, vbi is (quod vsu venit plerumque) neque patrem referat, neque matrem, neque auos, aut proauos: Ac proinde, cum non entis nullę sint qualitates, hanc aliarum similitudinum fundamentum non esse. Respondebo ego, tunc cum fętus neque parentibus, neque maioribus particulariter, puta in simitate nasi, aut oculo cęsio, similis est, specificam ipsam similitudinem fieri indiuidualem, quatenus vtcumque format modo particulari, atque similitudinem genericam & specificam, nisi ab indiuiduali comprehendantur & fundamentum capiant, neque omnino esse, neque stare in rerum natura posse. Profectò Recentiores ad memoratam doctrinam Peripa-

ripateticam inclinasse, ex eo suspicatus sum, quòd in eorum disputatione viderim determinari, quod & antea tetigi, scilicet ex sigillatione facta à testibus, quæ officialia sunt membra, similitudinem specificam tantùm enasci, sed hanc eandem multo magis prouenire à sigillatione spirituum, facta à membris officialibus ipsos gignentibus, vel ab omnibus simul parentum membris, quasi sigillatio particularis, quam indiuidualem vocamus, vtpote quæ alias comprehendat, plus in similitudine specifica tradenda valeat, quàm sigillatio, quæ à testibus emanarit. Sed hercle, quantum vim testium seminis effectiuam extenuarunt? quando, quod ad has impressiones attinet, debilior sigillatio fortiori nihil addere nata sit.

cap. 9.

Dicam insuper, in eorum conclusionibus nonnihil contradictionis implicari, quòd supponentes quę ab aduersariò negarentur, 4. conclusione asserant: [Membrum officiale se habere indifferenter ad figuras membrorum aliorum: Vnde non posse impressionem aliquam figurę in seminis naturam efficere, aut in spiritus, respectu vel totius, vel partis determinatę, prçter sui ipsius figuram.] Quomodo ergo testes sigillabunt semen, quod sexta Conclusione professi sunt, vt membra ex eorum impressione nascantur conuenientia leoni, equo, & reliquis, quæ variam limitationem, quæcumque illa sit, spirituum, vel crassamenti, actualis, vel potentialis, aut alterius generis, non indifferentiam supponunt? Pro qua re considero, sigillationem motum esse actiuum, quo materia respectum essentialem acquirit ad formam leoninam, & simul dispositionem, vt ex ea possint generari membra, & membra leoni congrua: quod autem dicitur, corpus organicum, quale leonina postulat forma, aut membra leoni congrua, importat plura corpora distincta, quę habeant figuram, temperamenta, situs, connexiones, proportionesque inuicem, qualia postulat leo. Igitur sigillatæ materię dispositio, vt ex ea leonis membra efficiantur, vniuersa hęc merito receptę sigillationis respiciet, & consequenter ipsa sigillatio, subindeque etiam facultas, à qua producitur, eò spectabit: Vnde & sigillatio erit actus secundus multiplicis potestatis, atque itidem testium complexio aut forma actus erit primus, non illimitatus, respectu aliorum membrorũ, neque propriam tantummodo figuram respiciens.

Atque hic non satis intelligo, quo pacto isti spiritibus seminis, qui à toto non fuere decidui, virtutem non denegent formatricem; atq; etiam quomodo non sustineant, animam seminis, adeoque vim effectiuam, non à testibus (quod alios quoque sensisse antea memoraui) sed à toto corpore deriuari, vt proinde paulatim partem hanc à principatu

cipatu visi sint exturbasse; cum tamen expressè altera ex parte professi fuerint, testes ex propria vi & facultate semen fœcundùm & prolificum generare: immò etiam ipsi animam impertiri: quod perinde est ac si dicatur, eos semen vi generatrice, ac efficiendi potentia prꝗditum conficere. Ita loquor, quoniam primùm in eo Ferneliani apparent, & Laurentium sequuti, quòd eam laudant opinionē
,, quę sustinet [generantem facultatem in perfectis animalibus nihil
,, esse aliud, quàm aggregatum quoddam facultatum, quę ex vniuer-
,, so corpore, maximè verò ex partibus principibus, iecore, corde,
,, cerebro, cum spiritibus confluunt.] Deinde, quoniam secundū
,, eorum principia, [manci à mancis fiunt, quia à membris mancis
,, mancorum in semen spiritus non deciderunt, & quia formatiua à
,, mancis decisa, membra deficientia nutrire, & per consequens, per
,, partes generare non erat solita. Quod si aliquando à mancis gi-
,, gnuntur integri, supplet virtus formatiua, à fœmina non manca
,, decisa, & spiritus multi, à membris in fœmina non deficientibus
,, decisi.] Spiritus ergo per ipsos, qui in prima constitutione seminis illius corpulentię permiscentur, & ex quorum miscella à testibus anima elicitur, non sufficiunt sine illis, qui sunt à toto decidui, ad conformandum membrum simile, neque in indiuiduo, neque etiam in specie; alioqui si sufficerent, perperam horum vim atque operam neglexissent, maternis tantummodo subrogatis. Nisi fortasse putent, formam, ex prima communium miscella elicitam, tametsi (vt ad esse specificū pertinet) teneatur simplicis atque impartibilis essentię, suę alicuius partis diminutionem pati, quemadmodum insinuasse visus est Dinus ex quodam refugio, cuius sequenti Capite mentio fiet; licet hoc neque ipsi introducant Recentiores, neque secundum propria principia bene possint recipere. Formatiuam quoque à mancis decisam, quia ad membrum, quod deficit, non extenditur, pro ea parte mutilam esse determinant: quare videntur hanc à toto, sicuti etiam spiritus, omnino deducere, non à testibus. Atque ita, quod ad formatiuam attinet, in eam quodammodo sententiam incidunt, quam Magnus Albertus Platoni tribuit, & damnat g tanquam absurdam. g 15. de
,, Ponebat hæc; [partes spermatis determinatas virtutes habere Animal.
,, membrorum, à quibus deciduntur, & per speciales & partiales cap. 1.
,, virtutes partium spermatis, quamlibet operari membrum vnum
,, ex parte spermatis, in qua est; ita vt non sit vna vniuersalis forma-
,, tiua virtus in spermate, quæ operatur totum ex vno aliquo, quod
,, est principium totius, sicut cor dicitur esse.

Forolluienſis, Dini, & Thomæ de Garbo opiniones, de ſpiritibus & facultate à principibus membris, & à toto deciſis, proponuntur & confutantur. Nonnullæque aliæ contra Fernelium, Laurentium, & Recentiores adijciuntur conſiderationes.

CAP. XII.

ALbertus hactenus opinionem damnans, quæ formatiuam vnam per aggregationem plurium facultatum, ab omnibus corporis membris promanantium ſuſtinuerat, cui ſententiæ aduerſarij (vti dixi) quoquo pacto videntur adſtipulari; vbi ſpiritus, qui in ſemine ex tribus communibus conflatur, eorum iudicio, non ſufficit ex ſe ad integrum animal efficiendum, tametſi ex ipſo anima à teſtibus ſit educta.

Nunc (quod non fuerit extra inſtitutum, & ad eos pertinet, qui particulares ſpiritus à toto contingenter confluere ad rem contingentem exiſtimant) monebo lectores, Foroliuienſem & Dinum, quorum doctrinis Recentiores ſua roborant placita, magis circumſpectè atque apertiùs in propoſito egiſſe. Etenim opinio fuit Foroliuienſis, † decidere poſſe particulares ſpiritus ab omni parte corporis, qui dearticulent communes, à principibus ſemini prouenientes. At impediri aliquando hunc particularium ſpirituum concurſum, vel propter opilationem, vel propter reſolutionem, vel propter alias cauſas, antequam ſeminali materiæ permiſceatur, & nihilo tamen minus abſque horum interuentu; ſufficere ad formationem exequendã gignitiuum, ex tribus communibus conflatum, licet non æquè bene ſit idoneus ad particularem ſimilitudinem exprimendam.

† Sup. ca. de Gen. emb. q. 3.

Dinus & ipſe ab hac ſententia non diſcedens, a neceſſarium quidem putat trium cõmunium ſpirituum confluxum in ſemine, ſed non illorum, qui à ſingulis partibus vniuerſi corporis ſecernuntur; contingens enim eſt, illius quoque ſenſu, eorum deciſio, ac proinde fit, vt aliquando naſcatur filius cum peculiari patris ſigno, puta cicatrice, aut næuo, aliquando non, cui ſententiæ apertè ſubſcribit etiam Thomas de Garbo. b

a Ibidem q 1.

b 1. de pot. & vir. ani. tra 5. q. 56.

Cùm

Cùm verò interrogantur, cur si sufficit spiritus gignitiuus ex tribus communibus conflatus, ad integrum animal efformandum, non semper formatur completum, sed aliquando mutilatum ad instar patris? Respondet Dinus, hoc euenire ex compassione (vt illius vocabulo vtar) cordis, tempore decurtationis factę; sicque & ipsi ad imaginationes à consentaneo maximè alienas coguntur confugere. Quæ enim in facultate cordis diminutio, quæ ad membrum deficiens potiùs pertineat, quàm ad aliud, excogitari potest ex passione iamdiu præterita, nihilque in præsens afficiente? Mitti turnè forsan à mutilato membro aliquid, quod cordis alteret facultatem, vt illam respicit partem? aut ad ipsum non transmittitur ob membri defectum, quod transmitti antea consueuerat? Quæ, amabo, in corde patris non podagrici, quod non compatitur aui articulis, prętenaturalis dispositio inueniri valet podagricum filium generans, similè auo, vel abauo podagricis? qui consensus, aut quæ compassio cordis in patre non extra vterum, sed à generatione decurtato? Hanc postremam cùm viderit obiectionem Dinus, vt se ab ea explicet, rursus ad spiritus confugit à toto deciduos. Modificant (inquit) particulares spiritus, à membro decurtato decisi, spiritum gignitiuum, aliàs de se valentem integrum membrum formare, vt ex hac modificatione generet decurtatum. At enim, ni ego fallor, longè magis fuerit consentaneum, si dicatur, modificari potiùs spiritum particularem perquam tenuiter sigillatum, vt ipse quoque fatetur Dinus, & cuius decisio ac officium res supponuntur accidentales à spiritu gignitiuo, cuius principium effectiuum est à membro officiali, quiq; primò, & per se formationem exequitur ex alta sigillatione. Mitto, inter alias machinas tantam etiam casus limitationem ac vim, tantamuè sympathiam esse fingendam, quanta non est credibilis, vbi spiritus, qui à membro manco decidit, totus, integer, atque ad amussim est aditurus illam gignitiui portionem, quæ materiæ applicatur, ex qua determinatum illud membrum mancum debet generari. Quòd si ab istius opinionis defensore quæsiuero, in cuius qualitatis virtute particularis ille spiritus vim habeat gignitiuum modificandi? is effugere non poterit, quin respondeat, in virtute facultatis patri insitæ, quæ illius conformationem, qualiscumque ea fuerit, potest propagare. Tuncque considerabo ego, hanc, quæ impropriè dicitur mutilatio, sed re vera est monstrositas, habituram esse vim ipsam propagandi & conseruandi, quod est præter institutum naturæ. Atque hæ sunt difficultates, quantum ego video, relatam opinionem vrgentes, quas, aliasque plures forsan ipse ob-

vbi de ossium generatione verba facit, potiùs Pythagoricè fabulari, quàm physicè docere; scribit enim ad verbum: [Os verò ipsum
„ ita composuit, terram atterens, puram, lenemque miscuit, made-
„ fecitque medulla: Id postea in ignem iecit, deinde in aquam mer-
„ sit, rursus in ignem: Iterum & in aquam. Atque ita sæpe transfe-
„ rens in vtrumque, tale reddidit, vt à neutro liquefieri posset.
„ Hoc igitur vsus sphæra ossea, quasi torno facta, cerebrum circum-
„ sepsit. &c.] Plato hactenus modum describens, quo Diuinus faber osseam naturam à primo specierum ortu condiderit, mox per semen propagandam, non sanè eodem materiæ delectu, apparatu, dispositione, atque intellectus industria: Nam hæc omnia seminis virtutem materialem præstare, neque consueuisse, neque posse, pro certo est, sed vi, & efficacia principij, semel diuinitus concepti, & naturæ inditæ, vbi terreum medullæ habeatur commixtum, quod in qualibet vel minima parte seminis contineri, pro natura & conditione mixtionis elementorum, necesse est; vnde & quamlibet seminis particulam idoneam esse, vt ex ea ossa fabricentur, negari non potest, licet maioris minorisque habita ratione, Natura, quæ paratioribus numquam abutitur, has potiùs (vti dixi) in hanc, quàm in aliam partem insumat portiones. Nihil ergo (ni ego fallor) ex his habetur, quod ad separatricem adstruendam pertineat.

Sed esto ex Platonis enunciato necessaria separatio, de ordine quid concluditur? Haud certè aliud, quàm quod Medici: quantum enim ego perspicio, nihil quod ipse adstruit facit ad disponendum suis sedibus materias particulariter signatas, quod esse munus ordinatricis nuper inuectę, dubio procul mihi videor posse colligere. Nullum (aiunt) monstrum, neque excedens, neque mutilum exorietur, si ex quacumque parte seminis partes omnes possint generari. Cur? An quia formatrix in materiæ distributione errare non possit? aut materia ipsa numquam deficere? & si deficiat, naturam satius facturam, si totum corpus minoris efficiat molis, quàm manu truncum? Assumunt, quod non conceditur; Naturam non negamus de possibilibus facere, quod melius: at quòd possibile, vt cogitant, vel ex indifferenti materia facere minoris molis, & si possibile quòd melius, & si melius quòd non secundum quid, sed simpliciter, hoc opus. Non dubito, quin nouerint Naturam instinctu agere, huncque dum generat, regulari non à particulari fine tantum, sed etiam à communi; intendere Naturam in hoc opere conseruationem speciei; hanc haberi per similis procreationem; similitudinem præter cætera in debita & congruenti mole consistere; magnitudinem consuetam non solum ad si-

ad similitudinem reddendam esse necessariam, sed etiam ne virtutes declinent, quibus species perpetua conseruatur. Adhæc eos latere non credo, formatricem non esse Phidiam aut Polycletum, pro marmoris quantitate statuam designantem. Ac demum, fabricam humani fętus non totam fieri simul aut delineari, sed à tribus membris principibus incipere, ad quorum proportionem reliquæ postea partes conformandæ sunt; quod tamen aliquando, ob materiæ nimiam abundantiam aut inopiam, non succedit.

Sed esto, ex contraria Recentiorum hypothesi nunquam posse materiam deficere, nunquam malè distribui, nonne ipsi statuunt, ex imbecillitate efficientis aliquam non efformari partem? At quid vetat, ne in parte seminis, ex qua. v. g. manus fabricanda suscipitur, imbecillus reperiatur calor, imbecilla facultas, vnde fętus manu mancus reddatur? [Trunca (inquiunt) hominum corpora quibusdam „ partibus oriri nullo materiæ defectu, nullaque agentis imbecilli- „ tate, ob solam vteri, membranęuè fœtū ambientis angustiam, in ea „ regione, quæ constituendæ partis in conceptu locus esse deberet.] Mitto concussionem, erosionem, morbum in magnitudine, & fortè alia, quę fętui contingentia, excessum particularum aut defectum possunt inferre. Quæ igitur in syllogizando necessitas: Ex quacumque parte seminis partes omnes possunt generari; ergo nunquam monstrum excedens, aut mutilum exorietur? At nascitur mutilum; ergo ex quacumque seminis parte non potest membrum quodlibet efformari? quasi ex sola materiæ deficientia, & materiæ particulariter signatę determinatum membrum desideretur in monstro. Atque hæc de antedictis nouis facultatibus ferè digrediendo discussa sint satis: Modo ad spiritus à toto deciduos disputatio reuertatur.

Aliæ difficultates contra spiritus à toto delapsos; quæ à fine prodeunt.

CAP. XI.

Recitata iam fuit, & multis rationibus reprobata eorum opinio, † qui in ipso Veneris congressu ad semen aliquid spirituum & facultatis à toto irruere contendunt, idque validaagitatione & commotione corporis, ad eum finem, † Fern. 7. phys. c. 4.

vt ſint hi vnà cum alijs, in prima ſeminis fabricatione à principibus membris, vt formam & facultatem ſemini conferant, deriuatis, veluti procreationis ac ſimilitudinis opifices & magiſtri. Nunc eos admonitos volo qui hac opinione delectantur, illius auctores vidiſſe, ſe ex hoc placito generatiuam teſtibus detraxiſse, tametſi propter alia conentur horum membrorum principatum tueri. An verò, quod dixi, conſequens ſit, idque prætérea etiam abſurdum, ex hoc, quod ſubiungam, facilè conſtabit. Vel enim pro munere facultatis generatiuæ adimplendo, quod in alteratione & formatione conſiſtit, ei, quod generat, ſimile generando ſufficiunt ſpiritus, qui ſemini dum elaboratur in teſtibus, permiſcentur; vel non ſufficiunt. Si ſufficiunt, fruſtra alij excogitantur & adiunguntur, quos ne dicant fruſtra introduci, eligent ſuſtinendum, priores non ſufficere; tuncque vel teſtes non habebunt generatiuam, vel ſi habebunt, ea erit incompleta, atque (vt ita dicam) dimidiata vel diminuta; quorum neutrum eſt pro dignitate principij, aut ad aures Galeni: Non pro dignitate principij, quoniam principij eſt, ſua virtute totum id continere, quod à ſe cauſatur & pendet: percurre animo ſubſtantias omnes, quas membra cętera officialia ad communem vſum conficiunt atque diſpenſant, cunctas comperies ex eorum elaboratione ſufficientem formam, exactumque complementum adeptas, quantum communis indigentia videbatur expoſtulare. Non ad aures Galeni, quandoquidem ipſe non modò hæc inter principia repoſuit, [a] ſed etiam profeſſus apertè eſt, ab his ſemen vndequaque perfectum produci; eſse dicit [b] teſtes alterum innati caloris fontem, & ſi vſum ſpectes, prope ad cor ipſum accedere, immò tanto præſtantiores videri, quanto præſtat benè, quàm ſimpliciter viuere.

a in Arte Med. c. 9.
b 1. de ſemin. c. 15.

Has autem prærogatiuas ex ſola corpulentiæ ſeminalis præparatione & coctione habere non poſsunt, niſi perfectum ſemen, aggregatum ſcilicet ex ſeroſo humore & ſpiritu perficiant, illiuſque aura corpus vniuerſum perfundant. Quippe eos ſinceriſſimam ſeminis poſſidere qualitatem, quam & in omnes animalis partes quàm citiſſimè diffundant, non ipſe tantum Galenus, ſed experientia docet, & prætérea, continere ſemen non ſolùm multum, & citò, ſed exquiſitè etiam confectum; cuius actiuam facultatem & formam eſse ab impreſſione horum officialium membrorum, probatu non eſt difficile: quoniam cum amplius non ſit dubium, ſemen neque à toto, neque à corde, neque ab alio principe membro elaboratum ad teſtes deſcendere, quemadmodum tam ex antea diſcuſſis, quàm ex eruditis Recentiorum conſiderationibus [c] luculenter eſt demonſtratum; remanet,

c Mund. de Gen.

net, vt in testibus conuenientem formam, & genitalem facultatem, quæ totã informatam materiam perficiat, adipiscatur: At nulla forma materiam perficit, quæ non sit vna per simplicitatem essentiæ, nõ autem per aggregationem. Hanc igitur vbi acquirat vel totum semen, vel illius spiritus, si non in testibus, haud discerno: quam sanè veritatem eos non inficiari video, qui ex tribus communibus spiritibus, animali, vitali, & naturali, tanquam ex heterogenea materia, testes animam educere, vnde semen animatum redditur, enunciarunt, idque in progressu non semel repetiuerunt: immò & qui dicunt, ex pluribus vnũ fieri spiritũ, vt supra tetigi, d ad hoc fatendũ vel inuiti pertrahentur. Postquam igitur reliquum est, semen fęcundum in testibus generari, atque ab ijs genitalem facultatem acquirere, posteaquam hæc nulla alia est pręter vegetatiuam (quod tantisper mihi concedatur, donec de hoc meam sententiam aperiam) quando sub hac vegetali comprehenditur generatiuã, quæ ex alteratiua & formatiua constat, à primo ad vltimum de necessitate consequitur, formatiuam non aliunde semini, quàm à testibus comparari. Hanc verò esse virtutem nõ illimitatam, sed pro formandorum membrorum varietate multiplicis facultatis, negari non potest. Qui enim diceret, formatiuam vnius tantum & simplicis, indeterminatæque potestatis esse, vt per se, & propria vi nequeat omnia membra formare, ac similitudines reddere, contradiceret in adiecto. Vno verbo, vt aduersarios de absurditate conuincam, in quam eos necessariò incidere iudicabam, ita breuiter ratiocinor: In omni naturali agente, actio quælibet atque facultas pro principio habet formam illius agentis; semen est naturale agens: ergo principium omnium suarum operationum eius forma statuenda est. Adiungo, forma naturalis ab eo efficiente prouenit, quod ipsam de potestate materię educit; sed testes sunt, qui de potestate materiæ seminalis seminis formam, quæ anima est, siue vegetalis, siue cuiuscunque alterius ordinis, educunt: ab ipsis ergo hæc forma procedit. Minorẽ nõ video quomodo sint negaturi; sed si negent, facilè probabo, si quidem vbi coquitur semen, vbi nouam & vitalem temperiem acquirit, vbi serosę humiditatis & spiritus fit permixtio, ibi etiam forma, quæ in his consistit, vel quæ hæc consequitur, producitur; ista omnia in testibus efficiuntur: ab ipsis ergo omnino seminis forma procedit. Vt ex his concludere liceat, omnem seminis facultatem & actionem virtuti formali & effectiuę à testibus semini inditę esse tribuendam. Quòd si inter huius facultates sit formatiua perperam hanc ab alijs principibus membris, aut etiam à reliquis corporis particulis, non à solis testibus produ-

d Cap. 4.

ctam.

ctam autumant: & quod de semine dixi, idipsum de spiritibus dictum puta, si ex ipsis, vt quibusdam ex aduersarijs placet, seorsum à crassamento testes animam educant.

Hac tamen consideratione non obstante, quę in semine nihil effectiui ab alio, pręterquā à testibus, agnoscit, si asserat fortasse quispiam, hos à toto confluentes spiritus à natura semini superadditos, ad indiuidualem similitudinem reddendam; Quęro, an superadditi credātur necessariò, & ad rem necessariam, vel contingenter, & ad rē contingentem: Neque enim video qui determinaturi sint, vel contingenter hos confluere spiritus, si eorum effectus sit necessarius, vel necessariò, si sit contingens. Vbi igitur respondendo eligatur primum, quod petebam, vt nonnulli istius sententię fautores ex suis hypothesibus eligere coacti sunt; tunc maior erit in partibus vis, quàm in principio, ne dicam, totam formatiuam esse particulari hac sigillatione comprehensam. Ad cuius rei euidentiam sciscitabor, an species generet, vel indiuiduum? quà homo, an qua talis homo, Socrates nimirum, vel Plato? procul dubio quà Socrates primùm, deinde quà homo, tertiò quà animal, sed semper magis quà Socrates,
» atque indiuiduum. Doctrina tota est Aristotelica, [Valet autem
c 4. de gē. ani. cap 3 » (inquit Philosophus) , semper in generādo magis, quod propriū
» & particulare est; Coriscus enim & homo, & animal est, sed pro-
» pinquius homo, quàm animal est: generat autem & quod parti-
» culare, & quod genus est, sed magis quod particulare, hoc enim
» substantia est: Quod enim gignitur, etsi quale quid est, tamen
» hoc quicquam est, idque substantia est. Quamobrem ex facul-
» tatibus insunt in seminibus eiusmodi omnium motus; Maiorum
» etiam propria, & nepotum semini insunt potentia, sed propin-
» quius semper quod particulare est, Coriscum dico, aut Socratem.
» &c.] Quo fit, vt semen, quantumuis illius actio, ex communi naturæ scopo, ad speciei conseruationem ordinetur, attamen ex primo suo conatu & pręcipua operatione tentet particularis generantis figuram exprimere.

Si ergo semen in testibus elaboratum ex eorum sigillatione non sufficit, vt indiuidualem figuram exprimat, nemo non videt, ipsum principali motione destitui, quæ aliarum quodammodo est fundamentum & basis. Dico, particularem hanc aliarum quodammodo esse fundamentum & basim: primum, quia si Coriscus quà Coriscus, magis generat quàm vt homo, mouebit etiam magis & principalius quà Coriscus ex quo primis antea recitatis verbis Aristotelis dixit:
» [Valet autem semper in generando magis quod proprium & particu-

„ ticulare est.] Et generatiua in simili producendo primò indiuiduum respiciet, secundo loco speciem; inde similitudo particularis prius erit in intentione naturæ, quàm specifica: & meritò, quando indiuidualis, quę specie à specifica non differt, exactior atq; perfectior reputatur; & quod operatur ad perficiendum, sibi apicem perfectionis quantum potest proponere consueuit. Quapropter indiuidualis generatiua, quatenus indiuidualis, erit (vt ita dicam) magis generatiua, quàm specifica.

Addo quin etiam, meritò particularem hanc seminis impressionem aliarum basim constitui, quia ista specificam & genericam potentia continet: Nam quod potentia physicè ab aliquo continetur, actum supponit realem in eo quod continet; & quod plus comprehendit, continet id, quod comprehendit minus. Modò actus realis non est, nisi in indiuiduo, & indiuiduum plus comprehendit, quàm species; & species, quā genus: quare quod specificum & genericum, continebitur in indiuiduali: similitudo ergo indiuidualis, & generatiua indiuidualis potentia specificam continebunt, eruntque basis atque actus, cui innitatur specifica, & qua in potentia contineatur; immò cum actiones sint substantiæ singularis, quę est hoc aliquid, isthęc propria, veraque erit generatiua, quę semen formabit & moderabitur modò particulari. Et si Ioannis Grammatici expositionem bene ponderaueris, eatenus vniuersale generare comperies vel generari, quatenus spectatur in particulari; quasi dicat, ex consequutio-
„ ne quadam: [Sed magis (inquit) quod particulare est: Hoc enim
„ substantia, & quod generatur, prima scilicet & præcipua, ac quæ
„ magis propria est; quę & generatur, particulare est, sed vniuersale
„ in ipso inspicitur.

Si obijciatur, genericam similitudinem sine specifica stare posse, specificam autem è contrà non absque generica; atque ita de indiuiduali, respectu specificæ: Si dicatur, haud posse in fętu indiuidualem similitudinem haberi, vbi is (quod vsu venit plerumque) neque patrem referat, neque matrem, neque auos, aut proauos: Ac proinde, cum non entis nullę sint qualitates, hanc aliarum similitudinum fundamentum non esse. Respondebo ego, tunc cum fętus neque parentibus, neque maioribus particulariter, puta in simitate nasi, aut oculo cęsio, similis est, specificam ipsam similitudinem fieri indiuidualem, quatenus vtcumque format modo particulari, atque similitudinem genericam & specificam, nisi ab indiuiduali comprehendantur & fundamentum capiant, neque omnino esse, neque stare in rerum natura posse. Profectò Recentiores ad memoratam doctrinam Peripa-

ripateticam inclinasse, ex eo suspicatus sum, quòd in eorum disputa-
cap. 9. tione viderim determinari, quod & antea tetigi, scilicet ex sigillatione facta à testibus, quæ officialia sunt membra, similitudinem specificam tantùm enasci, sed hanc eandem multo magis prouenire à sigillatione spirituum, facta à membris officialibus ipsos gignentibus, vel ab omnibus simul parentum membris, quasi sigillatio particularis, quam indiuidualem vocamus, vtpote quæ alias comprehendat, plus in similitudine specifica tradenda valeat, quàm sigillatio, quæ à testibus emanarit. Sed hercle, quantum vim testium seminis effectiuam extenuarunt? quando, quod ad has impressiones attinet, debilior sigillatio fortiori nihil addere nata sit.

Dicam insuper, in eorum conclusionibus nonnihil contradictionis implicari, quòd supponentes quę ab aduersariò negarentur, 4. conclusione asserant: [Membrum officiale se habere indifferenter ad figuras membrorum aliorum: Vnde non posse impressionem aliquam figurę in seminis naturam efficere, aut in spiritus, respectu vel totius, vel partis determinatę, pręter sui ipsius figuram.] Quomodo ergo testes sigillabunt semen, quod sexta Conclusione professi sunt, vt membra ex eorum impressione nascantur conuenientia leoni, equo, & reliquis, quæ variam limitationem, quæcumque illa sit, spirituum, vel crassamenti, actualis, vel potentialis, aut alterius generis, non indifferentiam supponunt? Pro qua re considero, sigillationem motum esse actiuum, quo materia respectum essentialem acquirit ad formam leoninam, & simul dispositionem, vt ex ea possint generari membra, & membra leoni congrua: quod autem dicitur, corpus organicum, quale leonina postulat forma, aut membra leoni congrua, importat plura corpora distincta, quę habeant figuram, temperamenta, situs, connexiones, proportionesque inuicem, qualia postulat leo. Igitur sigillatæ materię dispositio, vt ex ea leonis membra efficiantur, vniuersa hęc merito receptę sigillationis respiciet, & consequenter ipsa sigillatio, subindeque etiam facultas, à qua producitur, eò spectabit: Vnde & sigillatio erit actus secundus multiplicis potestatis, atque itidem testium complexio aut forma actus erit primus, non illimitatus, respectu aliorum membrorũ, neque propriam tantummodo figuram respiciens.

Atque hic non satis intelligo, quo pacto isti spiritibus seminis, qui à toto non fuere decidui, virtutem non denegent formatricem; atq; etiam quomodo non sustineant, animam seminis, adeoque vim effectiuam, non à testibus (quod alios quoque sensisse antea memoraui) sed à toto corpore deriuari, vt proinde paulatim partem hanc à principatu

cipatu visi sint exturbasse; cum tamen expressè altera ex parte professi fuerint, testes ex propria vi & facultate semen fœcundum & prolificum generare: immò etiam ipsi animam impertiri: quod perinde est ac si dicatur, eos semen vi generatrice, ac efficiendi potentia præditum conficere. Ita loquor, quoniam primùm in eo Ferneliani apparent, & Laurentium sequuti, quòd eam laudant opinionē
„ quę sustinet [generantem facultatem in perfectis animalibus nihil
„ esse aliud, quàm aggregatum quoddam facultatum, quę ex vniuer-
„ so corpore, maximè verò ex partibus principibus, iecore, corde,
„ cerebro, cum spiritibus confluunt.] Deinde, quoniam secundū
„ eorum principia, [manci à mancis fiunt, quia à membris mancis
„ mancorum in semen spiritus non deciderunt, & quia formatiua à
„ mancis decisa, membra deficientia nutrire, & per consequens, per
„ partes generare non erat solita. Quod si aliquando à mancis gi-
„ gnuntur integri, supplet virtus formatiua, à fœmina non manca
„ decisa, & spiritus multi, à membris in fœmina non deficientibus
„ decisi.] Spiritus ergo per ipsos, qui in prima constitutione seminis illius corpulentię permiscentur, & ex quorum miscella à testibus anima elicitur, non sufficiunt sine illis, qui sunt à toto decidui, ad conformandum membrum simile, neque in indiuiduo, neque etiam in specie; alioqui si sufficerent, perperam horum vim atque operam neglexissent, maternis tantummodo subrogatis. Nisi fortasse putent, formam, ex prima communium miscella elicitam, tametsi (vt ad esse specificū pertinet) teneatur simplicis atque impartibilis essentię, sue alicuius partis diminutionem pati, quemadmodum insinuasse visus est Dinus ex quodam refugio, cuius sequenti Capite mentio fiet: licet hoc neque ipsi introducant Recentiores, neque secundum propria principia bene possint recipere. Formatiuam quoque à mancis decisam, quia ad membrum, quod deficit, non extenditur, pro ea parte mutilam esse determinant: quare videntur hanc à toto, sicuti etiam spiritus, omnino deducere, non à testibus. Atque ita, quod ad formatiuam attinet, in eam quodammodo sententiam incidunt, quam Magnus Albertus Platoni tribuit, & damnat g tanquam absurdam. g 15. de Animal. cap. 1.
„ Ponebat hæc; [partes spermatis determinatas virtutes habere
„ membrorum, à quibus deciduntur, & per speciales & partiales
„ virtutes partium spermatis, quamlibet operari membrum vnum
„ ex parte spermatis, in qua est; ita vt non sit vna vniuersalis forma-
„ tiua virtus in spermate, quæ operatur totum ex vno aliquo, quod
„ est principium totius, sicut cor dicitur esse.

Foroliuienſis, Dini, & Thomæ de Garbo opiniones, de ſpiritibus & facultate à principibus membris, & à toto deciſis, proponuntur & confutantur. Nonnullæque aliæ contra Fernelium, Laurentium, & Recentiores adijciuntur conſiderationes.

CAP. XII.

ALbertus hactenus opinionem damnans, quæ formatiuam vnam per aggregationem plurium facultatum, ab omnibus corporis membris promanantium ſuſtinuerat, cui ſententiæ aduerſarij (vti dixi) quoquo pacto videntur adſtipulari; vbi ſpiritus, qui in ſemine ex tribus communibus conflatur, eorum iudicio, non ſufficit ex ſe ad integrum animal efficiendum, tametſi ex ipſo anima à teſtibus ſit educta.

Nunc (quod non fuerit extra inſtitutum, & ad eos pertinet, qui particulares ſpiritus à toto contingenter confluere ad rem contingentem exiſtimant) monebo lectores, Foroliuienſem & Dinum, quorum doctrinis Recentiores ſua roborant placita, magis circumſpectè atque apertiùs in propoſito egiſſe. Etenim opinio fuit Foroliuienſis, † decidere poſſe particulares ſpiritus ab omni parte corporis, qui dearticulent communes, à principibus ſemini prouenientes. At impediri aliquando hunc particularium ſpirituum concurſum, vel propter opilationem, vel propter reſolutionem, vel propter alias cauſas, antequam ſeminali materiæ permiſceätur, & nihilo tamen minus abſque horum interuentu, ſufficere ad formationem exequendā gignitiuum, ex tribus communibus conflatum, licet non ęquè bene ſit idoneus ad particularem ſimilitudinem exprimendam.

† Sup. ca. de Gen. emb. q. 3.

Dinus & ipſe ab hac ſententia non diſcedens, a neceſſarium quidem putat trium cõmunium ſpirituum confluxum in ſemine, ſed non illorum, qui à ſingulis partibus vniuerſi corporis ſecernuntur; contingens enim eſt, illius quoque ſenſu, eorum deciſio, ac proinde fit, vt aliquando naſcatur filius cum peculiari patris ſigno, puta cicatrice, aut næuo, aliquando non, cui ſententię apertè ſubſcribit etiam Thomas de Garbo. b

a Ibidem q. 1.

b 1. de pot. & vir. ani. tra. 5. q. 56.

Cùm

Cùm verò interrogantur, cur si sufficit spiritus gignitiuus ex tribus communibus conflatus, ad integrum animal efformandum, non semper formatur completum, sed aliquando mutilatum ad instar patris? Respondet Dinus, hoc euenire ex compassione (vt illius vocabulo vtar) cordis, tempore decurtationis factę; sicque & ipsi ad imaginationes à consentaneo maximè alienas coguntur confugere. Quæ enim in facultate cordis diminutio, quæ ad membrum deficiens potiùs pertineat, quàm ad aliud, excogitari potest ex passione iamdiu prǣterita, nihilque in præsens afficiente? Mitturnè forsan à mutilato membro aliquid, quòd cordis alteret facultatem, vt illam respicit partem? aut ad ipsum non transmittitur ob membri defectum, quod transmitti antea consueuerat? Quæ, amabo, in corde patris non podagrici, quod non compatitur aui articulis, prǣternaturalis dispositio inueniri valet podagricum filium generans, similē auo, vel abauo podagricis? qui consensus, aut quæ compassio cordis in patre non extra vterum, sed à generatione decurtato? Hanc postremam cùm viderit obiectionem Dinus, vt se ab ea explicet, rursus ad spiritus confugit à toto deciduos. Modificant (inquit) particulares spiritus, à membro decurtato decisi, spiritum gignitiuum, aliàs de se valentem integrum membrum formare, vt ex hac modificatione generet decurtatum. At enim, ni ego fallor, longè magis fuerit consentaneum, si dicatur, modificari potiùs spiritum particularem perquam tenuiter sigillatum, vt ipse quoque fatetur Dinus, & cuius decisio ac officium res supponuntur accidentales à spiritu gignitiuo, cuius principium effectiuum est à membro officiali, quiq; primò, & per se formationem exequitur ex alta sigillatione. Mitto, inter alias machinas tantam etiam casus limitationem ac vim, tantamuè sympathiam esse fingendam, quanta non est credibilis, vbi spiritus, qui à membro manco decidit, totus, integer, atque ad amussim est aditurus illam gignitiui portionem, quæ materiæ applicatur, ex qua determinatum illud membrum mancum debet generari. Quòd si ab istius opinionis defensore quæsiuero, in cuius qualitatis virtute particularis ille spiritus vim habeat gignitiuum modificandi? Is effugere non poterit, quin respondeat, in virtute facultatis parti insitæ, quæ illius conformationem, qualiscumque ea fuerit, potest propagare. Tuncque considerabo ego, hanc, quæ impropriè dicitur mutilatio, sed re vera est monstrositas, habituram esse vim se ipsam propagandi & conseruandi, quod est præter institutum naturæ. Atque hæ sunt difficultates, quantum ego video, relatam opinionem vrgentes, quas, aliasque plures forsan ipse ob-

seruauerat Dinus, vbi tandem ingenuè, & vt grauem Philosophum decet, conclusit, se in huius, suę quæstionis positionibus, atque in multis alijs in ea consideratis, sibi non vndique satisfecisse.

Sed vt eò iam reuertar, vnde discessi. Profectò vbi Fernelij, Laurentij, & Recentiorum assertionem considero, & video, illam pro omnibus, quæ in contrarium proferuntur experimentis, à Neotericis parata fuisse refugia, laudo solertiam eorum atque ingenium; sed nonnullos reperio aditus non obstructos, qui tamen maximè muniri ad tutelam debuerant. Si dixero, sæpenumero ex mancis mancos non gigni: in promptu habent, quò se recipiant, nimirum quòd alter ex parentibus supplet. Si dixero, virum vnico teste præditum filium generare cum duobus: respondebunt, si non fęminę testes, figura & temperamento dissimiles, saltem vnicum illum patris supplere. Si vtrique parentes manu. v. g. dextera fuerint mutilati: dicent, supplere sinistras. Omnibus, inquam, his hucusque sua pararunt responsa. Quid si pater, cui aut ex lue Gallica (vt sæpenumero euenit) aut aliam ob causam glans vel ex parte, vel ex toto fuerit absumpta, filium gignat (quod ego factum vidi, & alij quoque alias videre potuerunt, & poterunt) integro virili pudendo? Hoc certè casu neque mater habet, quod suppleat, neque pater. Ad hęc quid causæ est, cur post tot sęcula & annorum millia, ab Abrahamo scilicet atq; Ismaele, omnes circumcisi patres, quales Hebręi & Turcę, filios integris præputijs (vt ipsi quoque norunt Recentiores, atque fatentur) semper procrearint, neque vnquam assueuerit natura, vt de Macrocephalis ex Hippocrate prędicant, hac parte mutilos, aut saltem valde extenuatos generare? Dicant, amabo, si formatio à spiritibus fiat, qui partium Ideas vel temperamenta contraxerint; itidemque à facultate, quæ particularibus membris insideat, quomodo, & à quo spiritu oua fingantur? Quid fit in rana, quod in ranula nuper edita caudam efficiat? Quid in animali, cuius tertia mutatio generationem complet?

Non me pręterit, istos haud ambigere, huius ordinis vermiculos primò genitos abauiculis, seu papilionibus, neque specie esse differētes, neque animam numero diuersam habere. Ego verò puto, hoc non esse simpliciter verum. Ratio est, quia si animalia hæc tertia conuersione habent complementum, certè pro natura harum transmutationum etiam differentiam sortiuntur: Vnde si trasmutationes fuerint substantiales, vt differentię etiam substantiales existant, necesse est; mutationes autem esse substantiales, ex terminis discere licet, qui sunt à substantia ad substantiam, & sunt termini stabiles,

sub

ſub quibus variata organizatione, ſpatio temporis notabili &, ſatis diuturno manet anima & vita, efficitque ſub vna mutatione operationes proprias, quas aliarum mutationum animalia non exercent. Adde, diſtinctionem de his mutationibus, ſi non ſint omnes eiuſdem generis cum prima, quę indubitatè eſt ſubſtantialis, non fuiſse Ariſtoteli vllo pacto prætermittendam. Poteſt igitur Recentiorum ſuppoſitio vera eſse ſecundum quid, ſed non ſimpliciter. Vera, nimirum quia forma pręcedens ita non aboletur, vt ad prorſus oppoſitam priuationem materia tranſeat. Non ſimpliciter vera, quoniam prioris animę variatur ſubſtantialis eſſendi modus, atque eſſentialis ad materiam habitudo. Dicunt, primę mutationis animalia habere initiata membra, quę conueniant animalibus ex poſterioribus conuerſionibus naſcituris, ad inſtar vituli latentia cornuum veſtigia gerentis. Aſſertio ſanè voluntaria, eoque magis ſuſpecta, quoniam reliqua, quę primò tenetur organorum figuratio vituli, ex superueniente cornu aut frutice non mutatur, vt mutatur atque aboletur in ſericeis alia ſuperinducta. Itaque ex hoc non aufertur difficultas contra ſpiritus à toto deciduos, qui ſigillati à partium temperamentis atque Ideis, animę formationem particularium membrorum pręſcribant, quam, argumento à talium generatione deducto, ego ad vim principij eſſe referendam exiſtimo.

De membranis fœtum inuoluentibus quid dicemus? Ipſi aduerſus Recentiores, qui ſemen à toto deciduum ſuſtinuerunt, ita vt à quolibet particulari membro particularis forma & figura ſemini eſset inſculpta, membranas fœtum inuoluentes conſiderādas propoſuerunt, quę cum parentum membris nullam ſimilitudinem habent. Exſpectabam, poſteaquam ex eorum placitis, temperies particularis alicuius membri non dependet aliqua ex parte à ſeminis materia; poſteaquam eorum ſenſu, teſtes & officialia membra non valent, niſi pro ſua particulari temperatura, ſpiritus limitare, neque poſſunt impreſſionem aliquam figurę in ſeminis materiam, pręter ſui ipſius figuram efficere: Exſpectabam, inquam, vt docerēt, à quibus particularibus ſpiritibus à parentibus deciduis iſtarum membranarum generatio accideret; at videre non potui. Haud equidem diſſimulabo, me vidiſse, iſtos, loco ſpirituum, ſeminalem animam ab anima parentum deciſam introduxiſſe, quę olim membranas illas per partes generabat & alebat, quando parentes in materno vtero concludebantur. Quod fortaſse eſt idipſum, quod reſpondebat Dinus, [c] has ſcilicet membranas in generante virtualiter reperiri, quatenus fuit aliquando embryo, vel fœtus. Sed nonnè illa eadem generantis anima

[c] *Com. li. de Nat. fœtus.*

ma alebat,& per partes generabat brachium obtruncatum,ita vt virtualiter illud valeat continere? Nonnè tacitè concedunt, in his partibus efformandis, vegetalem, quæ semini ex testium alteratione communicatur, non indigere limitatione particularis spiritus,& virtutis, quæ à singulis procedunt membris? At hoc est, quod in præsentia requiro: Nullam certè hic video peculiarem membranarum virtutem, nullos spiritus, nisi quos anima, à testibus semini indita, in hunc vsum limitauerit, alias ex se illimitatos. At cur idipsum reliqua formando membra facere non poterit, & faciet? Cur per plura fit, quod haberi potest per pauciora? Quando igitur similium membrorum efformationem sine spiritibus & virtutibus à toto deciduis anima seminis exequi valet, perperam causam mutilatorum fœtuum, qui ex mutilatis nascuntur, in particularium spirituum defectum,& in animam, quæ membra illa generare per partes non con-
,, sueuerat, referemus. Asserebant ex Auerroe: [Quòd res poste-
,, riores, quando ex eis non sequitur de necessitate aliquod prius,
,, non possunt poni vt ratio, siue signum, ad esse prioris.] Rationem ego aliam non video, nisi quia signa & effectus non ita per se ab ea causa dependent, vt ab alia etiam pendere non possint; ex quo tollitur mutua illationis necessitas. Si igitur formatio partis non respicit per se animam, & spiritum à toto deciduum, ita vt ab alia causa pendere non possit, neque formationis effectus erit signum sufficiens animæ & spiritus à toto deducti, neque anima & spiritus à toto deducti erunt causa sufficiens & per se posterioris, vt scilicet ea posita & ablata, per se ponatur atque auferatur effectus.

Interim si postulauero, quæ sit anima, cui generandi per partes munus iniungunt? certè respondebunt, hanc nullam esse aliam, quàm quæ est substantia facultatum naturalium. At hæc partibus singulis insita est, ac pro singularum temperie operatur; quo fit, vt citra particulare temperamentum hanc per partem generationem nequeat exercere. Modò si hæc, vt se habet ad particularem generationem, ita etiam ad totalem, consequens est, vt sine particulari temperamento nequeat totalem alicuius membri generationem instituere, & propterea necessariò postulat materiam aliquam, vel humoralem, quæ à singulis decidat partibus; vel spirituosam. Atque ita irritum remanet, quod respondent obiectioni de membranis fœtum inuoluentibus. Si concesserint, quod citra contradictionem concedere non possunt, hanc animam eminenter in testibus, tanquam in principio contineri; Concedēt quoque hanc ita semini, aut illius spiritibus cōmunicari, vt in istis sit vna formaliter, sed multiplicata secundum

virtutem;

virtutem: inde etiam posse brachium obtruncatum generare, licet cùm generat totum brachium, hoc ipsum, quod desideratur in generante, per partes non generet; inde neq; opus habere spiritibus & facultatibus à toto delapsis, quippe quæ & sufficientem habeat vim, & sibi valeat communes in semine contentos spiritus limitare. Si dicunt, spiritus à toto confluentes, ad saluandas nonnullorum opiniones, introduci & probari: hoc non est philosophicum; veritas vna est, neque consueuit in superfluis abundare natura, præterquam quòd apertè suppositiones ad hos spiritus pertinentes sua esse principia profitentur.

Statuunt, vegetalem seminis animam, à parentum vegetali decisam, quæ omnia membra per partes nutriebat, formare organa. Quæro, an ista vegetalis communicetur semini à spiritibus à toto deciduis, an à testibus? Alij fortasse dicerent, à spiritibus à toto decisis. Isti, quibuscum mea hæc est dissertatio, quamquam his spiritibus valde faueant, à testibus dixerunt, neque modum celarunt, scilicet ex continuatione & vnione spirituum seminalium, & eorum, qui testibus insiti sunt, animam quoque eandem totius generantis ad semen extendi: extenditur ergo totius anima ad semen mediantibus testibus, inde oportet, vt vegetalis anima indiuidualis cum suis virtutibus, inter quas formatiua (istas enim quoque cum ea in semē trāsire rationabile est) colligatur in testibus, aut aliter testibus delegetur, vt ipsi hanc formam cum his viribus habeant. Et sanè crediderim ego, posteaquam seminis anima ab anima, quæ parentes per partes nutriebat, decisa, tanquam illius soboles, testium actioni & transmutationi refertur accepta, necessariò consequens esse, hanc à virtute eiusdem modi, & conditionis, quæ in his officialibus membris contineatur, causari. At quæ semini insita est à testibus animæ vis, suapte natura & conditione, non vnius, sed omnium membrorum facultates complectitur. Per hunc igitur modum anima à testibus semini communicabitur, atque etiam in ipsis, tanquam in membro principe continebitur. Testes igitur vtcumque erunt, veluti epilogus eminentissimus, idearum totius corporis & membrorum, animæque seminalis & formatricis, quæ à vegetali comprehenditur, generatores. Qui enim fieri potest, vt aliter generantis animam illius partes nutrientem semini, vel in eo contentis spiritibus, impertiant, relatam essentialiter ad corpus organicum, conflatum ex membris diuersarum complexionum & figurarum, quas secundum peculiares earum naturas realiter & distinctè in testibus esse non posse, nemo ambigit, quamuis possint virtualiter. Tuncque (vt iam dixi) superflui

flui erunt ſpiritus à toto decidui, quouis modo ad limitandum excogitati, ſuperfluæ eorum virtutes particulares, ex quarum aggregatione reſultet formatiua.

Dicebant, quemadmodum antea memoraui, teſtes ſigillare materiam, vt ex ea membra leoni conuenientia generentur; cur hoc eodem actiuo motu, dum ex tribus communibus ſpiritibus animam educunt, eos non ſigillabunt? Nam quid aliud ſit eiusmodi ſigillatio, præter temperamenti impreſſionem, non video. Quocirca & ipſi hanc ob cauſam, vt puto, talem ſeminalis ſpiritus ſigillationem non inficiantur: inde duo poſtulanda ſuccurrunt. Primum, cur ex hac impreſſione ſpirituum pars, quæ deficit, ſaltem in ſpecie ſimilis atque integra formari nequeat, quando, vt ſuprà conſideraui, hoc fieri non poſse ex eo colligatur, quòd poſthabita gignitiui ſpiritus facultate, ex mancis patribus filij non manci geniti ſupponantur, quia ſuppleant ſpiritus, qui à matribus integris ſeceſſerint. Secundum, quod ad horum ſextam concluſionem iam relatam pertinet, libenter ſcirem, an figura ſpecifica non ratione tantùm, ſed re etiam ipſa ab indiuiduali diſtincta ſit. Profectò formæ materiales, quæcumque illę fuerint, non habent eſse, niſi in materia, & materia particulari, in qua comites etiam habent particulares diſpoſitiones & impreſſiones, vnà cum ipſis eodem actu generationis exortas. v.g. forma hominis, & quæ hanc ſequitur figura, eſse non habent niſi in particularibus, puta Socrate, Sophroniſco, & reliquis, & ſimul etiam indiuiduales differentias comites habent inſeparabiles, cum ipſis eodem actu enatas, puta naſi figuram, & ſimi, vel adunci. Cùm igitur, vel ipſis conſentientibus aduerſarijs, non poſſit eſse forma aut figura vlla, niſi in particularibus ſubiectis, cum non poſſit eſse vel fieri naſus, niſi vel ſimus, vel aduncus, vel rectus, meritò huic propoſito illud

c4. Meta. Tex. 3. „ ex prima Philoſophia poterit adaptari: [Quæcumq; eadem ge-
„ neratione generantur, & eadem corruptione corrumpuntur, eſse
„ eadem realiter.] Inde ſequitur, hæc ab vno & eodem efficiente, vno & eodem actu cauſari. Cùm itaque idem ſit efficiens, idemque actus, qui naſum, & naſum ſimum efficit, neſcio quomodo vnius & eiuſdem efficientis non ſit dare formam & figuram ſpecificam, & figuram ſimul ac ſimilitudinem indiuidualem. Cùm autem ſemen nihilo ſeciùs moueat, quàm moueatur, procul dubio quæ facultas ſigillauerit ſemen & ſpiritum, abſque aſcititia limitatione, pro figura naſi, illa eadem eodem actu ſigillabit pro ſimo, & quæ ſigillatio naſi, eadem & ſimi.

f2. de Se. cap. 2. Scio, non defuturos, qui cenſeant, neque prorſus ab re, Galenum f

cau-

causas similitudinis specificę in solam materiam retulisse, id quod tā apertè ipse profitetur, vt nisi benigniorem interpretationem adhibeamus, videatur meritò posse reprehendi. Sed considerare expedit, similitudinem specificam pendere à forma substantiali, quæ non inducitur, sed elicitur mediantibus dispositionibus, aut affectione materiæ, qualiscumque ea sit; ita vt ex ipsis quodammodo purè emergere videatur, ac in tantum ab efficiente causari, in quantum ab eo materia fit, ad quam tales pertinent dispositiones. Modò cùm substantialem formam necessariò sequatur figuratio & similitudo specifica, non item indiuidualis, meritò illam à materia procedere Galenus censuit, hanc verò ab efficiente peculiariter operāte: etsi enim specifica & indiuidualis (vt nuper dixi) sint vna & eadem realiter, quia tamen ratione differunt, quatenus, quæ est effigiei, consistit in quadam modificatione accidentali specificæ, potest esse opus, vt re vera est, solius efficientis. Sed enim, licet hæ figurationes ad principium seminis efficiens ita se habeant, inde tamen non sequitur, haud posse ambas ab vnico actiuo principio, & vnica actione causari; sunt enim istæ duę figurationes ita vnitæ & impartibiles, vel etiam in arte factis, vt earum causa efficiens non possit esse, nisi re & subiecto eadem: quemadmodum, si à Galeno adductum exemplum Polycleti considerauerimus, clarè constat.

Sed quæro à Recentioribus, vnde testes vim habeant sigillandi pro figura specifica? certè vel ratione materiæ, quæ in specie ipsis, omnibusque indiuiduis, ac eorum partibus sit communis; vel ratione communis formæ; aut propter vtramque. Nihil enim aliud inuenio, quod sit natura communis, ex cuius participatione talis sigillatio aut impressio subsequi possit. At testes nonnè sunt æquè immediatè, ne dicam magis sub communi forma, & ex communi materia eiusdem indiuidui, ac sub communi forma, & ex communi materia eiusdem speciei? tam promptè ergo sigillabunt pro figura indiuiduali, quàm pro specifica.

Tandem circa eiusmodi seminalis materiæ sigillationem à testibus inditam, hanc quoque animaduersionem adijcio: satis inter nos conuenit, eiusdem esse efficientis apparare materiam, & formā producere. Nam etsi à quibusdam, g quorum dogmata amplexati sunt Recentiores, hoc fortasse non concedetur, scio tamen, apud eos non vno in loco fuisse receptum & approbatum. Quin etiam scio, propositionem verificari, vbi dispositiones sub ea forma, ad quam ordinantur, remaneāt: Iam uerò si per istos, dispositio materiæ ad figuram specificam à testibus, mediante specifica seminis sigillatione,

g Fer. 1. de Abd. re. cau. & ante ipsū Auicen. 6 Meta. & alibi.

k prouc-

prouenit, & remanet sub figura specifica, testes procul dubio, aut eorum vis, dabunt figuram specificam. Sic si figura specifica sit dispositio ad indiuidualem, & remaneat sub indiuiduali, hæc etiam indiuidualis à testibus emanabit.

Argumento generationis piscium, plantarum, & spontaneorum; Auctoritate Aristotelis, atque alijs nonnullis rationibus adductis, ijdem spiritus à toto decidui exploduntur, & totam formandi facultatem semini à testibus esse inditam adstruitur.

CAP. XIII.

† 1. de Gen. ani ca. 20 vide etiã eod. li. c. 8 & 13.

VErùm ad principale hæc insuper parit difficultatem consideratio, quòd multorum piscium mares, ex Aristotele, † vnica, & momentanea seminis emissione infinita propemodum oua fęcundent, & fœminę vno conceptu vel vniuersa simul, vel saltem quàm plurima oua soleant generare; consequenter & seminis corpulentiam, & spiritus, qui in ipsa reperiuntur, in innumerabiles diuidunt partes. Quod si hi naturam & vim variam ac dissimilem habent, pro varietate & dissimilitudine membrorum, à quibus decidunt quomodo in singulis ouis integra succedit formatio? Dicunt Recentiores, alijque, quos videntur sequuti, antea dixerunt, semen totum, quod est continuum, vnica informari anima. Vnde consequitur, vnica etiam decessione spirituum donatum esse, si modò spiritus animæ formanti tanquam instrumentum debeat subiectari. Et quod de piscibus dixi, id ipsum de auibus dictum puta, quarum masculi vno initu quàm plurima oua possunt, & solent fœcundare, & fœminæ simul multa oua concipere.

Sed & plantę semen proferunt, ex quo planta similis generatur, fabricanturque organa eadem, nullo spiritu particulari à trunco, cortice, radice, & reliquis defluente, sed vna simplicis caloris varia & multiplici limitatione, ab anima vegetali arboris prodeunte. Quòd si in talibus eò excellentiæ seminalis anima & simplex calor peruenit, vt opis totius non indigeat, vnde generanti simile corpus effingere potens sit, quanto magis animantium perfectiorum?

Porrò

Porrò autem de coitu piſcium iſtis, qui ſecus credunt, hæc obiter enarrabo. Vidi ego, & alij etiam, qui mecum aderant, viderunt, in vallibus Adriaticis, lucios piſces & Cyprinos, maſculum & fœminã, in latus inuerſos, ſe inuicem confricantes, ad eum fermè modum, quo tam hos, quàm pleroſque alios piſces coire Philoſophus tradidit,[a] ſimulque fœminam emittere oua, & maſculum ſemen proijcere. Aſſerunt, eiuſmodi aſperſionem inſeruire pro incubatu; ego paucos futuros exiſtimo, quibus probabile videatur, naturam ſemine abuti pro incubatu, & calorem adeo breuem ac momentaneum poſſe coquendo, quantum ſufficit, perficere. Si vellent, ſemen ſuo lentore oui calorem, ne expirando euaneſcat, detinere, aſſertio forſan eſſet minùs abſurda: At cum non omne piſcium ſemen ſit tale, quale molliumeſſe Ariſtoteles ſcribit,[b] cuius glutino aſperſa oua, inſtar vuę racemo appenſæ cohæreſcunt; aut quale Siluri, quo (vt 6. de Hiſt. » memorat)[c] tacta fœminæ oua, [admodum glutinoſa reddũtur » ad ceſpites coeuntia, aut vbi pepererint.] Cum, inquam, non omne piſcium ſemen iſtiuſmodi viſciditatis ſit, ſed vt plurimum longè dilutius, inde facilè abluitur, atque ab ouo ſecedit: Quapropter neutri ex dictis vſibus commodè poteſt ſatisfacere. Forſan non vndique, ſed ſolùm qua parte tetigit, ouum complectitur: Verùm circundet totum, & permaneant quantum vis; Monebo demum, obſeruaſſe piſcatoriæ peritos, piſcium oua, quæ credibile eſt maris ſemine fuiſſe aſperſa, in campis, per quos valles, fluminauè exundarint, manere ad quadraginta amplius annos adhuc fœcunda: mox ſi aquæ multæ, vel pluuiæ, vel earundem vallium & fluminum eoſdem cooperuerint campos, ex ijs ouis infinitos piſciculos enaſci. Certè hoc caſu ſemen extrinſecus ouis illitum, terræ commotæ attritione, calore ſolis, pluuijs (niſi euaſerit ipſo putamine durius) tanto temporis curſu detergetur, exſiccabitur, omnemque calefaciendi atque incubandi facultatem amittet. Quod ſi eiuſmodi traditiones atque obſeruationes haud ſecus ac illæ, quæ in pennatis quibuſdam[d] difficultatem ex Ariſtotelico argumento[e] materiæ faciant, quam, præter agendi vim, ſuſtinemus à mare conferri, eiuſce diuerſitatis quærenda ratio eſt, ingeniũque melius acuere oportet, & cogitare. Ego adhuc non habeo, quod animum expleat: ſcripſi, vt excitentur perſpicaciores. Interim haud ſilebo, in doctiſſimorum virorum gratiam, me neque in Tinca mare neq; in Lucio piſce teſtes expreſſos vnquam vidiſſe; ſed meatus ſolùm inueniſſe, ſemine (quod lac vocant) refertos, neque alium in his coeundi modum præter memoratum intellexiſſe, quamuis diligenter ex piſcatoribus fuerim ſciſcitatus.

a 3. de Hi. ani. ca. 5. 6 de Hiſt. ani. c. 14. vide etiã pro hac doctrina. 1. de Ge. an. cap. 8. 13. & 20. & lib. 2. cap. 1. & lib. 3. cap. 4. 5. & 7.

b 3. de Ge. ani ca 8.

c Cap. 14

d Vide Aquapend. de form. oui & pul. Fo 39.

e 1. de Ge. ani. c. 20.

Sed ad rem. Si inficiantur, vnum ſimplicem calorem, vimque ipſi animaſticam inſidentem, abſque hac particularium ſpirituum limitatione poſse multiplicium differentiarum organa fabricare, quæſo, vnà mecum ne grauentur animaduertere, quomodo à ſimplici materiei cuiuſpiam putreſcentis calore, vnica tantùm, eaque ſimplici complexione temperato, animal, puta mus, aliquãdo generetur, abſque eo, quòd vllis ſpiritibus à toto deciduis eiuſmodi calor, aut vis fuerit limitata. Mox conſiderent, idem animal aliud in ſpecie ſibi ſimile procreare: Cur ergo in hoc, pro generando ſimili requirentur ſpiritus à toto decidui, neque ſimplex cõplexio caloris ad iuſtitiã temperati ſufficiet, ſicut quando ipſum ex putri materia genitum eſt? Cur tam in hoc, quàm in alijs, calorem & temperiem multiplicis virtutis produci poſse negabimus? cuius merito, abſque alia aſcititia limitatione, valeat organizare, immò pro naturæ excellentia & vi, qualis quæ in homine, propter multam quantitatem, & exactam temperiem calidi & humidi, valde etiam particularium limitationum expreſſiua ſit?

c 12. Met. tem. 18. Si aſſerat quiſpiam, calorem in ortis ex putri (vt Auerroes innuere aliquando viſus eſt) limitari à cœlo. Doceri vellem, quo id modo ſuccedat, cùm cœlũ agens vniuerſale ſit & æquiuocum? cùm lumen, motus, & calor, res ſint ſimplices, & prorſus indifferentes. Influxus nunc & configurationes prætermitto, quòd horum vires adeo ſint controuerſæ, vt nihil ſuprà; & ſi non ſint controuerſæ, non tamen ſunt tanti, vt ſpecierum formas inſtituant; præterquam quòd eædem conſtitutiones non reuertantur, niſi forſan poſt multa ſæcula. At pleraque ex putredine oriunda, conſueta & determinata habent generationis principia & tempora; quapropter ex conditione potiùs materię putreſcentis calor hic, qui animal generat, limitari videtur, quàm à cœlo. Ex bobus, vbi putredine corrumpuntur, apes; ex equis, veſpæ; fuci, ex aſinis, ex mulis, crabrones proueniunt: bufo (vt aiunt) ex elixatura anatis ſub dio expoſita; ex baſilico herba ſcorpius enaſcitur; ſic è ſolani folijs, vermis viridi croceoque colore diſtinctus, cornuque in fronte gerens producitur, quem aliquando notaui vaſe ligneo incluſum, chryſalidem etiam feciſse ſatis denſè aſperam, & coloris inter rufum & fuſcum medij; ſignum virtutis ſpeciei propagatiuæ. Salix & roſa ſuos habent cimices, vermiculos perницioſos ruta, populus alia, alia habet abies; & ſunt, qui æſtiuo tempore bombyces ex mori folijs exortos conſpexerint.

Sed harum putreſcentium materiarum calor limitetur etiam à cœlo, atque ab illius vitali calore, & vi omnino procedat formatio, an

non

non in hoc calore, qui est vnica temperie donatus, ac proinde vnius simplicisque naturæ, multiplex pro formatione continebitur virtus, quæ nullatenus à similibus temperaturis, quales quæ in parentum singulis membris spectantur, erit deducta? Argumentabantur contra eos, qui semen à toto deciduum & formatum sustinuerunt, ab eo, quod obseruant in muscis ex putredine oriundis, quæ vniuocas muscas ex semine generant, mediāte ouo & vermiculo; & verba hæc sunt:
„ [At quomodo ad generationem harum partium secessu seminis
„ à partibus similibus opus est, si muscæ, quæ vermes produxerunt,
„ ex putri materia ortæ fuerunt, in qua aderat materia apta & effi-
„ ciens, non partes muscarum delineatæ, non materia aliqua ab
„ alimento partium muscarum prolapsa?] Et paucis interpositis:
„ [Si ergo (inquiunt) mediante semine, aut humiditate seminali,
„ quam muscæ in coitu emittunt, muscas, capita, pedes, ventricu-
„ lum, intestina, & alias partes muscarum proprias generant, absque
„ vlla secessione à partibus; an semen animalium perfectorum mi-
„ noris semine muscarum virtutis erit? vt quamuis à toto non sece-
„ dat, omnes partes illarum efformare non valeat?] Hæc Recentiores. Quibus suppositis, atque ad spiritus à singulis partibus defluentes translatis, ita ego ratiocinor: Si muscæ à muscis similibus generātur ex semine, quod partium ideis à spiritibus à toto deciduis non est præditum, argumento, quòd generantes muscæ non à simili fuerint generatæ; quid ni ex semine perfectioris animalis simile poterit procreari animal, sine spiritibus à singulis particulis prodeuntibus? cur si simplex formatrix, multiplicis tamen facultatis, illimitatos sibi limitat spiritus in musca, eadem non poterit eosdem illimitatos sibi in perfectiori semine limitare? Quid igitur opus, ad similitudinem reddendam, spiritibus à toto deciduis? Cæterùm, an Philosophi consideratio, quæ semen excludit à toto secretum, quale ab antiquioribus excogitabatur, hisce etiam spiritibus aduersetur, horum sit iudicij, qui (vt puto) neque muscarum ex putri, neque vermis à musca generationem, si non immediatam, saltem mediante ouo, quod nihil cum generante simile habet, negare non possunt.
„ [Item nonnulla animalia (inquit Aristoteles) oriuntur ex nullis *1. de Ge.*
„ vel eiusdem, vel diuersi generis animalibus, vt muscæ, & genera *ani.c.18.*
„ papilionum, ex quibus gignuntur quidem animalia, sed non si-
„ milis naturæ, sed genus quoddam vermiculi. Patet igitur, non
„ semine, quod ex cunctis partibus secesserit, generari quæcumque
„ diuersi generis sunt, nam similia essent, siquidem similitudo indi-
„ cio est, quod ex cunctis secesserit: quædam enim animalia vno

coitu

„ coitu plura generant; plantas verò omnino motu eodem omnem
„ annuum fructum afferre certum eſt, quod fieri non poſſet, ſi ex
„ cunctis partibus ſemen ſecerneretur; ſingulas enim è ſingulis vel
„ coitibus, vel ſeceſſibus fieri ſecretiones, neceſſe eſt. Nec verò fieri
„ poteſt, vt in vtero diuidatur: Iam enim tanquam à planta nouel-
„ la, aut animali nuper edito, non à ſemine ſepararetur. Item quæ
„ auulſione ſeruntur, ſemen afferunt; ergo & priùs quàm auulſa ſe-
„ rerentur, ex eadem ſui magnitudine fructificaſſe, non ex tota plan-
„ ta deſtrictum ſemen tuliſſe, certum eſt.] Recentiores profitentur, ſpiritibus à toto defluentibus ad ſimilitudinem cauſandam receptis, poſſe priſcos illos Philoſophos defendi, illorumque poſitionem ad bonum ſenſum trahi. Ego, quo id pacto poſſibile ſit, non percipio.

Demum poſtquam particularium ſimilitudinum & decurtationũ cauſas omnino in ſpiritus à toto delapſos volunt referre, quæro, cur ex læſis, vel mutilatis non ſemper mutili gignantur? Reſpondent, quia alter ex parentibus ſupplet ſuis ſpiritibus. Eſto: modò an non in partis conformatione, quæ in altero parente defecerit, vel magnitudinis, vel roboris, vel figuræ differentia notabitur, nimirum ex medietate ſpirituum deſiderata? Optaſſem hæc, & quæ ſupra attuli de virilibus mutilatis, ab iſtis animaduerſa, vbi fermè ſimilibus conſiderationibus eos confutant, qui formatum ſemen à toto deciduum ſuſtinuerunt. Fortè autem habent quid reſpondeant, quod tamen ego hactenus non diſcerno.

Sed rogo, quoties huiuſcemodi decurtationes, morbique etiam hæreditarij, non in filijs ſe pandunt, ſed in nepotibus, vel pronepotibus, genitoribus intermedijs nihil affectis; quid hoc caſu ſpiritus à toto procedentes actuali & præſenti temperie ſigillati efficiant? Obſeruabam ex horum ſcriptis, temperaturam particularem alicuius membri non dependere aliqua ex parte à ſeminis materia, ſed à ſpiritibus particularibus à ſingulis partibus corporis parentum ſeparatis: ac propterea eos dixiſſe, ſpiritus frigidiores à cerebro deciſos, corpulentiæ ſeminis, ex qua cerebrum efformatur, temperiem frigidiorem tribuere, cuius cauſa ex epilepticis epileptici: atque id ipſum eos de pulmonibus decreuiſſe, nec non de articulis in podagricis. Poſtquã igitur iſtiuſmodi ſpirituum complexiones, à particularibus membris calidiores frigidioresuè contractæ, partes generant certis morbis obnoxias, quid cauſæ erit, vt affectus hi, qui non parentes proximos, ſed maiores vexarunt, in nepotibus, vel pronepotibus, aut etiam abnepotibus ſuſcitentur? Neque enim proximorum generantium ſpiritus alterius temperaturæ redduntur participes, quàm partium &

mem-

membrorum, quibus fuerint applicati. At hæc maiorum complexionibus non est similis, sed contraria: vnde neque illæ sub hac expressa latentes continebuntur. Ad materiam si alij recurrant, cuius merito similes dispositiones obtectę in semine potētia comprehensę sint, ista procul dubio, ex solidissimis Recentiorum probationibus, à testibus semper prouenit, ex quo longe plus ipsis, quàm existimant, dandum esset.

Hęc igitur si ita se habeant, satius fuerit confugere ad vim principij, quod eminenter & potestate ex propria virtute, nec non ex conuenientia materię, plures habeat formandi & alterandi modos, in potentia, ac sub proprio actualique temperamento comprehensos, propinquiores tamen alios, atque (vt ita dicam) magis in promptu; remotiores alios, & qui vix si proximi exoluantur, vel aliter impediti fuerint aut repressi, horum vices vsurpantes subingrediantur. Multiplex autem hęc facultatis temperamentique efficacia & vis, vtique membro non principali minus conuenire videtur; primùm, quia eius actionem semper esse pro sua forma actuali, probabilis hæc suadet ratio, quòd scilicet ex præcipuo naturæ scopo sit ad partis nutritionem directa, nullusque adsit vel copiosioris materiæ, vel organorum apparatus, ex quo liceat coniectari, membrum particulare respicere aliud, quàm se ipsum. Vnde & Recentiores bene adstruebant, partes spermaticas pro sui nutritione semen quidem generare, verùm accepto semine non pro aggregato ex spiritu & crassamento; sed pro crassamento tantum: & præterea, quia hæc particularium membrorum actio est nimis debilis, minorisq; efficaciæ & impressionis, quàm vt cum ea, quæ à principe membro prouenit, debeat comparari. Adde, materiam quæ alteratur, nempe spiritum tenuissimum, simplicissimum, mobilissimum, ineptam esse (quod & antea considerabatur) vt tenaciter impressiones actuales, nedum potentiales, multò minoris roboris, & obscurius inditas, conseruet, atque ad plures generationes sub longè diuersis temperamentis latitantes transmittat.

„ [Maioribus (inquit Philosophus g) item suis plerumque simi- g 1. de gen. an. ca. 18.
„ les sunt, ex quibus nihil secessit: Redditur enim post plura genera
„ similitudo. Vt in Helide, quæ cum Æthiope concubuerat, non
„ filium forma Æthiopis peperit, sed natus ex filia erat Æthiops.]

Refert Solinus, multæ & variæ historiæ scriptor, h quod ante ipsum memorauerat Plinius, i Lepidos tres ex eadem familia, interrupta tamen serie, id est, pluribus intermedijs genitoribus nihil læsis, obducto membrana oculo natos fuisse. Narrat & de Byzantino nobili pugile, qui cum matrem habuisset adulterio ex Æthiope conceptam,

h De Mirab. Mun. cap. 3.
i 7 Nat. Hist. c. 12.

nihil

nihil patri comparandum retulit, sed in Æthiopem auum degenerauit. Sed hoc exempli pręcedentis comparatione longè minori consideratione dignum videtur, & vtrumque adhuc minori respectu eorum, quę ex Plutarcho, grauissimo Philosopho & Historico, *k* luculentam atq; opportunam probationem, ad propositum afferunt, vbi ipse scripsit ad verbum: [Quemadmodum progenitorum acrochordones, nigrę notę, ac lenticulę, quandoque in filijs haud apparent, attamen in nepotum corporibus inde erumpunt: (Nam & mulier quędam Gręca, cùm nigrum enixa esset infantem, ob id adulterij damnata, progenies Æthiopis quarta inuenta est. In corpore quoque Pythonis Nisibensis, qui nuper vita functus est, hastæ figura, signum Spartiatis, priscis illis Thebarum conditoribus, conueniens, post tanti reuolutionem temporis, tanquam ex altissima generis emicuit similitudine) Ita plerumque mores, animæque passiones. &c.] De huiusmodi portẽto non reticebo, quæ apud Alexandrum ab Alexandro, Virum spectatę eruditionis, legerim: *l* [Thebis (inquit) habere lanceam, genitiuis notis Satorum nomini & familiæ datum erat: inter quos fertur in brachio Dacorum, notam originis quarto quoque partu regenerari.] Aliarum stirpium stellas in primis quibusdam efformatas audiuimus, interdum in filijs & nepotibus extinctas, longo tempore post in remotis descẽdentibus apparuisse. Qui igitur fieri potest, vt particularium spirituum impressiones, tot generationibus intermedijs alteratę & permutatę, eædem ad alios atque alios spiritus potentia latentes, sępe sub contrarijs temperaturis, tam longa successione ferantur? Propterea crediderim ego, & (ni fallor) probabilius, inferi has dispositiones nõ solũ à principio multę atq; efficacis virtutis, sed in tota etiã seminali substantia recipi, ex cuius portione, minimum à seminis natura & conditione mutata, testes fabricantur, vt idcirco facilius in materia crassiore conseruentur, & facilius etiam sub communi temperamento, vel communis virtutis, in actum erumpant, quàm in materia rariore, & sub temperamento particulari, contrarioque. Nęuos, & stigmata cicatricum, quæ parentibus insunt, posse ex vi imaginationis fœmellæ grauidatæ in fœtum insculpi, haud negabũt (vt puto) aduersarij, quando experientia ab ipsis adducta, de cicatricibus cucurbitularum illius infantis sub aspectum matris scarificati, id apertè conuincit. Quare non est, quòd ab eiusmodi euentibus argumentum pro particularium spirituum decessione petatur.

k De ijs, qui tardè à numine corrip.

l 2. Geni. Dier. c. 19

Ex his igitur omnibus (vt tandem concludam) & ex Galeni placitis, mihi videor hanc, quæ illius est, tanquam à probabilitate minus

„ nus alienam posse sententiam adstruere: [At hoc (inquit ille m) m 1. de sem. c. 15.
„ paruum admodum est, illud maximum, quòd vniuersarum virium
„ animalis in ipsis (sermo est de testibus) principium apparet.]
Inde colligo, membra hæc totius corporis esse veluti epilogum quemdam, & exemplar, ac quasi speculum, particularium reliquorum imagines mirabiliter repræsentans, immò non imagines, sed dispositiones: quod illi quoque videntur sensisse, qui, referente Philosopho,n testes copulam esse multorum principiorum opinati sunt. n 5. de ge. an. cap. 7.
Quapropter credere expedit, rationi esse consonum, spiritus, qui ad ipsos perueniunt, & vnà cum spiritibus crassamentum, ex permixtione & alteratione, quas in hoc generationis principio patiuntur, nobile quoddam temperamentum, vimque excellentis conditionis adipisci; cuius gratia liceat cum Aristotele o enunciare, calorem seminalem, vel corpusculum spirituosum, cui præcipuè insidet, proportione respondere quintæ stellarum essentiæ: quia scilicet cum tenuissimum sit & mobilissimum, vitæ etiam est particeps, generationis auctor, geniti conseruator, Iouis instar omnia replens, & quæcumque peruaserit corpora, sui aspersione viuificans & fœcundans, multiplicis, admirandæ, atque efficacissimæ potestatis, in Microcosmi dispositione, ornatu, & regimine, industriæ incomparabilis, inenarrabilis, incomprehensibilis. o 2. de ge. an. cap. 3.

Neque animales, neque naturales spiritus in semine reperiri, sed vitales tantùm.

CAP. XIV.

POstquam præcedenti disputatione spiritus, quos à singulis corporis partibus ad seminis fabricam confluere, nonnulli Arabum sectatores, hisque subscribentes Neoterici arbitrati sunt, abundè confutaui; reliquum incepti operis fuerit, quid de communibus, à membris principibus dispensatis, sentiendum sit, aperire.

Vt autem ab animalibus principium capiam, quos concurrere ad semen, aduersarios haud hæsitanter statuisse animaduerto, horum præsentia in hoc generationis principio mihi vndequaque apparet irrationabilis. Primùm enim apud Medicos fermè omnes satis con-

ſtat, huiuſcemodi ſpiritus facultatis animalis eſſe inſtrumentum, neque alteri cuipiam ex principibus inſeruire, quàm cerebro & neruis: inſtrumenti autem pręſentiam & interuentum ſemper facultatis habere reſpectum, atque ad illius functiones ordinari, pro certo eſt. At in ſemine neque ſentientem reperiri, neque localiter mouentem, quæ his indigeat ſpiritibus, vel vt fiat, vel vt agere poſſit, euidentiſſima concludit ratio, ſiquidem primos actus, ipſaque operationum principia adeſſe alicui ſubiecto, vel abeſſe, nullo certiore medio ſolet inueſtigari, quàm ex ipſis operationibus; idque non à Philoſophis ſolùm, ſed à vulgaribus etiam hominibus, qui ſi incidant plantam, aut vrant, neque dolere ipſam percipiant aut ſentire, hanc ſenſu carere illicò habent pro comperto; è contrà, ſi animal ſtimulo caſtigant, vbi motum vident, vocemque audiunt, ex quibus dolere ipſum ſignificatur, de illius non dubitant ſenſitiua. Qui modò ſemini ſentientem animam concedunt, oſtendant vel vmbram operationis, quę illius ſit propria.

Dicunt, ex vitalibus functionibus, & vegetabilibus, quæ in ſemine apparent, conuinci ſemen viuere; atque habere vegetatiuam, & rectè: Nam neque à modo philoſophandi Ariſtotelis probato, neque à communi cognoſcendi via diſcedunt. Nunc verò libenter ſcirem, quo ſigno aut operatione comprehendatur, ſemini ſentientem ineſſe, potiſſimùm ab his, qui ſemen actu animatum, ipſiuſque animę integram eſſentiam in eo collocare voluerunt; ſemen ſi pupugeris, aut diſecueris, neque dolet, neque retrahitur, neque mouetur: ponere autem corpus ſenſitiua pręditum, quod non ſentiat, perinde eſt, ac ſi fingatur ignis non calefaciens; graue, quod non moueatur ad centrum; lux, quę inuiſibilis ſit; ſapor non guſtabilis.

Quid hos igitur ad hanc animam ſemini tribuendam impellit? Quid, eorum ſenſu, in fabricando animali molitur, ne prorſus ſit otioſa? Ad primum ſi reſpondeant, vegetalem, vtpote inferioris ordinis, non poſſe eſſe cauſam ſentientis, quæ eſt nobilior: profitebor ego contrà, vegetalem ſufficere, vt ex ſemine ſentientem etiam educat, quòd ea non ſit ſimpliciter vegetalis, ſed talis ſpeciei, ex qua obtinet vim idoneam atque ſufficientem propria conditione eam propagandi. Diceret S.D. † virtutem generatiuam non generare ſolùm in virtute propria, ſed in virtute totius animæ, cuius eſt potentia. Alij fortaſſe aliter. Vtut ſe res habeat, meo iudicio, vegetatiua in propoſito ſentienti comparata, quoad efficaciam & virtutē, nō eſt inferioris ordinis iudicanda, licet quoad eſſentiæ dignitatem ſit minoris pretij. Et cùm Ariſtoteles * voluit, ſentientem à maris ſemine vegetatiuæ,

† 1. par. ſum. q. 118 ar. 1. ad 2.

* 2. de ge. an. cap. 4.

getatiuæ ouorum adiungi, intelligere oportet, vegetatiuæ huic, quæ antea ouum tantummodò poterat efformare, dari dispositionem, qua ad sentientem ordinetur illius speciei, & præterea efficaciam & vim, qua valeat eiusmodi facultatis organa fabricare. Quamobrem (vt opinor) antea [a] scripserat simpliciter, & menstrua, & oua subuentanea carere principio: neque ex eo elicitur loco, sensualis animæ essentiam in semine esse vegetali superaddendam. Dicit, oportere sensualem inesse, aut potentia, aut actu, aut aliquatenus, aut simpliciter; quo autem ex his modis insit, vel an à mare materiæ, quæ confertur à fœmina, tribuatur, ibi non determinauit Philosophus: bene decreuit, vegetalem, quæ subuentaneis inest, in ipsis potentia contineri, qua de re fusiùs disputabitur suo loco. Scio quid interpretes & Recentiores dicant, sed meum hoc est iudicium, eruditorum censuræ remittendum.

a Cap. 3. circa fin.

„ Si asserunt, in semine esse munus, sensitiuæ, [calorem ita mode-
„ rari, vt dum vegetalis seminis corpulentiam immutat pro forma-
„ tione partium, talem temperiem illa corpulentia nanciscatur, vt
„ aptè sentiens anima ex ipsa, post eductam vegetalem educatur.]
Ista moderatio caloris, ex qua temperatur semen pro sensitiua, (ni ego fallor) caloris & temperiei seminalis est alteratio: opus ergo erit hoc alteratiuę. At alteratiua vna est ex facultatibus naturalibus, & ad vegetatiuam simul cum formatiua reducitur; quinimo 2. de Anima, tota generatiua sub vegetali comprehensa est, vel ipsorum etiam Recentiorum intellectu, qui ex eodem 2. de Anima tex. 4. asserunt, generantem facultatem eandem esse cum vegetante. Et ex tex. 49. vegetatiuam definiri, quod sit generatiuum, quale seipsum, definitionemq; hanc definito adęquari professi sunt; Quare &c.

Interim si horũ assertioni subscripsero, à Gal. [b] auctoritate, optauerim explicari, qui Aristotelis, [c] communemque Philosophorum & Medicorum sententiam recipiens, fœtum ad expressam vsque formationem plantæ modo asserit dispensari; hoc autem id ipsum est, ac si dicat, conceptum viuere vitam plantæ. Quod sanè apertius colligitur ex 1. de Semine, [d] qui à Leoniceno [e] in proposito adducitur, &
„ probatur; ibi enim ita habet ad verbum: [Neque tamẽ eo, quòd
„ triplicem plantam, vel sanguineam, vel carneam hic vides, aliud
„ quid esse quàm plantam, hoc est, vegetabile corpus, debes existi-
„ mare, cum vtraque eundem opificem, eandemque vegetabilem
„ animam habeat. Illud enim considerandum est, plantam hanc,
„ non amissa, quam habebat priùs, facultate, sed alia insuper acqui-
„ sita, in animal esse euasuram.] Et paulo post: [f] [Vegetale autem

b De fet. form. cap. 3.
c 2. de Gen. animal. c. 3 & 3 de Gen. an c. 2
d Cap. 9.
e Lib. de formatiua sub ini.
f Initio sequentis capitis.

 prin-

„ principium primum omnium habet, quod non ex ſanguine, ſed
„ è ſemine ipſo arteriam, venam, neruum, os, item & membranam
„ fabricatur.] Hæc Galenus, quæ quàm bene enuncientur, ſi ſemen
ſenſitiuam vegetatiuæ habeat ſuperadditam, non intelligo. Neque
† De for. 9.8. tamen hic Fieni argumento † eſt locus: Illum ſcilicet, qui nunc eſt homo, priùs fuiſſe plantam ſimpliciter. Ratio eſt, quia vegetalis hæc neque completa, neque ſtabilis forma eſt; & ſi ſit, eſt vegetalis equi, leonis, hominis, qui ſi tunc plantæ vocentur, rectè quidem, ſed per analogiam ita vocabuntur.

Dicunt, quia ſenſitiua ex defectu organorum ſuas nõ edit operationes, ſecundum hãc conceptum non viuere, aut diſpenſari. Sed quid eſt aliud vita, quàm præſentia, aut participatio animæ? Quid eſt anima, niſi principium vegetãdi, ſentiẽdi, &c? Quid eſt principiũ, quod non pþteſt id facere, cuius dicitur eſse principium? Certè nihil. Animam autem ſine organis haud poſse eſse formam, neque principium operationum, vt forma: Animam poſtulare organum, quale illud cumque ſit, non modò vt operetur, ſed etiam vt eſse habeat, in ſequentibus reddetur apertum. Neque enim anima ad organa ſe habet, vt faber ad malleum & ſerram, ex quorum defectu etiamſi nequeat operari, nihilominus eſt faber. Si reſpondeant, ad animam in eſse conſtituendam commune inſtrumentum ſufficere, nempe ſpiritum. Quæro, cur non ſequatur ſenſatio? Dicent, quia deficit ſolidum organum. Sed formæ omnes & facultates vt ſe habent ad eſse, ita etiam ad operari, & vice verſa. Adhæc, eſſentialis reſpectus non cadit ſolum inter cõmune inſtrumentũ & facultatem, ſed etiã inter hanc & particulare organum. Qua de re loco opportuniore infrà fuſiùs diſputabo. Sed meliùs Ariſtoteles: g is determinatus, an ſemen ſenſuali anima præditum ſit, vel an conceptui anima inſit, & vnde proueniat, ideoque hanc conſiderans vt ad ſubiectum refertur, nõ ad operationem (quod luce meridiana clarius eſt, ſi totus ille Philoſophi ſermo examinetur) Ex determinatis in libris de anima concludit, conceptibus primò, & ante omnes vegetalem ineſse, ſenſualem verò tempore procedente recipi. Quid poterat expreſſiùs doceri, & clariùs enunciari? Modò an hæc aduerſariorum recipiant gloſſas, viderint alij; ego meo iudicio parum crederẽ, ſed quoniam quod dico, ſcio grauiſſimis & melioribus probari, audacter ex conſideratis rationibus, necnon ex allegatis Galeni & Ariſtotelis auctoritatibus concludo, nullatenus ſemini ſentientem ineſſe.

g 2. de Gen. an. c. 3.

h 10. de ani. tra. 1. cap. 3.

Albertus h in ſemine ſpiritus naturales, vitales, atque animales poſuit,

„ fuit, ad eum finem, [vt per ipsos, primò facto conceptu, virtus „ formatiua tres faciat spumositates, quoniam mouet vnumquem- „ que istorum spirituum ad suam originem; primam, quæ est locus „ cordis, & secundam, quæ est locus hepatis, & cerebri.] Sed opinio hęc, quæ neque Peripatetica est, neque Medicis peritioribus acceptabilis, ab ijs facilè reijcietur, qui cogitauerint, confusionem spirituum, quicumque illi sint, qui ad seminis fabricationem concurrunt, ineuitabilem esse, secretionem autem inimaginabilem.

Si placeat, trium communium spirituum miscellam esse ad animam seminalem educendam opportunam & necessariam, vel si hæc fuerit tantummodo vegetalis, hoc est voluntarium, atque indigens probationis. Coniectanturnè forsitan id ex nerui cum vena seminali & arteria copulatione? Audiant neruuli illius officium ex Galeno, qui quoduis aliud excogitauit, quàm quòd eius interuentu spiritus animalis ad seminis fabricam comportetur: [Cum „ tres (inquit) sint scopi in neruis partibus singulis distribuendis „ (vt antea demonstrauimus) sensus quidem in instrumentis sensificis, motionis in motorijs, dignotionis molestiæ in reliquis omnibus: matricibus quidem totis, & partibus masculorum omnibus, quæ ad testiculos & scrotum pertinent, paucissimis opus „ fuit neruis, qui in ipsas distribuerentur; vt quæ neque ad sensum exactiorem, neque ad motum aliquem voluntarium inseruiant, sed ne meatus quidem sint excrementorum, velut intestina. At virga maris, & matricum stomachus, atque alia, quę ad „ pudendum ipsum pertinent, tanquam sensum quendam exactiorem ob coitum Venereum postulant, meritò neruos plures sunt „ adepta. Si igitur memineris, nos demonstrasse, hepar, & lienem, „ neruis minimis indigere; & præterea partes genitales, præter eas, quæ ad pudendum pertinent; Deinde videris in animalium dissectionibus, partes genitales, quomodo & prædicta viscera, neruis exiguis esse præditas, solas verò eas, quæ sunt circa „ pudendum, neruos magis insignes habere: certò scio, te in eo „ quoque iustitiam Naturæ admiraturum. Proinde hoc neruorum iugum neque admodum est tenue, quemadmodum id, quod „ in hepate est, liene, ac renibus; neque ita commemorabile, vt id, „ quod ventriculo inest; sed crassitie amborum, quoad fieri maximè potest, est medium, quòd & mista quædam ab ipso instrumentis accessura erat vtilitas. Nam alijs quidem partibus vtilitas accedit, qualis hepati, & renibus: his verò, quæ ad pudendum attinent, qualis à neruis, qui sunt ad ventriculum, accedit.]

i 14. de vsu. par. cap. 13.

Hucus-

k 5. de Vsu part. c. 9.

Hucusque Galenus, qui antea quoque, k vt ipse monet, tres distributionis neruorum vsus exposuerat, neque vllam comportationis spirituum, præcipuè ad semen, mentionem fecerat, & tamen functio hęc, si cadere illi in animum potuisset, neque minima erat iudicanda, neque vllo pacto reticenda.

l lib. an san in arte conti. c. vlt.

m 2 de ca. symp. c. 4.

Sed quod magis ad hunc spirituum per neruos influxum tollendum refert, est demonstrationum defectus, earum potissimùm, quę à fine petuntur, scilicet facultatem ipsam animalem comportandi. Addito, quòd sensus testimonium in contrarium quàm certissimum habeatur. Quippe, posse facultates sine spiritibus per quandam vocatam irradiationem diffundi, patefaciunt experimenta, quę si non in alijs, in diffusione pulsificę per arterias euidentissima à Galeno, l & posterioribus Medicis fuere notata. Tametsi non desint, qui huic influendi modo, quantumuis experientia probato, non subscribant, Galenumque inconstantię arguant, quòd alibi m insitam arterijs esse pulsandi facultatem tradiderit. Sed pro huius enuntiati sensu, citra contradictionem intelligendo, studiosos Galenicę doctrinę ad Commentaria amando, quæ super adductum librum Leonardus Fuchsius, Vir in Galeno versatissimus, & de illius doctrina optimè meritus, exarauit.

n 2. contr. cap. 15.

Alij, qui sectis atque opinionibus pertinaciùs, quàm Philosophos deceat, sunt addicti, excogitarunt spiritus arteriarum tunicas densissimas celerrimè peruadentes; quos expediret potiùs deridere, quàm confutare; sed tamen Valesij ratio, n cui ipse multùm tribuit,
„ prętermittenda non est: [Si spiritus (inquit) influerent in singula
„ membra, & non alia ratione virtutes deportarentur, non possent
„ priuari subitò sensu & motu ex cerebri obstructione, neque pulsu
„ ex præcisione cordis, quandoquidem vsque dum consumeretur
„ copia spiritus, qui influxerat, seruarentur virtutes atque actiones;
„ Tamen non ita fit. Quare. &c.]

o 7. de pl. Hippo. & Plat. ca. 4 Vide etiã 1. de plac. c. 9 & lib 15. de Vsu par. ca. 1. & 1. de sem. ca. 5. ab in.

Neruorum autem substantiam, si spinalem medullam atque opticos excipias, non solùm sensui conspicua non habere foramina, per quę citato motu corpus hoc discurrere valeat, Anatome vsque adeo apertè demonstrat, vt nulli hac de re dubium relinquatur. Verùm impossibile quoque esse, vt hæc habeant, Galenus non solùm Philosophiæ, sed dissectionum peritissimus iudicauit, cuius orationem lubet adijcere, vt intelligatur, quantum aduersarij à sincera illius
„ doctrina declinauerint: [Quid igitur (inquit) o numquid sicut
„ per neruos visiuos spiritus hic transmeat, ita in reliquis omnibus
„ fieri sentiendum est, an id tenuissimis neruorum fibris concedi nõ

potest?

„ poteſt? neceſſe enim erit, meatui illi circumiectum quoddam ner-
„ ui vel aranearum telis tenuius corpus excogitemus, adeo vt & ip-
„ ſum quàm facillimè diſcerpi, & meatus in ſingulis, penè dixerim,
„ momentis obturari queat. His de cauſis, ego non omnibus ner-
„ uis meatus eſſe dandos crediderim.] Hæc ipſiſſima Galeni oratio eſt, ex qua certiores reddimur, ipſum in tenuioribus neruis, ſi perforati conſtituantur, diſruptionem timuiſſe, leui negotio ſucceſſuram, atque inſuper crebram obſtructionem: illam, vbi validè intendantur muſculi: hanc, non ſolùm ex humoribus craſſiuſculis, ſed ex ſubſidentia etiam & confuſione ſubſtantiæ medullaris, quæ mox haud facilè proprio ſitui ad amuſſim reſtitueretur. Optici, qui ex maiorum ordine habentur, & non ſolùm Galeni coniectura, p quòd vno clauſo *p 7. de* oculo, alterius pupilla dilatetur; ſed etiam ſenſuum fide, conſpicuo *plac ca 4.* foramine præditi ſunt, vel ex parua refrigeratione ita clauduntur, vt *Vide etiã* nullum meatus veſtigium appareat, magni Veſalij teſtimonio. q Illis, *de opticorum per-* qui per neruos non perforatos animali ſpiritui aditum præbent, con- *foratione* cedam quidem, ſpiritum hunc poſse medulloſam nerui ſubſtantiam *8. de vſu* permeare, potiſſimùm cum ipſe affirmet Galenus, r animalem ſpiri- *par ca. 6.* tum per totum cerebrum eſse diffuſum, cumque hoc eodem tamquã *& lib. 16.* inſtrumento anima indigeat, atque hic ille ſit, qui & inſeruit ſenſi- *d vſu par.* bus, & in vehementioribus motibus diſſipatur: Verùm abſolutè ne- *ca. 3 & 1.* gauerim, fieri poſſe, vt ἀθρόως, ſeu confertim influat. In quem (vt *de ſympt.* arbitror) ſenſum Galenus debet intelligi, vbi dicit, ſpiritus anima- *ca. cap. 5.* les imperforatos neruos permeare non poſſe. Huius autem meæ ſen- *& 4. d loc.* tentiæ ratio eſt, quoniam ſi ſubita, citataque influxio & permeatio *affect c. 2.* aeri nõ conceditur, qui vel impetu ventorum vehementiſſimo cõpul- *& alibi.* ſus, longè minus ſtipata corpora totus ſubitò non peruadit, hoc multò *q 4. de Hu. corp.* magis ſpirituum ſubſtantiæ corpulentiori denegari, rationi conſonũ *Fab. ca. 4.* eſt. Dico, ſpiritum eſſe aere corpulentiorem, quòd ab experientia *r 7. de plac. ca. 7.* quotidiana, atque ex Galeno ſ didicerim, aerem quò plus humidis *in fine &* corporibus obuiat, eò craſſiorem & pinguiorem euadere. At ſpiri- *8. de vſu* tus animalis ex vitali ſpiritu, cuius materia ſanguinis halitus eſſe *par ca. 13* perhibetur; & aere, qui hoc vapore eſt longè ſubtilior, in cerebro, *ſ lib. an* membro humidiſſimo, generatur. *ſan. in arte con. c. 2.*

His de modo influxus iſtius ſpiritus adnotatis, remanet nerui, ad teſtes propagati, quantitas perpendenda, quam eſse perexiguam, etſi ex antea recitatis Galeni verbis edocti fuerimus, non ſunt tamen poſteriorum etiam Anatomicorum teſtimonia prętermittenda, ad vſum ſaltem tyronum, qui exactiores adhuc Anatomas non viderunt. Pri- *t 4. de Hu. corp.*
„ mùm igitur Veſalius t de hoc neruulo: [A vigeſimo (inquit) pri- *Fab. c. 15.*

mo

„ mo pari, seu secundo lumborum, vnà cum seminaria sui lateris „ arteria, perquàm exiguus surculus ad testem ducitur] quod & „ alibi[u] repetit. Post hunc Columbus: [x][Ab hoc eodem pari(ait) „ neruum tenuissimum exoriri & oblongum, qui vasa seminaria co- „ mitatur, & tandem in testiculum desinit.] Id ipsum Valuerda, [y] & Lau. [z] tametsi hic nescio quomodo ex eorum numero sit, qui circa horum spirituum confluxum hallucinati sunt. Ad hæc, quod magis refert, tam ex prędictis peritissimis Anatomicis, quàm ex ostensione discere oportet, eiusmodi neruulum id habere notādum, quod in plexibus præparantium vasorum non concurrat, neque vllas cum his communes habeat anastomoses, neque cum substantia testium continuetur, aut per ipsam distribuatur, quæ nihil sentit; sed cum primùm peruenit ad epididyma, in tunicam, quæ exquisitissimo sēsu prædita est, implantetur & disperdatur. Quòd si in testiū quoque substantiam desineret, hiaretque, & spiritum etiam effunderet, vtique quantitas animalis spiritus quantitati cæterorum proportione debita non responderet. Atque hæc de animalibus spiritibus considerata & discussa sint satis.

u Lib. 5. c. 13.
x 5. Lib. suę Anat. cap. 7.
y Lib. 7. cap. 11.
z 2. ope. anat. q. 15

Ad naturales quod attinet. quoniā hos à iecore fluentes nō dari, alibi abunde patefeci,† soli remanent vitales, quos in semine reperiri, non est qui dubitet. Dubitatur potiùs, an diuiso semine, vt quidam faciunt, in partem actiuam, & partem passiuam, hanc ad crassamentum attinere censendum sit, illam ad spiritus.

† In disp. † In. Cal. & Natu. spi primis capp.

Aduersus eos, qui seminis corpus in partem actiuam, & in partem passiuam diuidunt, actiuam duntaxat spiritibus tribuentes, passiuam corpulentiæ; & actionem, qua immutatur semen, & generatio perficitur, esse generantis externi.

CAP. XV.

QVi Francisci Valesij,† & vetustiorum quorumdam iudicia sequuti sunt, agendi uim in parte seminis spirituosa, patiendi autem in crassamento consistere arbitrati sunt; idque duplicem ob causam: prima, ne idem sit exquisitè agens

† 2. con. c. 9. & 17.

gens

gens & patiens: secunda, ne quidquam in suum interitum agere videatur. At, quod ad secundum hoc motiuum pertinet, semen in suum non agere interitum, ex nostris fortasse meliùs, quàm ex aduersariorum saluabitur positionibus, qui seminis animam & spiritus faciunt nouæ animæ, & nouorum spirituum generatores, ad quorum exortum consequitur pręcedentium totalis corruptio; qua de re fusiùs tractabitur in sequētibus. De primo autem vltrò ijs, quæ ipsi animaduertunt, subscriberem, vbi absurdum non censent, formam in proprium subiectum agere ad perficiendum, nisi (quantum ego censeo) Peripateticum magis foret sustinere, actionem propriè non formæ esse, sed totius compositi, & idcirco minus inconueniens esse, si recurramus ad id, quod primò extrinsecus mouit, cuius actio & vis in semine conseruata, iugiter generationem promouens, vel ob id etiam est maximè recipienda, quoniam sine hac cogimur vel ad substantiam separatam confugere, quę semini assistat, & formam, immò etiam organa producat, vel ad vteri totalem efficientiam, vel ad seminis completam animationem.

De actione abstractorum, & formarum materialium productione, nō est hic vt longiorem disputationem instituam, quam alibi opportuniùs absoluam. Nunc monuisse sufficiet, ex Peripatetica suppositione non esse hoc negotium substantiæ assignandum, cuius actio semper desinit in se ipsam, & quæ materiam immediatè attingere & mutare non potest, sine sui mutatione; necesse autem esse transmutari materiam, si ex ea vegetalis & sensitiua sint educendę, inde patet, quia istæ non vt intellectiua de nihilo creantur, & extrinsecus accedunt. Mutationem verò procul à formis separatis abesse, potissimùm à prima, cui tale munus iniungunt, in schola Aristotelis non ambigitur. Totam efficientiam muliebri vtero tribuere, tum propter alia est inconueniens, quæ fusè, ingeniosè, & rationabiliter à Recentioribus † fuere considerata & discussa: tum maximè, quia similitudo quam tenet fœtus cum vtrisque parentibus (vt cumulatè ab initio patefeci) vtriusque effectionem, non fœminę dumtaxat, significat. Seminis autem animationem, qualem ponunt, qui generantis actionem non recipiunt, quas secum afferat difficultates, in progressu semper euidentiùs manifestabitur. Ex quo minus à consentaneo videbuntur distare, qui motionum seminalium vim ab externo generante pendentem admittunt, eamque tendentem ac desinentem in perfectionem, subiecto ipso perfectiuè mutato, ita vt neque hęc virtus omnino dispereat formato fœtu, neque subiectum.

† *Mund. de Genit.*

Insurgunt quidem contra hanc assertionem Subtiles; [a] sed quæ

a *Scotus 1 Dist. 18, 2. lib.*

M obijciunt,

obijciunt, facilè reſoluuntur. In virtute, dicunt, non entis eo modo, quo eſt non ens, nihil agit; tale autem eſse generans ex eo conſtat, quòd hoc plerumque ſecedat, neque ſua actione continua ſeminis aſſiſtat motionibus. Addunt, cauſas eſſentialiter ordinatas ſemper ſimul neceſsariò ad vnum effectum concurrere, vt ſi Solem & hominem acceperis in generando hominem; ſed non ita, quę ſe accidentaliter reſpiciunt, vt Sophroniſcus generans, & Socrates genitus, qui etiam poteſt eſse Coriſcus, aut Alcibiades, ſicuti generans poteſt eſſe Plato, aut quiuis alius. Hęc Subtiles, quibus quidem vltrò concedam, loco huius Socratis, qui nunc gignitur, poſse & Coriſcum generari, & Alcibiadem, ſed addita conditione, ſi alia ſeminis intercedat emiſſio; Nam cùm ex determinato hoc ſemine Socrates gignitur, niſi nomina attendas, re poſthabita, non poſse generari alium niſi Socratem, conſtanter aſseuerabo.

Primum autem quod opponitur argumentum, facilè diſsoluetur, ſi minorem non admiſeris, & conſideraueris, omne agens phyſicum agendo mutare, actionemque nihil eſse aliud, quàm actum ſecundum, quem ſi dederis ſeruari poſse & intendi, vt motus quamplurimi increſcentes habentur, vtque efficientium quorumdam perfectiorum actiones propagando ſpeciem (vt bene notat S.D.[b]) poſsunt fieri, etiam non immediatè, ſed per medium, transmutatio vtique progredietur, quę dubio procul primo efficienti referetur accepta, tametſi id non amplius ſe exerceat in agendo. Itaque hanc hypotheſim propoſito applicans, dicere poteris, eam eſse conditionem perfecti gignentis, vt ſemini talem ἐνέργειαν imprimat, quę increſcens in ſecreto ſemine ſeruetur, ſubſtituta quidem, ſed nihilo tamen ſecius ad perfectionem gliſcens, ſeque ipſam conducens, quàm ſi generantis contactu actuali ſemen ipſum inceſsanter promoueretur, vt re ipſa virtuali contactu agitur, vbi ſemel impetum contraxit atque retinuit. Quapropter quouſque vis iſta vel impetus ſeruatur, ſeruatur etiam quoquo pacto actio generantis externi; proindeque dici non poteſt, quatenus generans, prorſus non eſse. Vt generatio ex ſemine ſit cōtinuatio motionis, ex vi & impetu ſemel impreſſo, qui etiamſi generans abſcedat, in ſemine tamen retinetur & durat; exemplum dedit Ariſtoteles in ſpontinis, & dari poſset in proiectis, aut etiam in nauigijs, quę diu à remigantibus & vehementer impulſa, quamuis remigatio deſinat, curſu non intermiſso rectà portum aut metam attingunt. Licet autem iſtiuſmodi generantis actio & virtus in ſemine conſeruetur, vt illud ſeparatum valeat generare, non tamen vnquam pręcipui mouentis conditionem tenebit, ſed ſolummodo ſubſtituti

b 1. par. ſu. q. 118. art. 1. in corpo. & ibi Caietanus.

ac instrumentarij: & ratio est, quia naturam primi efficientis, à quo prouenit, haud completè possidet, sed ad illam (vt mox aperiam) est etiam in potentia. Quapropter malè Dinus, [c] & si qui alij fuerunt, qui crediderint, posse semen assimilari tum instrumento externi gignentis, tum principali agenti, qualis fuit Carpentarius: tametsi ipse etiam Dinus in eiusdem scripti progressu, ab ipsa (vt apparet) rei veritate coactus, nescio quomodo tandem profiteatur, sperma haud posse agere tanquam principale efficiens, sed magis vt organum, quod planè non animam formaliter, sed illius virtutem contineat, per quam efficere valeat, vel ab ipso principali motore seiunctum, contrà quàm accidat mechanicis instrumentis, quæ citra artificis præsentiã, & actualem motionem nequeunt operari: & rationem assignat, cur non principaliter agat, quia nimirum vbi producturum sit sibi simile, nihil vnquam gignet aliud, nisi semen. Cuius rationis vim illi tenebantur considerare, qui animam seminalium spirituum aliam in fœtu sibi similem, & similes spiritus asserunt procreare, qua de re posteriùs suo loco. [d]

Nunc vt pertinet ad seminis motionem, qua de agitur, notare oportet, [e] quòd quo magis calidũ, cui & spiritibus vis actiua & fœcũdans præcipuè refertur accepta (sic enim ego Gal [f] interpretor, spiritibus principiũ actiuum, crassamento passiuũ tribuentem) agit in humidum, illiq; exactiùs permiscetur, eò magis κρᾶσις & calidũ insitũ, quod ad vitam est ordinatum, perficitur. Incipit hæc alteratio & vnio in plexibus, vlteriùs progreditur in testibus, & ad eum vsq; terminũ augetur, vt generationis, quantum sufficit, principio firmato, quod alterationem moderetur ex actione generantis; quæ illius ideam, vel (vt melius dicam) temperamenti iustitiam confert, virtualiter seruata, reliquum incępti operis compleatur, quantumuis non adsit quod mouerat priùs. Atque hic, ad tollendam opinionem, quòd in conspirantium antedictorum miscella, tanquam in supposito eodem, vim efficientem, patiendique simul inueniri posse videar concessisse, opportunè obseruandum est, quod perpensè considerabat Dinus, [g] agentia scilicet, qualia sunt miscibilia elementa, vel quomodocumq; aliter in naturam vnam conspirantia, dato quòd principali cuipiam mouenti subordinentur, posse cedere in materiam, quia passiua sint respectu agentis principalis. Quæ doctrina, vt facilè per inductionẽ recipere potest probationem, ita perbellè suppositioni iam expositæ valet accommodari, conspirantibus nimirum ad archigoni naturam spiritu, semine, & sanguine, sub actione (vt nuper dixi) generantis externi, quæ in semine vel secreto ac emisso vigeat, immò etiam

M 2 incre-

c In com. libr. de Nat. fet.

d Sect. 2. cap. 1.

e Vide Foroliu. sup ca. de gen. emb. q. 5.

f 14. de Vsu par. cap. 3.

g Sup cap. de ge. emb. q. 3.

increſcat. Seruari autem in ſeminibus vel ad multas propagationes, & aliquando in intermedijs latitantes, maiorum motiones, qui
h Cap. 13. ante multos annos obierint, & ſuprà luculenter eſt patefactum, [h] & quotidiana id experientia manifeſtat. Has verò in actum produci ab anima proximi generantis, quicumque ille ſit, qui eas non eſt cauſatus, haud conſentaneum apparet. Huic generantis motioni accedit calor vteri ſuſcitans & coadiuuans, nimirum contractus & limitatus, vt facilè quà calor naturalis & agens ſpecie ſimile à principio repatitur ſemini indito; eſtque huiuſmodi vteri actio perinde, ac ſi, ceſſante remigio, ſequatur

„ A puppi ventus euntes:

i de ſem. cap. 13. „ [Nam in ipſa (dicebat Galenus [i]) prima ex ſemine generatione, tum vniuerſus humor adhuc collectus eſt, ex quo vaſorum formatio exiſtit; tum duplex fabricatrix vis adeſt, & ſeminis, & conceptaculorum vteri, quibus ſemen proiectum adhæſerit: In vlcerationibus verò, præter quàm quòd abundantis materiæ inopia eſt, hæc etiam effectrix vis deeſt. Dum autem in vtero gignitur animal, & materia multa affluit, & altera quoque accedit creatrix vis, quæ non ſolùm materiam extrinſecus tangit, ſed per totam ipſam tranſit ac penetrat. Nihil igitur mirandum eſt, ſi in fœtibus in vtero prima naturæ inſtrumenta celeriter formentur; quippe cum & materiæ copia, & bonitas, & procreātium ipſa facultatum efficacia maximè adſit.] Scio quid aduerſarij contrà dicturi ſint. Sed quomodo in ſemine potentia ſit vitalis atque anima, declarabitur in ſequentibus. Nunc vna aut altera ratione monſtrare expedit, generationis opus tanquam à proprio effectiuo principio à generantis vi & facultate procedere.

Primùm igitur conſidero, nullam eſſe animæ potentiam, quæ integri actus, ad quem ordinatur, ſufficiens & adæquata cauſa non ſit: Neque vllam eſſe rationem, cuius merito à generali hac conditione generatiua debeat excludi; & ſi aliqua ſit, valde diminutè egiſſe, quicumque de generatione ab vniuoco, de vegetali anima, & de naturalibus facultatibus tractarunt, neque admonuerunt, huic non actũ integrum reſpondere, qualis abſoluta formatio, ſed diminutum, cuiuſmodi ſola genituræ productio eſt. Inde colligo, ſi horum iudicia & ſcripta temere carpenda non ſunt, ex Ariſtotelis & Galeni decretis (vt quàm plurimos alios clari nominis prætermittam) nihil aliud poſſe concludi, quàm totum generationis actum perfecti animalis generatiuæ potentiæ, vſque ad completam fœtus formationem, eſſe acceptum referendum, quicquid ſecus ſentiant nuperi de

For-

Formatiua scriptores, K à quibus non sine admiratione, & contemptas summorum Philosophorum auctoritates video: & praeterea persuasum, conformationem atque immutationem non esse generationem; neque eos obseruare, non formam, sed compositum generare, & consequenter non antea formam quã materiam, corpusque organicum produci, adeoque materiam quamlibet omnibus dispositionibus instructam, ad animae, & cuiuslibet formae materialis definitionem spectare, neque posse animam esse principium agendi sine organis: Quinimo haec animae essentiae interuenire, ex Aristotele, qui ita animam definiuit, perspicuè constare. Quapropter nullatenus valet semen esse, vti asserunt, citra organizationem, ad animam sufficiēter apparata materia. Vno verbo, materia, ex qua animal gignitur, scilicet semen ipsum, vel aliquid vlterius per organizationem, quod ad formam essentialiter faciat, adipiscitur, vel non: si non, frustra est organizatio, quia forma vt se habet ad esse, ita ad operari: si concedunt addi aliquid, non possunt non fateri, se contrauenire principio, quòd forma & materia non sunt separata secundum esse, sed secundum rationem. K Fienus de Form. q. 4. & 9.

Dicunt, si generatiuę partes sint conformatiua & immutatiua, procul dubio hę in testibus residebunt. Verum est. Subiungunt, non ergo nisi in testibus operabuntur. Negatur consequentia. Ratio negationis, quia locus alius desideratur, atque alia permixtio, nimirum ad hoc, vt indita motio in actum erumpat, & perfectionis apicem consequatur, qualem sibi natura proponit: Nec nisi duorum sexuum concursu perfecti generatio ex Naturę decreto potest absolui. Est ergo alia causa necessaria, quam vel ipsi nuncupant sine qua non. Inde nulla remanet aduersae illationis necessitas, & mirũ, quomodo hanc doctrinam probent, neque animaduertant, vt eorum argumenta resoluat. Potentia, inquiunt, in testibus residens producit semē; nō ergo potest facere conformationē & immutationē. Iterũ cōsequētia negatur. Probant, quia actio generationis seminis, & conformandi, toto genere distant. Sed hęc aperta principij petitio est: supponunt enim, quod maximè indiget probatione apud eos, qui sustinent, semen non materialiter tantùm in testibus, sed secundum, & animastica motione gaudens generari.

Secunda ratio ad principale fit: Generatio est actus secundus, actus secundus causatur effectiuè, & dependet à primo, qui est forma; ergo generatio absoluitur à principio formali: At principium formale productiuum secundi actus, qualis generatio, nō est in semine, sed in generante; ergo generatio prorsus à generante est, non à semine.

ne. Probatio ſubſumpti, quia in eodem ſubiecto nequeunt eſſe ſimul motus ad formam, & forma ipſa, cuiuſmodi quę ſui ſimilis productiua ſit, nimirũ ſub ratione principij cõpleti; ſed in ſemine, vel id ipſo etiam enunciante Philoſopho, eſt generatio, quam eſſe motum ad formam poſteriùs patefiet: ergo non & forma ipſa generatiua ſemini inerit. Dicunt, & ex grauiſſimis auctoribus probant, conformatricem atque immutatricem ſemini ineſse, ſed an per modum habitus, & ſecundi actus in primum ordinati, an per modum principij formalis, completi & effectiui, non diſtinguunt; quod tamen maximè erat diſtinguendum. Diuidunt alij ſemen in partem agentem & paſſiuam; ſed quę hanc deſtruant diuiſionem, antea tetigi, & nunc etiam ad hoc nonnulla alia ſubiungo.

Aliæ rationes, precedentis Capitis ſententiam confirmantes, & aſſertionem deſtruentes, quòd anima quæcumque illa ſit, in ſpiritibus ſeminis habeatur, non etiam in craſſamento.

CAP. XVI.

HÆc ego, & alia, quę in diſputatione de In. Cal. à Recentioribus diſſentiens, aduerſus ſeminalium ſpirituum animationem, diſtinctionemque ſubſtantiæ ſeminalis in partem agentem, & partem paſſiuam, conſcripſeram, ſententiam nactus, non ſatis expreſsè declarantem, an anima ſemini indita, eadem eſsentiali habitudine & actu promiſcuè ſpiritus & craſſamentum reſpiciat, an eſſentiali ſpiritus tantùm, accidentali autem corpulentiam; Tametſi concluſio iſta eam neceſſariò poſitionem conſequebatur, quòd anima ex trium ſpirituum miſcella elicita ſit. Nunc quando ex nouiſſimis eorum diſputationibus intelligo, apertè decerni, ſolos in ſemine ſpiritus animari, neque huiuſmodi formam ad craſſamentum extendi, certior factus ſum, hos omnino ad Arabũ ſectatores deſciuiſſe, inter quos Conciliator, † Dinus, & Foroliuiẽſis fuere precipui, atque ab ipſis probati, quia ſuſtinuerint; ex tribus ſpiritibus, vitali animali, & naturali, animam educi; ex quo poſtea trahuntur ad determinandum, virtutem informatiuam, membrorumque & fœtus generatiuam eſse agens naturale, materiæ genera-

† Dif. 34 Sup. Auicen. cap. de Gẽ. embr.

tio-

tionis fętus extrinsecum, vt subiectiuè non sit in materia generationis, & per consequens, remaneat eidem prorsus extraneum. Quæ opinio, tanquam erronea, tum propter rationes ex iam discussis emergentes, tum ob compl ures alias, quas hic subiungam, est relinquenda.

Harum prima sit: Consentaneum videtur, vt eodem modo generentur partes, tam organicæ, quàm similares, ex semine in fętu, quo ex alimento vltimo generantur & regenerãtur formato animali; neque enim formatio hæc cum priore illa supponenda est æquiuoca, contra quàm ipsę attestentur operationes: sed in genito animali non generantur & regenerantur ab anima, educta ex spirituum miscella, & indita corpulentiæ; quinimò ab actione viuentis solidi in ipsis humoribus recepta: ergo, &c. Quòd actio & vis solidi in alimento ipso vltimo humorali, non in spiritibus seorsim recipiatur; quòdque pars ipsa solida sit, quæ totam transmutationem efficiat, patet, quoniam oportet hanc regenerationem fieri appositione nutrimenti assimilati & multiplicati; ac præterea non vna tantùm, & tota simul facta appositione, sed pluribus, successiuisque. Quibus stantibus, ridiculè sustinueris, dari animam spiritibus, qui cum humoribus permixti affluunt, istosque ad instar seminalium, fabricata parte, & ex humorum corpulentia nouis spiritibus genitis, cum anima concepta dissolui. Quot enim animæ generarentur, & cum suis spiritibus ad nihilum redigerentur in vnius vel minimæ arteriolæ regeneratione? Esto autem, quòd in parte generante sint spiritus complantati, in quibus vel præcipuè anima viget, propter calorem, vtiq; non ambigitur, de spiritus complantati natura esse, vt ad solidi substantiam pertineat.

Secunda: Ex humorum dispositionibus efformantur tumorum folliculi; non ergo formatio est opus spirituum seorsim agentium.

Tertia: Materia, ex qua gignitur fœtus, non debet minùs egregiè esse apparata, aut dispositionibus minùs nobilibus instructa, quàm ea, ex qua gignitur planta: sed hæc animata est; ergo. Probatur minor, quia si viuit, est animata. Nec recurrere valemus ad spiritus, qui in planta nulli sunt, neque à principibus partibus fluentes, neque à toto decidui. Considero autem hoc loco, Recentiores plantarum seminibus adhuc non decisis animam concessisse, qua aluntur, augenturque, sicuti & partes plantarum, hancque etiam decisa seruare; Inde necessariò consequi, à plantalis seminis anima totam seminalem materiam informari, & perfectè quidem, actus nimirum secundi perfecti testimonio. Quæro igitur, an putent semina plantarum, cum

ex

ex ipsis plantæ fiunt, substantialiter mutari? & si hac mutatione mutantur, an vna numero anima sit in duobus subiectis, vt ipsi dicunt, numero differentibus? & an corrumpatur anima plantæ, & generetur anima plantæ? an potiùs eadem anima sit, quæ in plantæ semine & planta? Sed ad rem.

Quarta ratio sit: Si anima seminis habeat esse in spiritibus; & similem debeat animam generare, aliam non gignet animam, quàm corporis spirituosi: patet, quia materia cadit in definitionem formæ materialis, quod fusiùs postea manifestabitur.

Quinta deducitur ex Philosophi iudicio, qui de semine agens, accepto semine vt corpulentiam non excludit, quinimo vt est superfluitas alimenti vltimi, dicit, & esse animatum, & viuere; ergo crassamentum est animatum, & viuit: Non potest autem vllum corpus physicum sublunare, ex Peripatetica doctrina communiter probata, viuere, quod non informetur ab anima; ergo. Censuisse Aristotelé, semen, antedicto modo acceptum, anima & vita præditum, probatur primò, quia dicit, [a] semen esse generationem, & [b] generationem esse participationem primam cum calido nutritiuæ animæ. Secundò, quia semen ex eodem [c]; sicuti & partes, sine anima est æquiuocè semen. Tertiò, quia scribit ad verbum: [d] [Item si partes distractæ in semine sint, quonam pacto viuat?] quo enunciato apertè supponit semen viuere. Quartò demum, quia decernit, [e] semine & conceptus nihilo minus viuere, quàm stirpes. Quòd si hanc vitam & animam, contrà quàm ferant sermonum sensus, connexiones, & consequentiæ, per se spiritibus, corpulentiæ autem seminali per accidens conuenire præsumpsit, nō solùm tanquam captiosus, sed etiā tanquā indiligens culpandus est, vtpote qui in re summopere declarationis indiga necessariam distinctionem prætermiserit. Dico, necessariam distinctionem, quoniam, vt circumspectè notabat Foroliuiensis, [f] non est de proprietate sermonis; si sperma dicatur animatum; vbi supponamus, illud esse quoddam aggregatum, cuius aliqua pars est formaliter animata, & aliqua non. Quas ob res concludere licet ex mente Aristotelis, semini, vt est aggregatum ex crassamento & spiritibus, inesse animam, vtraque corpora sub eius formandi modo vnita promiscuè perficientem, qualiscumque postea formatio sit, actualis, potentialisuè, aut per modum habitus & motionis, qua de re posterius, [g] magis opportunè erit determinandum.

Sexta: Si transmutatio seminis est, quia transmutatur inanime simpliciter; non ergo transmutatio seminis erit perfectiua. Probo, quia agitur de simplici destructione, nam quod de animastico habe-

tur

a 1. de part. an. c. 1.
b De iu. et sen. ca. 14.
c 2. de ge. an. cap. 1.
d 1. de gen. an. ca. 18.
e 2. de ge. an. cap. 3.
f Sup. c. de gen. emb. q. 5.
g Sect. 2. c. 5. et seq.

tur in semine, ad semen intrinsecè & substantialiter non pertinet, quà mutatur, & postea etiam (licet tanquam aduentitium) destruitur, & aboletur: Quod verò est ex parte inanimis, & propriè ad semen pertinet, omnino tollitur. Quid ergo est, quod perficiatur in semine? perfectio supponit rem inceptam, & quæ ad apicem suæ naturæ promoueatur & gliscat; inanime non est tale, quod è directo opponitur animato. Si dicant, mutatio est perfectiua, quia perfectior inducitur forma. Est verum, sed verum quoque est, hanc, si non sit inchoata, aut quomodolibet in vocatis dispositionibus sub imperfecto essendi modo comprehensa, solam & simplicem materiam respicere, non etiam subiectum per dispositiones apparatum, & iam ad formam promotum, quale debet semen esse per coctionem elaboratum, & ad partialem generationem ordinatum. Tenet maximè, quod deducitur contra aduersarios, qui supponunt, subiectum semen non remanere numero idem, & formam non consistere in apice & vltimo complemento eius quod fuit in dispositionibus inchoatum: sequitur enim ex hoc, vt quod amittit formam, & formam acquirit, demum nihil sit aliud, quàm pura materia, in qua est difficultas alibi proposita atque discussa. a De In. Cal. ca. 4.

Septima: Crassamentum est ad partialem generationem ordinatum & transmutatum, & aliqua ex parte assimilatum; ergo & temperie à parte non dissimili præditum: At cum temperie semper stat forma, quæ educitur educenti similis, qualis in proposito est natura principij, quod in testium complexione comprehenditur.

Octaua: Temperies à testibus contracta est communis spiritibus & crassamento; ergo etiam anima communis. Assumptum probatur, quia eadem actione innati testium caloris, & temperiei, fit conuersio vtriusq; patientis corporis ad istius principij naturam: Neque enim agunt testes, nisi facultate naturali, cuius est ad partis agentis naturam & similitudinem transmutare.

Nonò quæro, cur testes ex miscella spirituum animam educant, non autem ex miscella horum & crassamenti? Dicent, quia illa est magis disposita. Cur est magis disposita? Respondebunt, vt opinor, quia habet virtutes principiorum. Cur habet virtutes principiorum? Certè ob contractam temperiem. Sed cur propter hanc sanguis non participabit vim principij? Quomodo hanc non habebit crassamentum ex coctione & alteratione testium, quæ omnino in antedicta desideratur miscella, nimirum non concurrentibus testium spiritibus?

Decima: Si in aliquo corpore animalis generationi subiecto de-

beat anima reperiri substantialiter perficiens, certè in illo maximè erit, ex quo corpus organicum possit fabricari: Sed ad hoc spiritus seorsim non sunt apti, sed potiùs crassamentum; ergo vel hoc maximè erit animatum, vel saltem non minùs quàm spiritus.

Vndecima: Agens naturale vniuocum non transmutat materiam, nisi secundum agẽdi modũ congruũ modo essendi illius formę, qua informatur atque perficitur: at modus essendi naturalis facultatis, quæ semen generat, est modus formæ non minùs partem corpulentam, quàm spirituosam informantis; ergo illius agendi & transmutandi modus talis erit. Si non minùs ad sui similitudinem transmutat crassum, quàm spirituosum, & hoc per formam, quæ elicitur, non minùs corpulentia, quàm spiritus animabitur.

Duodecima: Spiritus gignitiuus ex corpulentia seminali animam educit suæ similem, in virtute à testibus recepta, cur & testes ex hac non educent, aut educere poterunt animam, qualem isti tribuunt spiritibus?

Decimatertia: Anima in continente magis viget, quàm in contento, & impetu ruente. Ratio, quia est ad operationes ordinata stabili corpore indigentes, quales sunt non solùm animalis, sed etiam seminis, sine cuius firma corpulentia principium malè alteraret & conformaret.

Decimaquarta: Calidum innatum, vel temperies, à qua prouenit anima, & in qua seruatur, si non sit substantia animæ, est saltem illius proximum instrumentum: at hoc nõn est spiritus tantùm, sed corpus archigonum, à quo, secundum Gal. non excluditur crassamentum; non ergo minùs crassamentum est animatum, quàm spiritus.

Decimaquinta: Coctio & permixtio duorum vel plurium corporum, ad substantialem generationem ordinatorum, ab agente per naturales facultates, & omnino per assimilationem transmutante, semper efficiunt, vt promiscuè plura illa corpora ad vnam formam per easdem dispositiones moueantur; ergo non minùs crassamentum, quàm spiritus à naturali facultate testium alteratiua, nec non à permixtione in testibus celebrata mutatur, & ordinatur ad animam. Noto, Recentiores asseruisse, ex spiritu & serosa humiditate in plexibus fieri corpus vnum, per nouam coctionem ac elaborationem. Hoc ego qua ratione esse possit, nisi intercedente communi forma, haud satis intelligo, nimirum non sapiens, quomodo per coctionem ex duobus fiat corpus vnum, nisi merito natura coquentis membri, vtrique corpori mediante alteratione communicatę. Neque video, quomodo alteratio faciat vnum, nisi copulando in vnam naturam.

Deci-

Decimasexta: Semen, crassamento non excluso, ex Galeno habet naturales facultates: sed has non potest habere, nisi quatenus animatur & viuit; ergo. &c. Quòd habeat facultates naturales, ex Galeno patet, quia ex illius sēsu, trahit, alterat, nutritur, augetur; quę certè soli spiritui, corpulentia exclusa, non conueniunt, immò euidenter crassamentum est, quod harum opera exercet, quod nutritur & crescit. Sunt qui dicant, à Fieno [a] forsitan excitati, apud Galenum semen neque propriè augeri, neque nutriri, quia actu esset animatum, non potentia, modoque ab ipsis recepto. Sed remitto ego istos ad Galenum, vt bene ponderent tum loca ab ipsis citata, tum maximè quæ à me infrà cōsiderabūtur. [b] Placet Arabibus, [c] & sectatoribus, ante resolutionem notabilem, quæ in semine non apparet, nutritio ni non esse locum; quo effectu spermati denegato, ex eo amplius non potest inferri principium, adeoque facultates aliæ naturales ipsi inseruientes, & tamen non ambigitur, facultates non esse ponendas, nisi testimonio operationum. Istis vt satisfaciam, non laborabo, probando resolutionem necessariam semper non esse, vt succedat nutritio, potissimùm in conceptu, in quo tot spectamus naturæ functiones exequutas, modo ab eo longè diuerso, secundum quem edito fœtu succedere consueuerunt: sed solummodo considerabo, quòd quantumuis in semine modica esset resolutio, pro paruitate tamē corporis tāta esse posset, quæ indigeret restauratione, eaque copiosiore, quia debet materia embryonis celeri auctione multiplicari; id quod Gentilis [d] germanissimus Auicennę interpres, censuisse visus est, vbi sustinet, ante generationem panniculi conceptum nutriri per resudationem à venis matricis prodeuntem, ac resolutionem statim in principio generationis subsequi ex actione caloris naturalis in humidum. Sed vt fermè non est dubium, in seminali corpulentia ante organizationem realiter resolutionem succedere: ita an parua respectiuè, vel multa sit, sensibilis vel insensibilis, talis vè, quæ nisi reparetur, noxam illatura sit, soli Deo & Naturæ perspectum esse crediderim. Sed dato etiam, corpulentiæ seminalis nullam ab initio resolutionem fieri, videant studiosi Foroliuiensem [e] in sua prima quęstione, vbi sustinet, rationabile esse, nutritioni resolutionem non præcedere, si membro nutriendo adhæserit alimētum ita dispositum, vt immediatè possit assimilari, & hoc ex necessitate actionis inter passum & efficiens congruè disposita & approximata; quæ fuit etiam Magistri Thomę sententia à Gentile examinata, & ipsi Gentili à Dino perperam attributa, sed non sine ratione laudata: [f] quid autem similius masculeo semini atque vicinius esse valeat, quàm fœ-

[a] de Form. 1. 5.

[b] Sec. 2. cap. 4.

[c] Auicen. 3. can. Fē. 21 tract. 1. cap. 2. quod est de Gēn embr. & ibi Foroliu.

[d] Sup. 3. can. Fen. 21 tract. 1. cap. 2.

[e] Sup. loco Auic. citat.

[f] Vid. Ge. & Din super Auic. ca. iam citat.

N 2 mi-

mineum, non facilè inuenies; quapropter neque inconueniens est p Sect. 2. cap. 4. vt mox ex Galeno patefaciam, hoc esse, ex quo masculeũ nutriatur, tametsi nulla præcesserit resolutio. Sed vnde est euidentia nutritionis in semine? Respondeo, primùm ex attractione sanguinis, quando hæc ordinatur ad nutritionem: Secundò ex conditione & natura calidi innati actuati: Tertiò ex augmento ipsius seminis, non solùm naturæ necessitati præscripto, sed euidentiæ sensus conspicuo. Dicunt, siccatur semen, ex 1. de san. tue. ergo non augetur. Nego consequentiam. Ratio negationis, quia fœtus, atque animal extra vterum semper eo modo siccatur, & tamen augetur, vtpote cũ siccatur abundè etiam nutritum.

Decima septima: Si animetur spiritus seorsum à crassamento, necesse procul dubio est, vt gaudeat vegetatiua & generatiua, ex quibus posteriores semper præsupponunt priores, specialiter autem generatiua supponit nutritiuam, quia ex alteratione ad nutritiuam spectante dearticulatur semen, quodcumque illud sit, siue humor, siue spiritus, siue conflatum ex vtrisque: modò spiritus separatim à crassamento non nutritur, quia ex aduersariorum hypothesi, non seruatur, sed sensim deficit, dissoluitur, euanescit; inde neque augetur, quia auctio ex nutrimento est; inde neque generat. Et quod nõ generet, probatur etiam, quia corpus omnino aliud figura, soliditate, &c. est, quod ab illius actione imaginantur produci non simile, quale esse debet, quod scopus est generantis facultatis.

Decima octaua; Semen apud Recentiores, vbi Galenicas partes tuentur, semper est totum id, quod per coctionem & mixtionem elaboratur in testibus: hoc si profiteantur esse animatum, vtique ad totum anima debet extendi: si enim hęc solos informet spiritus, perperam semen ab ipsis passim dicitur animatum, quod & alij contra hoc disputantes obijciunt; & meritò, ob id, quod in quinta notabam.

Decima nona: Est Galeni auctoritas rationi communiter receptę consentiens, qua profitetur, *h* naturam illam, quæ particulas effingit, & sensim adauget, omnino per eas totas esse extensam, vt quæ eas totas per totas, non tantùm extrinsecus, fingat, nutriat, atque augeat: Igitur ab huius participatione essentiali crassamentũ non debet excludi, vtpote quod intrinsecè, & per totum, ab ea formandum sit. Ac proinde rectè in proposito argumentabatur Fienus, *i* dicens: Si principium actiuum conformationis aut generationis debeat semini inesse, hoc tali substantię inerit, quę semini maximè intrinseca sit, eique essentialiter vnita, quò in omnes eius partes agere, eisque firmiter adhętere, ab eisq; nunquam recedere ac diuelli possit.

h 2. de na. fa. cap. 3. Vi etiã 2. de Se. c. 5.

i de Form. q. 6.

Vige-

Vigesima: Caliditas natiua est à spiritibus: at quomodo „ [nihil prohibet, sanguineam substantiam, simulque seminalem, „ vnà cum spiritu, calidum inaudire innatum *k*] si tria hæc substantialiter non iunguntur? & si substantialiter iunguntur, quomodo non regulantur communi forma? quæ quid aliud esse possit præter animam non discerno. Nam, vt in Decima quarta notabam, inhærendo rationibus, quas in disputatione de innato calido fusiùs consideraui, Semen, crassamento non excluso, stando in Galeni doctrina, est corpus præditum calido innato, immò ipsamet substantia calidi innati: calidum autem innatum habet animam & viuit; quare &c. Vtque Maior apud Galenum non est dubia, ita Minor clara est, quando, ex illius decreto, nihil nos generat, auget, & nutrit, nisi calidum innatum. Negat Fienus, *l* vbicumque est calidum innatum, ibi esse animam, quanta autem cum ratione, & quo stabili fundamento, veri Galenici viderint, & alij, qui nouerint, calidum innatum si nō sit (vt supra dicebam) anima ipsa, esse saltem animæ instrumentum, & instrumentum, ne sit æquiuocè instrumentū, esse sine anima nō posse, ad quam respectū essētialē habere debet.

k ex 5. sim. pli. 9.

l de form. 9 5.

Demùm pro coronide animaduerto, apud primos aduersę opinionis fautores animam educi ex miscella spirituum, & postea quemlibet spiritum ad propriam mineram secedere, seque ibi figere; quod vt stare possit, cum animæ ex eorum concursu & vnione elicitę conseruatione, & actione, haud satis intelligo: Non sic Galenus de suo Archigono. Monstrosum sanè auditu, atque intolerabile est, eos, qui talia enunciant, reprehēdisse Galenum, quòd sciens ramos, ignorauerit radices scientiæ, quando ipsi non intelligunt, materiam, quę vnius formæ reddita est, ex plurium in vnum conspiratione, sub vno temperamento, & vna quantitate indiuisibili, semper ad eam formā eo modo essentiāliter se habere. Vtinam extaret Galeni liber, in quo ea considerabantur, quæ à Chrysippo in libris de Anima tanguntur, & num probabilius toti semini fœtus formatio demandetur, an spiritibus, qui in ipso continentur. *m* Scio, quomodo Auicennæ expositores *n* se torqueant, vt illius sententiam *o* ab euidentissimis absurditatibus redimant; sed an violentas adhibeant interpretationes contra expressum litteræ sensum, quem vel ipsi non negarunt, iudicium sit apud alios; neque enim ista fusiùs persequi est opportunum.

m Vid. de fęt. form. cap. viti. in fin.

n Forolius. et Din. su. e de Gen. em br.

o Pro qua vid. 9 de Nat ani. c. 4. & 3. Can Fen. 21. Trac. 1. ca 2 q.d est de Ge. embr & Th. & Gar. sup. eo. ca.

Di-

Disquisitio de spirituum seminalium permansione, in disputatione de Innato Calido posita, reassumitur, & ibi determinata adhuc pleniùs confirmantur.

CAP. XVII.

HIs rationibus longè reiecta illa spirituum seminalium animatione, quæ ad corpulentiam non extenditur, nunc de eorumdem permansione in formato fętu, propositum, alibi etiam discussum, † denuò igni atque incudi redditum premamus. Si perquisiuero, cur natura paratos habens spiritus idoneos, apprimeque dispositos, hos dimittat, ac noua eiusm odi substantiæ elaboratione instituta, per plura faciat, quod potuit per pauciora? Expecto responsuros, ad formę destructionem organũ quoque debere corrumpi. At ego nõ video, vnde sit necessitas corruptionis animæ seminalis, nisi quia generatio nouæ formæ in semine supponit illius destructionem, quam antea tenebat: & si hoc est, quod aduersarios mouet, concedam ad hominem argumentaturus, & formam hanc abolendam habere, si placet, coniunctam quouis modo priuationem introducendæ, & vnà cum veteri anima spiritum, qui eius statuitur instrumentum, debere corrumpi, sed ea lege & conditione, vt is tanquam materia formæ succedenti substituatur, nam ad præcedentem se quoque habet tanquam materia; quando in confesso est, instrumentum animæ ad materiam reduci, & materiam ad causam instrumentalem. Quapropter rectè Vir acutus, Archangelus *a* Mercenarius, notabat, innatum calorem, qui maximè in spiritibus viget, animæ instrumentum esse, non quia vel localiter ab anima moueatur, vel alteretur, sed quoniã cùm ab ea informetur, atque in sua mensura contineatur, ab eadem vim habet agendi: A quo enim res habet esse, ab eodem habet operari.

† De inn. cal. cap. 4.

a In dilu. 6. de inna. cal.

Certum quoque est, & prorsus indubitatum, quod Aristoteles, vel Strato Lampsacenus, vel quicumque ille fuerit auctor libelli de Spiritu, qui sub Aristotelis nomine circumfertur, edocuit, *b* Artem scilicet calore, tanquam instrumento vti; Naturam verò vt instrumento & materia: Si igitur portio hæc spirituosa, quia sit instru-

b Cap. 9.

mentum, sed ad seminis animam habet tanquam materia, procul dubio in succedentis formæ materiam vel sub ratione instrumenti, vt in semine, vel alio quouis modo concedere debet. Tuncque ex eo, qui hoc non negauerit, iterum sciscitabor, Quid vetus hic spiritus euadat? forsan crassamentum, aut solidum quidpiam? minimè omnium. Quid ergo aliud? Nescio, & si alius sciat, doceri cupio. Si ergo solidi dispositionem non recipit, nullam (ni ego fallor) aliam recipiet, ob quam à natura spiritus expolietur.

Hic fortasse ex aduersarijs nonnulli ad Foroliuiensis [d] doctrinam se recipient; tametsi (vt ex præhabitis [e] apertè constare potest) Galeno atque Aristoteli contrariam, quæ hac illius oratione continetur. [Posset etiā probabiliter dici, quòd illa forma corrumpitur, & quòd licet inconueniens sit in materia aliqua corrumpi formā, ad cuius corruptionem sequitur similis formæ secundum speciem generatio in eadem materia, non tamen in alia, sicut in proposito contingit; corrumpitur enim forma spiritus gignitiui, & generatur in eadem materia forma vaporis; in materia tamen generationis imprimitur forma talis, qualis præexistebat in spiritu.] Hæc vir subtilis, per quæ tamen necessitas non inducitur corruptionis animæ, neque dissolutionis spirituum: id enim, quod ex alia materia sibi simile generat, non interit necessariò. vt vidisse etiam & tacitè probasse visi sunt Recentiores, qui causam, ob quam seminales spiritus deficiant & resoluantur, esse censuerunt repassionem, de qua paulò posteriùs; tametsi quacumque tandem causa corruptionis vel dissipationis animati spiritus excogitata & concessa, siue ea agens fuerit, siue reagens, non apparet, cur magis nunc, quàm alio tempore, priore vel posteriore huiusmodi succedat effectus. Et si dicatur, ideo spiritum geniture, simulque illius animam deficere, quia transmutata ad solidum seminali corpulentia, non habet à quo contineatur & conseruetur: Primùm reddenda fuerit ratio eius, quod est ab initio quæsitum, cur hos idoneos spiritus solidæ partes dimittant, neque ad vsum necessarium conseruent, potissimū cùm Hippocratis [f] testimonio, & partialis generationis fide, anima animæ continuari & permisceri valeat. Deinde veniet ridenda accidentalis vnio duorum compositorum, quorum neutrum per se potest subsistere, nedum operari: Corpulentia enim vel momento à spiritu destituta, amplius nequit esse vsui; spiritus verò statim ac fuerit extra serosam humiditatem, vel in ipso vtero dissipatur, extinguitur. Ex quo licet conijcere, vnum actione alterius indigere vt subsistat, atque vt sit ad operationem idoneum, quod procul dubio

d Sup. c. 8 Gen. emb. q. 5.

e Cap. præced.

f 1. De Diæta.

con-

conspirationis substantialis est argumentum. Quas ob res, satius (ni ego fallor) fuisset Foroliuiensi, & Sectatoribus acquiescere in sua ,, prima assertione, his verbis expressa: [Ad quintum dicitur pro- ,, babiliter, quòd sicut spiritus gignitiuus remanet in fœtu, licet ,, parum post resoluatur: ita & anima, vel forma eius, & alia pro- ,, ducitur forma in materia generationis partialis, ex qua fit vna ,, totalis cum præexistente, sicut de alijs formis extensis videmus ,, contingere; vt ex pluribus aquis vnam aquam fieri, & conse- ,, quenter dicitur, quòd pars animæ fœtus præfuit in corpore ge- ,, nerantis, & pars eius fuit generata in matrice.]

Sed hic non est finis difficultatum, quæ aduersarios possunt vrgere. Etenim si quis fuerit ex ipsis, qui recepto Galeni dogmate iam firmato, h se rectè opinari credat, quia cùm forma & natura corrumpatur, in quam tria archigoni corpora cõspirabant, ex hoc consequi, antedictis rationibus non obstantibus, spiritum, qui sit illius formæ organum, seorsim abscedere posse, & dissipari, nouo alio substituto, & vices eius gerente; statim rogabo, si ex hac formæ corruptione pars hæc materialis perit, nempe spirituosa, ita vt nullatenus sub nouam formam transeat, cur nõ etiam semen & sanguis? Id, quòd propriè generatur, & corrumpitur, est compositum i. Ad hoc non minùs materia, quàm forma pertinet: Et si anima totum primogeneum corpus informat, vt omnino velint nolint coguntur fateri, quicumque animam seminalem referunt ad terminum à quo in subiecto, circa quod versatur generatio fetus, vtique ad illius materiam non minùs spectant sanguis, & ipsa seminalis humiditas, quàm spiritus. Modò quæ maior ratio fuerit totalis destructionis spirituũ ad animę seminalis interitum, quàm sanguinis & geniture? cur non idem corruptionis modus, non eadem transmutationis conditio est? Elementa quatuor, cùm ex necessaria omnium conspiratione & vnione fiat mixtum, sunt materia mixti, propterea etiam (quicquid alij dicãt) in mixto remanent: signum est, quòd cùm mixtum corrumpitur, ex Hippocrate k & Aristotele, l in ea dissoluatur. Idem de quatuor humoribus dicamus, respectu similarium, & harum respectu organi; neque maior est ratio permansionis vnius, quàm reliquorum. Breuiter ad hunc modum licet ratiocinari: Calidi innati pars substantialis ante fetus generationem est humidum seminale & sanguineum: at post formationem seruatur humidum numero idem, sub eadem ratione, atque essentiali habitudine ad calidum; ergo itidem & calor. At hic fundatur in spiritibus primò semini insitis; quare &c.

Semen, si vt materia concurrat, debere non corruptum inesse, te- stis

h De Cal. inna. c. 4. & in præc. ced. cap.

i sex 7. Me. Tex. 27.

k 1. de Na. Humana

l 3. & 14. 4. Meteo.

ſtis etiam ipſe eſt Ariſtoteles, *l* qui vbi accepiſſet, ſemen ſua natura tale eſſe, vt ex eo primò oriantur ea, quæ ſecundum naturam conſtituuntur, nonnullaſque acceptiones recenſuiſſet eius, quod dicitur ex alio fieri aliud, inter quas eam enumerat, ſecundum quam enunciamus, ex ære ſtatuam, aut ex ligno lectum, & quæcumque ex materia fieri dicimus, vt ex aliquo, quod inſit & formetur, tandem eam profert doctrinam, ex qua euidenter elicias, ſemen, ſi patientis locum obtineat, & debere ſuccedenti contrario ſubijci, & (quod materię conuenit) incolume conſeruari. *l* 1. de Gen. ani. c. 18

Profectò, ſi ſpiritus animæ ſeminalis, à qua totum ſemen informetur, corrumpitur propter eſſentialē nexū, quē vt inſtrumentū cum ipſa habet, procul dubio, vt nuper conſiderabam, cum hac non minus ſeminalis corpulentia, quàm ſpiritus deſtruetur, diſſipabitur, ſecedet. Tuncque non videbo, quàm bene à Galeno taxetur Philoſophus, qui inficias iuerit, genituræ corpulentiam in fœtus ſubſtantiam concedere, cùm tamen aptiſſima eſset ſpermaticarum partium materia; paratam enim Ariſtoteles reſpōſionem haberet, quæ Galenicum ratiocinium prorſus irritum faceret, ſemen anima præditum eſſe, quæ cum ſuo organo & ſubiecto debet corrumpi. Oportet igitur apud Galenum non eſſe pro inconuenienti, id, quod in ſemine animatur, ſeruari, & ſub fętus formam migrare; inde neceſſarium non eſſe, partem illam corporis primigenei ita deſtrui, vt in genito non permaneat; & iure merito, quia ex concurſu & vnione trium corporum oritur diſpoſitio ad formam fętus: Diſpoſitiones autem (quod alias etiam notaui *m*) ad vnam aliquam formam ordinatæ, ſub forma, ad quam diriguntur, debent remanere, potiſſimùm ſi mutatio perfectiua ſit. At non remanerent, ſi variaretur materia, quia de ſubiecto in ſubiectum tranſire non poſſunt: Si ergo remanent, remanet etiam materia, conſequenter ſi ſpiritus ſunt materia, & ad materiam diſponendam concurrunt, remanebunt. Neque valet dicere, ſuccedunt ſpiritus ſpecie ſimiles, quia illi non ſtant ſub vtroque termino: non pręcedunt generationem, non conſpirarunt ad conſtitutionem præcedentis materiæ, immò (vt alibi *n* pateſeci) nec ſpecie ſimiles eſse valent, eo argumento, quia neque ex eadem materia, neque ab eodem efficiente, neque eodem in loco, neque eodem generationis modo geniti ſunt, & tandem, quia forma ſpecie cum generantibus communi non perficiuntur, neque communi conſiſtunt eſſendi modo, quandoquidem qui de nouo gignitur ſpiritus, neque ex miſcella eſt, neque vt vetus, quatenus corpus vnum ſeorſim à craſſamento illū excipiente, ab anima informatur atque perficitur, ita

m De in. cal. cap. 4.

n Loc. cit.

O vt

vt ex ſe viuat; quæ omnia conſpicuè formæ diuerſitatem eſſentialem atteſtantur. Neque hoc loco ſilebo, me non ſine admiratione legiſſe apud Foroliuienſem, [n] poſſe probabiliter ſuſtineri, à ſpiritu, qui in ſemine animatus eſt, ex tenuiore parte ſanguinis generari tres ſpiritus ſeparatim, animalem, vitalem, & naturalem; cùm tamen nihil magis repugnet, nõ ſolùm rei veritati, ſed principijs ab illo receptis: ſtante enim triũ ſpirituum in vnam formam cõſpiratione, quæ ſingulorum naturas in vnam aliam à ſingulis diuerſam transmutet, poſſibile non eſt, vt miſcella hęc per aſſimilationem tres generet ſpiritus, temperamento & forma inter ſe diuerſos.

n Sup. 1. de Gen emb. q. 2.

Ægidius [o] ponit differentiã inter ſpiritum ſeminis, & geniti fœtus, quòd ſeminalis ſit non organicus, vtpotè qui non determinet ſibi aliquod ſpeciale organum, cui inſeruiat, ſed feratur hinc inde formando membra: ille autem, qui de nouo ex menſtruo generatur, ſit organicus, quatenus agit per inſtrumẽtum corporale, & determinat ſibi proprium membrum, in cuius virtute operationes exercet. Num verò ex hoc diſcrimine oriatur neceſſitas, ob quam non organicum vocatum tranſire nequeat in organicum, vt ipſe contra Auicẽnam conatur adſtruere, iudicent eruditi, conſiderantes primò circa poſitionem antedictam, ſpiritum generatiuum eſſe debere diſſeminatum per totam corpulentiam, ſiue ſeminalem, cui inſidet ab initio; ſiue menſtrualem, in quam migrauerit, prout neceſſitas formandi exigit, quando formatiuæ operatio ad intima etiam materiæ ſe extendit; ac proinde neque illi repugnare, quòd poſſit vbicumque operatur, ibi etiam claudi & implantari. Deinde animaduertentes, quod ipſe quoque vidit Ægidius, vtrumque ſcilicet ſpiritum iuxta ſua, & aliorum ſectatorum decreta, regulari à corde, tametſi vnum immediatè, alterum mediatè, qui tamẽ vim ſibi impertitam conſeruet, perinde ac ille, qui immediatè ſuo inſeruit principio; ſigno euidentiſſimo, quia generat organicum, ſibi natura & facultatibus non diſſimilem. Si concedat, quod apertè conceſſiſſe viſus eſt, ſpiritum non organicum agere in virtute cordis, & animæ patris; & neget, poſse agere in virtute cordis, & animæ fœtus, tenetur aſſignare rationem, vbi potiſſimùm contrà ſuadent eadem ſpecie forma in corde vtriuſque, atque eadem in vtriuſque ſpiritu natura & vis: vbi inſuper eò non eſt confugiendum, vt dicatur, ex appropriatione materiæ in teſtibus facta, adijci aliquid ſubſtantialis, aut detrahi ſpiritui non organico, quia vt nuper dixi, qui de nouo gignitur ſpecie ſimilis, ſignificat priorem non fuiſse ex actione teſtium, & permixtione craſſamenti, niſi accidentaliter alteratum, id quod etiam ad tuendum

o De for. hum. corp. cap. 9.

cordis

cordis vnicum principatum adstruere coactus est, tametsi nescio quomodo scriptum reliquerit enunciatum sibi, & huic suppositioni valde dissētaneum, per hæc verba: [Sed spiritus emissus cum spermate non habet pro materia menstruum, nec illud, quod dat fœmina; sed accipit pro materia superfluum alimenti in mare, prout est digestum in vasis seminarijs maris.]

Si volunt aduersarij, spretis antè habitis considerationibus, peruicaciter in opinione persistere, quòd spiritus seminalis nullo modo subsequentis animæ subiectum atque instrumentum euadat, tenentur ostendere, à quo contrario is destruatur, potissimùm quando in suę naturę integritate vsque ad completam formationem esse conseruatum præsupponatur.

Dicunt Recentiores, partem hanc spirituosā in fętus formatione repassam dissipari, dissolui, cōsumi. Quo supposito, fortasse putant se difficultates, quæ alios vrgēt, declinauisse. Isti corpulentiā (vt paulò ante tetigi p) & spiritū faciunt duo corpora essentiæ distinctæ, & diuersarū formarū, accidētaliter copulata & implexa; quippe spiritus, ex horum sensu, anima informatur & viuit, crassamentum verò pura est superfluitas alimenti vtilis, cum potentia quidem ad vitam & animam, sed quæ in se considerata, omnem animę & vitę actum excludat: inde fit, vt huius sit in fœtus generatione mutari, & terminos sustinere; illius agere, & formam embryonis educere, qua in esse posita, ipse spiritus ex repassione dissolutus corrumpitur, & cum sua anima esse desinit. At præcedenti cap. et alia quoque disputatione, q quæ accidentalem antedictorum duorum corporum vnionem, nec non dispertitas formas euertunt, abundè fuere considerata. Reliqua, ad modum & vim spirituum humoris transmutatiuam spectantia, vt ex eisdem considerationibus vehementer labefactantur, ex eo etiam rationabiliter refelluntur, quòd scilicet valde sit absurdum, compositum non modò imperfectè viuens, sed quod perfectè viuere nequit, aut perfectam animam recipere, aliud se ipso perfectius posse generare, & animam perfectiorem educere.

p *In i. c. a. praced.*

q *De inn. calido.*

O Consi-

Consideratur, & reijcitur causa interitus spirituum seminalium, nempe repassio, à Recentioribus excogitata, & eorumdem permansio comprobatur.

CAP. XVIII.

Porrò quod ad repassionem attinet, scio, omne quod agit, agendo repati ab eo, quod transmutatur & patitur, interdumque ita repati, vt (quemadmodũ docemur ab Aristotele †) efficiens ipsum magis patiatur, quàm agat: sed scio etiã transmutationem sequi ob agentis victoriam supra passum, * potissimùm, vel ipsorum Recentiorum testimonio, si talis per assimilationem fuerit transmutatio, qualem nouorum spirituum (vt inferiùs patefaciam) supponere oportet. Verùm hoc casu tantum abest, vt ex parte agentis pręualentia spectetur, vt potiùs, ex aduersariorum hypothesi, illius dissipatio & consumptio ob repassionem succedat.

† 4. de Ge. ani. ca. 3.
* Ex Au. 4 phys. t. 71.

Dicunt Physici, semen motu ἀκμαστικῷ idest, increscente moueri, idque rei natura docet, cùm instituta transmutatio ad perfectius, magis elaboratum, atque nobilius tendat, formatioque ipsa in progressu semper exactior euadat, prout requirit conditio corporis, quod rectè Subtiles imperfectum appellant, productum à generante, vt sit via ascendendi ad vlteriores formas perfectas. Profectò incrementum motus significat vim mouẽtem intendi, vt de Fama dicitur, quę

„ Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.

Quomodo ergo cũ his stabit primorũ seminis spirituũ ex repassione consumptio & dissipatio? Vtique ex horum dogmate necesse foret, vt illi ad consumptionem vsque paulatim cederent repassioni; inde motus non amplius ἀκμαστικός, sed παρακμαστικός, idest, decrescens & languescens dicetur.

Ex hoc collige, inter spiritum, qui siue agat quatenus temperiei efficacior est pars, promptissima ad agendum; siue quatenus realiter distinctum efficiens, nihil in præsentia refert: & crassamentum, quod patitur, eam esse debere proportionem, vt non magis ille patiatur quàm efficiat, immò vt longè vehementiùs agat quàm patiatur: quod & posse fieri ratio dictat, & illius substantiam eo minus obnoxiam dissipationi esse demonstrat, quò si quid ex ea

in

in formationis progressu deperditur, ob assistentiam spirituum, per venas & arterias primò fabricatas affluentium, abundantiùs resarcitur & roboratur: nutritur .n. (quicquid secus alij sentiant) semen atque etiam augetur, & cum illius nutritione & incremento formatio procedit, vt posteriùs c luculenter patefiet. c Sect. 1.

Censet Foroliuiensis, d non esse à probabilitate remotum, stando in aduersariorum hypothesi, si dicatur, ex parte puriore corpulentiæ regenerari & restaurari spiritum gignitiuum; quod & ego satis consentaneum esse fateor, quandoquidem spiritus ex crassamento geniti, ijdem specie supponantur cum generantibus. Ex quo Viri peracuti iudicio duo sequuntur Recentioribus incommodantia: vnum, quòd noui spiritus non stant solùm pro nobilissima parte fœtus, sed confusi, & adiecti prioribus formatrici seminis in actu generationis inseruiunt: alterum, quòd modus intereundi spiritus gignitiui, quem putant ex repassione esse, non amplius verisimilis apparet. cap. 4. d Sup. ca. 7 Ge. emb. qu. 5.

„ Interim animaduerto, Recentiores asseruisse, [momento, quo „ anima embryonis ex corpulentia seminis traducitur, non adesse „ corpus seminis, animam autem illius adesse simul cum spirituosa „ seminis parte, cui inhæret.] Ex quo duo colligo: Primum, solos spiritus seminales (vt suprà etiam notaui e) ex horum sententia, citra crassamentum ab anima seminis informari, ita vt ex serosa humiditate, & anima ex spiritibus elicita, fiat vnum per accidens, secùs anima, corrupto semine, non seruaretur incolumis, sed idem momentum corruptionis subiectæ corpulentiæ seminalis esset quoque momentũ defectus animæ. Alterum, quod deduco est, eiusmodi spiritus, vel cũ formatus est fœtus, nondum esse ex repassione dissipatos & resolutos, vt dissipari eos & repati necesse sit (si modò hæc per repassionẽ transmutatio in tẽpore fieri debeat) ab eo, quod non reagit, vtpote quod completa iam transmutatione, non amplius patiatur ab efficiente, inde neque obsistat, nihil habens cui reluctetur. e Cap. 16.

Hoc igitur, quale exposui, de spirituum seminalium conseruatione iudicium facio, in quo vlterius confirmor, vbi à Galeno f Peripateticum reprehendi video, qui vitalem seminis spiritum è vuluis eijciat. At si ipse spiritum hunc censuisset dissolui, aut principio indito, aut formatione absoluta, vtique debuisset si non abstinere à reprehensione, hanc saltem modificare. Idem Galenus, g de cerebri „ fabricatione sermonem faciens: [Tertium verò principium (in- „ quit) ex quo nerui omnes procedunt, ex solo semine ortum ha- „ bet; cùm enim in commixtione fœminei seminis multæ ampullæ „ eius rumpantur, spiritus interius, atque in profundum, vt se ipsũ f 1. de sem. cap. 5. g 1. de sem. cap. 8.

con-

„ cõſeruet, ſubit. Nõ enim eſt, ſicut vapor, ſed per ſe mobile animalis „ principium, perinde atque illa etiam, quæ hunc continet humidi- „ tas, ventriculum ſemini plenum ſpiritu efficit. &, ne exinaniri faci- „ le queat, humidæ ſubſtantiæ, quæ ipſum complectitur, craſſior „ ac durior pars in exteriorem ſuperficiem reiecta ſolidum illi do- „ micilium exhibet.] Hæc Galenus: quæ ſi accuratè ponderaueris, ex inuecta ſpiritus concentratione rationem formare poteris in hunc modum: vel hic ſpiritus, qui in profundum ſubit, vt ſe ipſum conſeruet, permanet, vel diſſoluitur; ſi diſſoluitur, fruſtratus eſt ſuo fine, & incaſſum eum ſolido munimine ſepſit Natura; quod apprime eſt inconueniens: ſi ſeruatur, perperam adſtruitur, priorem ſeminis ſpiritum ex repaſſione diſſolui. Dicentne forſitan, partem hanc ſpiritus otiari, ideoque nihil repati, & conſequenter non deſtrui? Reſponſionem non recipio, quia quod animatum eſt, haud probabiliter ſupponitur in generatione otioſum eſſe, aut materialem tantummodo præſtare vſum, puta ſui quantitate cauitates dilatandi, quaſi aer veſicam bubulam, aut arena marſupium diſtendens; Ita ergo bene deductum puto, ex antedicto Galeni placito, ſpiritum, qui corpulentiæ ſeminali permiſcetur, remanere in genito fœtu, & idipſum bene deduceretur ex Auicenna,[h] qui ſtatuit, tres ſpiritus, vt ipſe tenet, in ſemine contentos, ſecedere vnumquemque ad ſuam minerã, atque ibi facta veſicula firmari & figi. Ex qua doctrina, quantum ego credo, & mãgis ex ea, quam habet 9. de Nat. anim.[i] Aegidius[k] elicuiſse meritò potuit, ipſum exiſtimaſse, virilis genituræ ſpiritum fieri partem pueri, incidendo tandem in eam ſententiam de permanſione efficientis, quæ Ariſtoteli aliàs ab ipſo Auicenna probato parum conſona eſt.

h 3. Can. Fen. 21. tract. 1. cap. 2.
i Cap. 4.
k De for. hum. corpo. cap. 9.

Sed ad Galenum redeo, qui[l] ait, efficientem ſeminis ipſius cauſam, id eſt, formatricem, perfectis animalibus inſitam remanẽre; ergo illius etiam inſtrumentum ſeruari, rationi conſonum eſt. Eandẽ, quæ efformat fœtum, animam in eodem remanere formato fœtu, Ariſtotelis quoque grauiſſimos interpretes cum Galeno ſuſtinuiſſe comperio, præcipuè verò Themiſtium & Simplicium: Ille[m] inquit, animam fabricare & architectari ſibi conueniens atque accommodatum inſtrumentum, efformare ipſam ſibi atque parare domicilium, non efformatum antea & præparatum ſubire. &c. Simplicius autem „ ita habet ad verbum:[n] [Sed vna eſt (intellige animam) quæ „ duas formas refert, quarum altera inſtrumenti effingendi vim ha- „ bet, haud tamen vt mouens, ſed vt ea, quæ id, quod viuaciter mo- „ uetur, formare poteſt: altera verò ceu mouens atque vtens; Namque

l 1. de ſem. cap. 11.
m 1. de an. cap. 22.
n 2. de an. com. tex. 6 ſecundum ſectionem Auer.

„ que omnis mortalium anima iuxta vtramque actus est &c.

Neque est (quod ad Galenum, & fortasse etiam Themistium attinet) vt respondeant, istiusmodi causam eandem specie, non numero esse; etenim hæc non foret illa, quæ in semine præfuit, nisi secundũ quid, & tamen sermo simpliciter atque absolutè prolatus absolutè & simpliciter est intelligendus. Et si id verum sit, animaduertere etiam expedit ex lib. de Trem. Rig. &c. o animam nihil esse aliud, quàm calorem non animalis generatione posteriorem; sed ipsum primum primogenitum & insitum. Quam sententiam si cum antea allegatis Galeni auctoritatibus conferas, notesq; dici primum primogenitum & insitum, facilè conijcies, hoc loquendi modo remotam connotari in semine præexistentiam. Calorem verò vocare insitum etiam in semine consueuit Galenus, p qui præterea de facultate formatrice ita scribit ad verbum: q [Quippe cum in omni materiæ particula opifex vis insit, non separatim alibi id, quod mouet, alibi quod mouetur, sed idem sit quod mouet ac fingit, atque etiam attrahendo, vt superiùs dictum est, à prægnantis venis alimentum, fœtum ipsum auget.] Nota, eandem esse facultatem & vim, quæ format, & fœtum auget, & præterea hanc vniuersæ materiæ æqualiter adesse, neque aliam, quod mouet, habere sedem, ab eo, quod mouetur & patitur. Et hoc alibi r quoque docuisse Galenum suprà s notaui.

o Cap. 6.

p 2 de sem. cap. 5.

q Ibidem

r 1 de Nat. fa. cap. 3.

s Cap. 16.

Rationes nonnullæ contra nouos ex crassamento genitos spiritus adijciuntur.

CAP. XIX.

SEd non solùm ex vi antea memoratarum rationum atque auctoritatum permansio spirituum seminalium conuincitur, sed ex absurditatibus etiam, quas noui & succedanei euidentissimas secum afferunt. Censent Viri celebres, quos sequuti sunt Recentiores, ex parte corpulentiæ tenuiore generari spiritus, qui postea in formato fœtu remanent implantati. At contrà considero ego primùm, seminalem corpulentiam similarem esse; quod & Aristotelem, † & Galenum a voluisse video, & aduersarios quoque ipsos nõ inficiari credo; ex hoc necessariò sequitur, cum Galeno, b Auicenna, c & Auerroe, d quamlibet illius partē seorsim sumptam, nomine

† 4 Mete. in fine. & 1. de Gen. an. cap. 16 in fine.

a 2. de sem. cap. 5. in init.

b 8. de plac. cap. 4. & 1. Meth. cap. 6.

c P. P. doctr. 5 c. 1.

d 5. Meta. com. 4.

ne & definitione cum toto communicare: quod perinde est, ac si dicatur, partes inter se, ac toti natura similes esse. Modò qui fieri potest, vt eiusmodi homogeneum corpus ab eodem calore, eodem tempore, eodem loco, atque eadem actione partim crassescat, partim verò, vt ex ea noui spiritus generentur, rarefiat? calidi est congregare homogenea, dicebat Philosophus *e* At enim disgregaret potiùs, si portionem vnam crassamenti attenuandam assumeret, aliam incrassandam; vt hanc in solidi, illam in spiritus substantiam transmutaret. Seminale crassamentum à spirituum calore reddi crassius & solidius, præter quàm quòd ipsi asserunt Neoterici, id etiam omnis ratio vult calore scilicet, vt calor simpliciter est, humidum resoluente, vt naturalis verò corpus quod excoquitur incrassante, & rationi grauissimorum Virorum adstipulantur testimonia, ac primum Galeni

e 4. Mete.

„ *f* vbi de innato calore loquens habet ad verbum: [At hoc igitur „ cogitur, paulumque concrescit, quod in vtero conceptum est; „ mox siccius redditum, veluti lineamenta quædam & rudimenta „ cuiusque membri obtinet. Vlterius verò etiam siccescens, non „ lineamenta, rudimentaue modò, sed etiam exactam vniuscuiusque „ speciem ostendit.] Et alibi: *g* [Nam sicut liquidum lutum im„ pressionem ac fictionem vllam non admittit, mediocriter indu„ ratum admittit: Ita primæ & recenti feturæ accidit, quæ lacti re„ center coagulato similis est. Ac quemadmodum illud casearij non„ dum formare aggrediuntur, prius quàm satis idonea coagulatione „ concreuerit; eodem modo animal Natura non antea fingere cona„ tur, quàm conuenientem duritiem adeptum sit. Neque enim, „ etiamsi conaretur, quicquam efficeret, cum materia nondum fir„ ma subiaceat, sed instabilis adhuc & tremula subterfugiat. Fictor „ quoque vel lutum, vel ceram non adhuc liquidam, &c.] Et Aristoteles *h* vult, albumen oui, ex quo animal gignitur, seminalique, „ corpulentiæ proportione respondet, incrassari: [Quamobrem „ cum ad generationem (inquit) animalium concoquitur, crassescit; „ ex hoc enim consistit animal.] Hippocrates autem, *i* [Si genitura „ (inquit) ab vtrisque permanserit in vtero mulieris, primùm qui„ dem simul miscetur, vtpote muliere non quiescente, coaceruatur„ que, ac crassa per calorem euadit.

f 1. Tem. in. cap. 2.

g 2. Tem. cap. 5.

h 3. de gen. an. cap. 2.

i libro de Nat. pue. in initio.

Quid autem Auicennæ *k* in mentem venerit, nescio, vbi adstruit, quòd quàm primùm matrix colligitur super sperma, huius corpulenti ex actione formatiuæ spumescit, &, vt exponere videtur Gentilis, rarefit; quandoquidem si spiritus deserat ambitum, & ad seminis penetralia se contrahat, vt ibi ex pluribus paruis ampullis disruptis

k 3. Can. Fen. 21. tract. 1. cap. 2.

(quæ videtur fuisse Auicennæ mens) vnam, duas, vel tres magnas efficiat, certè materia in se concidens densior est euasura; & si expositus sensus sit, quem intellexerit Auicennas, iam patere potest, quanta cum ratione Iacobus de Partibus l illius litteram perperam intellectam (vt apparet) sequutus, senserit ex agitatione, quam muliebre sperma in virile facit, spumam, qua ambo circundentur, enasci. Quamuis hoc Viri celebris commentum in se etiam apertè irrationabile sit: Nam si fœminea genitura agere censeatur in virilem ad spumam efficiendam, vt ille, qui

„ In mare purpureum violentior influit amnis.

fabella prorsus ridicula confingitur. Si vt res, quæ ob feruentem suũ calorem ebullitionis causa sit, hoc quoque est à consentaneo remotum, existente virili semine, cęteris circumscriptis, longè calidiore, & maioris actiuitatis. Dinus m istis omnibus longè peior, & cum eo Thomas de Garbo, n dum spumam & rarefactionem ex digestione materiei fieri posse putant, haud animaduertentes, calorem viuentis, vel si ad igneam naturam conuertatur, vix per ebullitionem, aut ne vix quidem spumam in humoribus excitare, tantumque abesse, vt hoc præstet, si intra propriæ temperiei limites persistat, vt potius coquendo sensim & blandè agat, semperque cogat & incrasset, quę fuerint homogenea.

Subdunt quidem ipsi nonnulla, ex quibus eiusmodi assertio in proposito modificari valeat, & quadantenus trahi ad tolerabilem sensum. Verùm, vt mea fert opinio, haud sufficienter corrigunt; cuius rei iudicium sit apud alios, quandoquidem isthęc in pręsens pluribus disquirere non est opportunum, sufficiet breuiter monuisse, sermonem esse valde improprium, si excauationes in materia seminali, à formatrice per spiritus factę, spumę nomine significentur, vel spumeæ appellentur intumescentiæ. Quamquam hęc fortasse barbaris condonanda; sed certè condonari nequit, quod vidit Thomas de Garbo, o nec bene soluere potuit, scilicet actionem hanc, quæ statuitur prima in semine facta, tribui formatiuæ, cuius operationibus vtcumque immutatiuę actio debet pręcessisse, vel ex probato à se axiomate, p [quòd quando aliquæ virtutes in eodem subiecto existentes, siue in subiectis diuersis, debent in actum prorumpere, oportet quòd in ipsum prorumpant secundum naturalem ordinem.] Sed ad rem.

Postquam igitur semen corpus statuitur similare, si pars illa, quæ in spiritum vertenda est, eiusdem naturæ & temperamenti cum reliqua concedatur, vt omnino necesse est, quippe quæ ex sanguine

l Sup. Auic. loc. ci.

m Super Auic. loco iam cit. Vide etiã in eo. lib. de Natu. fœt.

n Super Auic. lo. co cit.

o Loc. cit.

p vide etiã Dinum in com. lib. de Nat. fœt.

per coctionem atque assimilationem à testibus conficiatur, euitare eandem incrassationis alterationem non poterit. Ad finalem causam si recurrant, fuga est inanis, quando possumus absque hoc excogitato fine melioribus (vt mox apparebit) principijs saluare generationem animalis ex semine.

q In opusc. quod Nat. spir. &c. Lego apud Altimarum, q nec sanè sine multa admiratione, spiritum ex corpulentia seminali genitum apud Galenum haberi 14. de vsu par. cap. 9. & 10. nec non aduersus Lycum, cap. 7. Verùm studiosi Galenum adeant, atque in fonte videant, vt discant, quanti referat, circa Hippocratis, Aristotelis, Galeni, & similium sententias allegationibus fidem dare. Scribit 9. capit. 14. de Vsu par. semen corpus esse spirituosum ac spumosum, nec non spiritu vitali refertum, & nihil aliud. Sequenti cap. 10. asserit, ex arteria & vena concurrentibus spiritum vitalem & sanguinem in plexibus permisceri, in quibus primò diutissimè, mox etiam in testibus excoquatur. Aduersus verò Lycum hoc tantùm habet, semen ex serosa humiditate & spiritu, qui in ea est, constare; innatum calidum ex semine & sanguine prouenire. Suntnè modò enunciata hæc illius sensus, vt inde valeamus colligere, ex seminali crassamento nouum spiritum generari?

Ad reliquas difficultates quod attinet, quibus dogma vrgetur à Recentioribus, & claris quibusdam alijs Viris receptum, vlteriùs cõsidero, seminis corpulentiam ab istis ex se frigidam censeri, qualem r 14. Probl. 33. video aliquando à Philosopho etiam r iudicatam fuisse, ac præterea viscidam & crassam; ex quo generationi spirituum minùs videtur accommodata, vtpote quæ efficaciorem transmutationem expostulet quàm materia, ex qua priores geniti sunt. At vbi plexus? Vbi membrum princeps? Vbi calidum vehemens, quale cordis? Vnde tantùm caloris concipiet, vt possit in spiritum permutari? Solos video spiritus, quos esse tanti, vt nouos ex materia suapte natura ineptа generent, incredibile est, quando eorum caliditas non adeo est intensa, vt ab insita cordis non longissimè distet, ideoque imbecillior sit, quàm vt tantùm actualis calidi imprimere valeat, quantum cor; „ [cum spiritus habeat caliditatem maximè in actu (dicebat Genti- f Pr. pr. Dot. 6. 44. „ lis) oportet ipsum generationem habere in membro, quod est „ maximè calidum, vt cor.] Rationabile autem esse, spiritum in se consideratum, omnium, quæ in animalis corpore sunt, caliditatem actualem maximam obtinuisse, ex eo deducere licet, quòd eius substantia elementorum calidissimo quàm simillima sit, nimirum quia mobilis, rara, cita, & leuis. Quò autem magis aliquid ad primi naturam accedit, eò plus de illo participat.

Quod

Quod si obijcias, cordis substantiam spiritibus persentiri calidiorem; scire oportet, actionem vehementiorem non propter maiorem copiam graduum formæ, sed ex conditione subiecti, in quo forma ipsa multiplicatur, procedere. Spirituum ergo seminalium caliditas, ex crassamenti potissimùm permixtione refracta, ad nouos generandos spiritus, prioribus æquiualentes & similes, non sufficiet; quippe quæ nec rarefacere valeat, & attenuare, neque tantam caliditatem inducere, quantam conditio spiritus videtur expostulare. Mitto, Galenum nunquam magis minusque subtile aut tenue in crassamento seminali aduertisse, nisi vbi plus vna in parte serosi, in alia minus. At serosiorem humiditatem in fętus inuolucra absumi censuit, t non in spiritus. t 1. de sem. cap. 10.

Cæterùm, data etiam aduersarijs omni potestate fingendi, certè in seminis corpulentia, quæ ablatis spiritibus, aquea conspicitur, illam aeris præualentiam, quam dispositio ad spiritus substantiam exigit, non reperient; & tenue illud corpus, quod ampullas spumeas integri seminis replere dictitant, spiritus est, u qui horum iudicio, debet ex repassione dissolui. Exhalet autem vt vis corpulentia seminalis, quo pacto extra ipsam vertetur exhalatio in spiritum? aut qua noua mixtione protrudetur ad intima seminis, in quo fingitur remanere implantata? Dicant, amabo; spiritus, qui cum serosa humiditate in testibus confunduntur & permiscentur, ita ne per ipsam sunt distributi, vt minima quæque crassamenti pars (quod voluisse videtur Galenus x) ab eorum tangatur portiuncula? an commixtio pinguior est, & minùs exacta? Si primum dixerint, omnino consequitur, in qualibet vel minima crassamenti portiuncula partem esse crassam & tenuem: Si malint, confusionem hanc esse iuxta positionem partium substantię spiritalis & crassamenti, quę non sint ad minimas redactę, subtilioremq; hanc humiditatis portionem, ex qua noui spiritus procreantur, ab omni minima particula sanguinis & seminis non separari, sed à certa quadam portione, quę, g. e magis ad aeream naturam vergat. Tunc requiram, quo modo, aut quo miscente hęc postea, vt nuper considerabam, solidioribus pro necessitate vsus perfectè misceatur? cùm neque plexus adsint, neque valida membri principis coctio, quinimo fatiscentibus prioribus spiritibus, atque ex repassione eneruatis & dissolutis, eorumque caliditate minùs viuida & efficaci reddita?

u Ex c. 8. 1. de sem.

x 1. de sem. cap. 5.

Si assererent, ante inceptam organorum fabricationem nouos hos spiritus generari, & iam dictis considerationibus non obstantibus adhuc sententiam retinendo, contenderent, eos ab anima seminis

corpulentiæ permisceri: instari subitò posset, & quæri, Cur hi quoque non operentur ad formationem, potissimùm cùm habeant formandi vim, sicuti ex regeneratis spermaticis partibus in pueris perspicuè patet? Et si dicerent, non regulari ab anima, quæ tunc formationem molitur: interrogarem, à qua regulentur, cùm omnino eos ab anima aliqua regulari necesse sit? Non certè ab ea, quæ de nouo gignitur: Nam hæc, ex eorum sensu, non existit, nisi organis fabricatis: consequens igitur foret, seminis animam horum præesse gubernationi, præsertim cùm postulet ratio, nouos spiritus, qui cum veteribus specie ijdem, & per assimilationem geniti supponuntur, cum istis confusum iri. Quomodo igitur eadem anima, quæ hos genuit, genitos non moderatur & tractat? si conspicerent sanguinem alium sanguinem de nouo producere, nonnè crederent, hanc transmutationem factam per assimilationem? Nonnè dicerent, prioris sanguinis temperamentum & naturam ad nuperum propagari & extendi? Et si humor esset animatus, nonnè concederent, eandem animam vtrũque succum regere & informare? Meminerint, se dixisse, ex vnione & continuatione seminalium spirituum cum innato testium euenire, vt & testes, & totum corpus generantis semen, & cùm his spiritus in semine contentus, ab vnica anima informentur & perficiantur. Existimant nouos hos spiritus, secundum Galenicorum opinionem, stare pro nobilissima parte fœtus, quasi horum conditio sit & officium, esse nobiles citra animam, cætera otiosos, nisi quantum materiali dispositioni sunt vsui. Sed quo tandem fundamento placita ista firmentur, haud satis perspicio.

Meliùs hac in parte Auicennas*, qui spiritum ex semine genitum facere ad membrorum generationem non est inficiatus.

*y 9. de an. an. cap. 4.

IOANNIS HIERONYMI BRONZERII

DE PRINCIPIO EFFECTIVO SEMINI INSITO,

SECTIO SECVNDA.

Ex tradita ab Aristotele communi animæ definitione, quid ipse de seminis animatione senserit, inuestigatur.

CAP. I.

Firmatis hactenus ijs, quæ ad materiæ pertinent apparatum, succedit, vt perquiratur, an semini anima insit, quæ vè, & quo modo. Cùm itaque operationes à forma prodeant, illiusque in supposito operante præsentiam attestentur, † nemo est, qui earum fide, semen, quantumvis excrementum, futuræque animationis subiectum, animatum esse non fateatur: Quinimo, cùm præter modum admirabiles conspiciãtur, summaque ratione dispositæ, suspicionem inducunt, semen nedum anima præditum esse, sed formarum etiam supremam, eminentissima atque imperscrutabili sapiẽtia gaudentẽ cõtinere. Verũ sicuti ex his, an habeat semen animam, non est dubium: ita de modo animationis, & qua animæ differentia donetur, inquirere difficillimũ semper fuit. Cùm igitur mihi proposuerim, in hoc negotio seriò atque accuratè versari, ab instituto sub initium patefacto non recedam: & quia grauissimos Philosophorum consulere constanter decreui, duos seligam, Aristotelem & Galenum, quos non solùm eruditione cæteros antecellere, sed ab ipsa experientia oculatissimos factos, iam pridem didici.

† tex. 2. de ani. tex. 5.

Itaque imprimis, vt de modo, quo semini anima competat, actu ne, an potentia, certior fiam, ab ipsius animæ auspicabor definitione, atque ex hac, si fieri poterit, vt Philosophi mentem introspiciam, ope-

ram

a 2. de Animab. in. ram dabo. Is igitur quid anima sit inuestigaturus, a primùm accipit vnum ex decem primis entium generibus, esse substantiam, quam statim in materiam, formam, & compositum diuidit. Formam dicit actum, cuius duas facit differentias, primum scilicet, & secundum. Mox substantias maximè videri corpora asserit, atque ea naturalia, quæ in viuentia partitur, & non viuentia: Viuentia illa esse decernit, quæ aluntur, augentur & minuuntur. Inde colligit, tale corpus esse substantiam, eamque compositam. Ex quo deinceps deducit, animam non esse corpus, quod viuit, quandoquidem corporis non sit in subiecto esse, sed potiùs vt subiectum & materiam se habere: Idcirco infert, animam esse substantiam, vt forma corporis naturalis, potentiâ vitam habentis. Et quoniam substantia, formaue actus est, sequitur, animam formam talis esse corporis actum, eumque primũ; Nam eatenus operationes exercentur, quatenus anima inest: Quapropter Anima actus erit primus corporis physici, potentia vitam habentis. Hoc autem cum sit instrumentarium, vt integra & explicata animæ definitio teneatur, quam & omni animæ communissimã

„ dicit, tandem concludit: [Si autem quid commune circa omnem
„ animam oportet dicere, esset actus primus, Grecè πρώτη ἐντελέχεια,
„ corporis physici instrumentarij.]

Hanc autem definitionem, si lubet, vt ad rem facit, attentè considerare, primùm obseruare opus est, quòd tametsi à plerisque, propter partem animæ intellectiuam abstractam, analoga censeatur, atque ab vno, nihilominus in eo conueniunt omnes, quòd de informante anima, ex materiæ potentia elicita, vniuocè prædicetur.

Post hæc genus, quod est ἐντελέχεια, venit examinandum. Nomen igitur hoc nouum esse, & ab Aristotele primùm excogitatum, quandamque continuatam motionem ac perennem significare, notauit b 1. Tusc. Cicero, b ex eo deceptus, quòd (vt rectè Franc. Vicom. egregiè doctus, atque vtilissimus Aristotelis Cõmentator, obseruat c) ἐνδελέχεια c 3. Phys. com. Tex. 3. cum δ, [perẽnitatem;] ἐντελέχεια verò cum τ, [perfectionẽ] significet. Tametsi Lucianus aliquando scripserit, d literam τ, locum δ occupauisse, hancque introduxerit ęgrè ferentem, quòd illa suam sibi d In Dia. eui Tit. vocalium Iudicium. sustulerit ἐνδελέχειαν, & ἐντελέχειαν contra leges omnes voluerit pronunciari. Ego Vicomercato libenter subscribo, quando eiusmodi duo nomina, licet per δ, semper voce proferri debeant, scribendo tamen ex varia compositione, varia sortiuntur significata. Quippe ἐντελέχεια cum τ, componitur ex ἐν, præpositione, quæ [In,] Latinè dicitur; τέλος, [finis, perfectio, complementum;] & ἔχω, quod propriè [habeo] importare videtur, vel [Cõtineo], quasi, si dici Latinè pos

ſet, quod habet, vel in ſe continet perfectionem. Vnde non deſunt, qui vt vnico verbo habitum perfectionis ſignificent, Latinè Perfecti habiam, ficto vocabulo vertant, inter quos Hermolaus Barbarus, *e* elegantiſſimus interpres Themiſtij. Simplicius, *f* eius, quod perfectum eſt, poſſeſſionē, intelligit, Græcè, τὸ τοῦ ἐντελοῦς ἔχειν. Ioan. Grammaticus *g* dicit, componi ab ἓν, quod eſt [Vnum,] & τέλειον, [perfectum,] & συνέχειν, [continere.] ideſt, quod vnũ perfectum contineat. At ἐνδελέχεια cũ δ, ab ἔχω eſt, & ἐνδελεχὴς quā voce [perēnis & cōtinuata motio] ſignificatur. Scio, Iulium Cęſarem Scaligerum, *h* Gręcè ſcientiſsimum, ἐντελέχειαν ex τέλος & ἔχειν, quod [poſſe] ſignificat, compoſuiſſe, nec non alia de iſtius vocis ſignificatione ſcripſiſſe, quæ huc non ſunt transferenda, alij apud ipſum videre poterunt; & apud recentiores Peripateticos. Nunc quod magis probabile credidi, in medium protuli, ex quo in propatulo eſt, quantum hallucinatus fuerit Hieronymus Fracaſtorius, *i* vbi dicit Ariſtotelem, nomine ἐντελεχείας tam formandi actum, quàm agitationem ab anima prodeuntem ſignificare voluiſse. Vertenda igitur eſt ἐντελέχεια, [perfectio,] vel [actus,] vt cõmuniter dicitur, quamquā etiā pro ἐνέργεια, quæ eſt [actio,] ſoleat vſurpari, verùm tunc additur ſecunda, *k* ad primæ diſtinctionem, quæ formam, & propriè perfectionem importat.

e *ca. de ani. cap. 1*
f *3. Phyſ. com. tex. 6*
g *2. d ani. cō. tex. 1.*
h *Exer. 307. cont. Card. ca. 12.*
i *In Frac. vel de an.*
k *Vid. Alex 2. de ani. ca. 3.*

Sed & aliam huius nominis faciunt ſignificationem, quam in præſentia notare pro ijs, quæ mox determinabuntur, non eſt ab re; accommodatur enim ad id etiam, quod, cum poteſtate aliquid ſit, ad illud gliſcit & pergit, vt perfectio illa ἐντελέχεια ſit, quia ſi nõ ſimpliciter perfectio, via eſt tamen ad perfectionem, atque inchoata perfectio. Id verò, quod pergit, quatenus pergit, δυνάμει eſſe, hoc eſt, poteſtate dicitur, etſi actu aliud quippiam ſit. Porrò autem cum motus imperfecta ſit ἐντελέχεια, & medium quid inter primum actum & ſecundum, inde inquiunt, ſcire licet, ἐντελέχειαν propriè id non auferre, cuius eſt ἐντελέχεια, immò verò perficere; motum autem, cùm eius, quod poteſtate eſt, ſit ἐντελέχεια, ipſum tollere, ſiquidem poteſtatem deſtruit: cũ autem minus propriè motus ἐντελέχεια, & perfectio nuncupetur, idcirco (vt notauit Simon Portius *l*) bene adijcitur, entis in potentia. Atque hæc de genere propoſitæ definitionis dicta ſint ſatis. Nunc quod differentiæ loco ſubiungitur excutiendum.

l *Libello de Hum. men. ca. 1.*

Primum igitur conſtat, eam eſſe eſſentialem affinitatem & nexum inter materialem formam & materiam, vt nullatenus vna abſque altera aut ſtare poſsit, aut intelligi. Quapropter meritò Platonem repre-

m 1. Phys. Tex. 19. reprehēdebat Philosophus, m qui formas materiales abiūctas posuiſſet, quas neque ratione à materia abſtrahere, vt Mathematicas, poſſibile eſt, ſiquidem bene poſſumus Mathematicas ſine ſubiecto ſibi corpore, aut motu definire, ſed naturales nequaquam, iſtæ enim vt naſus ſimus, non vt curuum. Vnde Alexander n perpensè in propoſito ſcripſit: [Videtur enim & in ratione materialis formæ materiā aſſumi, in qua eſt: cuilibet enim rei materiali ſecundum formā eſt ratio; Nam ſecundum hanc ipſi eſt quod quid erat eſſe. Atqui & de ipſa materia neceſſe eſt meminiſſe, etenim carnis, & oſſis, quin & manus, & faciei rationes huiuſmodi. Animā quoque definientes, quæ eſt forma materialis, in eius definitione, & id cuius eſt, aſſumimus: hoc enim ſignificatur à corpore phyſico, organico. &c. [Et alibi o] Talis enim eſt ἐντελέχεια & perfectio, quæ abſque eo, cuius eſt, eſſe non poteſt: quemadmodum neque terminus abſque eo, cuius eſt terminus.] Ex his aperta ratio eſt, cur ſubiectum animæ corpus in eius definitione accipiendum ſit: tale autem eſt organicum, vel inſtrumentarium.

n 1. Nat. q. cap. vlt.

o 1. de an. cap. 4.

p 1. de Hi anim. ab initio. Porrò inſtrumenta viuentium voluit eſſe Ariſtoteles, p quæ membra appellantur, & ex partibus diſtinctæ naturæ conſlantur ad proprias quaſdam operationes ordinata, ſicuti caput, manus, &c. [Quo in genere (inquit) partium ſunt, quæ non modò partes, verùm etiam membra appellantur; habent tamen intra ſe partes diuerſas, ſuique generis opificia, vt caput, vt pes, vt manus, vt totum brachium, aut pectus, quippe quæ & ipſa partes ſint totæ, & ex partibus conſtent diuerſis.] Nota modò, quia inſtrumentalis pars debet totius integritate claudi, terminari, circumſcribi, nimirum quia oportet eam totum eſſe quodpiam, figura, compoſitione, ſitu, numero, magnitudine, vnum diſtinctum, atque ad proprium aliquod officium deputatum, quemadmodum exempla, vbi animam definiuit, adducta, capitis, manus, & ſimilium, apertiſſimè patefaciunt.

De hac organicarum circumſcriptione Galenus quoque id, quod Ariſtoteles cenſuit, probaſſe viſus eſt, quando ſcripſit ad verbum: [q Quemadmodum animal quoduis vnum eſſe dicitur, propterea quòd apparet per quandam circumſcriptionem propriam, nulla ex parte alijs coniunctum; ita & ipſius particula (cuiuſmodi eſt oculus, lingua, naſus, cerebrum) vna eſſe dicitur, eo quòd apparet circumſcriptionem propriam habere. Si verò non eſſet quadantenus coniuncta proximis, ſed omnino diſiuncta, tunc vtique nec particula eſſet omnino, ſed ſimpliciter vnum.] De opificio autē organicis proprio alio loco r [Inſtrumentum verò (inquit) appello

q 1. de vſu par. ca 1.

r 1. Meth. cap. 6.

„ pello animalis partem, quæ perfectam edere actionem possit, veluti oculus visionem, & lingua loquelam, & crura itionem. Ad eũdem modum & arteria, & vena, & neruus, tum instrumenta, tum partes animalis sunt, pro hoc namque nominum vsu non à nobis modò, sed etiam veteribus definito, oculus quidẽ & pars animalis, & particula, & instrumentum vocabitur: cornea verò tunica particula quidem, & pars, non autem instrumentũ. Simili modo & quę Rhagoeides, & quę Arachnoeides, & quæ Amphiblestroeides Gręcè dicuntur; quippe quarũ singulæ primùm quidẽ ac maximè oculi particulę sunt, & quia is etiam faciei pars est, itidem & illę faciei sunt partes: sed secunda quadam ratione; ita verò & totius corporis partes sunt propterea, quòd facies ipsa totius corporis est particula. &c.] Esse autem propriam organi actionem à similaris partis actione contradistinctam, quæ non vt illa, à sola temperie, sed ab instrumentali constitutione, toto suo esse, qua organica est, operante perficitur, vt visio, apprehensio, & similes, euidentiùs est, quã vt aliqua indigeat probatione.

Sed hoc loco maximè expedit adnotare, Aristotelem considerasse animam vt totum quoddam, eamque ad corpus vniuersum, quod animæ organum dicebat Galenus, *t* tanquam ad subiectum adęquatũ retulisse, alioquin foret necesse quamlibet animatam particulam esse instrumentariam. Et huc fortasse etiam ipse aliquando respexit Philosophus, vbi asseruit, *t* totum corpus animæ gratia conditum, membra autem ad officia; idcirco cũ in definitione dicit [corpus organicum,] oportet vniuersum corpus intelligere, varijs pręditum membris: vel, vt ait Albertus, *u* ex organis figura, & situ differentibus compositum, cuius esse à forma per totam materiam diffusa prouenіat, atque vno verbo, qualequod communiter organizatum vocamus. Nam licet anima vna sit, atque simplex secundum substantiã, plurificata tamen est secundum virtutes; quapropter corpus requirit varijs organis instructum, non simplex, quale spiritus, quem aliquando Philosophus *x* commune animæ instrumentum appellat. Atque huc usque circa animę definitionem, ab Aristotele traditam, isthæc omnia disseruisse sufficiet, quæ etsi magis sobriè pro præsenti argumento poterant pertractari, quia tamen ad sequentia alia non sunt parui vsus, fusiore discursu libuit enucleare.

t 1. de Vsu par. ca. 2.

t 1 de par. ani cap. 5.

u 2. de an. tract. 1. c. 3.

x 5. de gē. ani. in fin.

Colligamus igitur, quòd cùm ex determinatis nequeat anima, nisi sui perfectibilis esse perfectio, idque corpus sit pluribus organis præditum, distinctum, atque compositum, quod causa est, ut anima subsistat, & formæ rationem habeat; certo certiùs remanet, neque

Q spiri-

spiritus actu animatos esse, quos tanquam ex triplici genere conflatos, dissimilares, ideoque animę capaces, iudicant Neoterici: neque semen, quod expressè non organicum, licet quatuor humores contineat, posuerunt, in hoc parum fortasse cautè sibi ipsis obiectionē fabricantes. Illud quoque esse vehementer absurdum apparet, quod
„ subiũgũt, [Nõ esse necessariã organizationē pro animę existētia;
„ etsi definitur anima actus corporis organici, definitur anima prout
„ est in sua existentia perfecta.]

Sed in quo, amabo, eiusmodi imperfecta existentia consistit? estnè incompleta anima? adhuc in fieri? subiectum fortasse spiritum non perficit substantialiter? Vno verbo, quid in ea, ne sit ἐντελέχεια, desideratur? Nihil horum, ni ego fallor, ex eorum sensu. Animæ essentiam dicunt semini inesse, sed non secundum perfectum essendi modum, ex hoc videntur imperfectionem seminalis animationis, ne semen animal dicatur, & sit, non ad incompletam formę atque animę essentiam referre, sed ad imperfectum illius essendi modum. Neque in quo consistat modus hic imperfectus reticuerunt, quia scilicet nequeat anima omnes sibi proprias operationes obire. At potentia agēdi, si non sit anima ipsa, ab illius saltem procedit essentia: si ergo fuerit secũdũ essentiã vel in suo esse perfecta; perfectè vtiq; agere poterit quodcũq; agere nata est. Cur non agit? Respondent, quia non habet organa, in quorum defectu tandem modum animæ essendi imperfectum reposuerunt. Falluntur, mihi credant: Non indiget organis seminalis anima, quam excogitant. Videtur Paradoxum, sed re vera est enunciatum maximè rationi consonum: Quis enim fuerit, qui profiteatur, animam expostulare organa, quibus nunquam vsura est, immò quibus genitis ipsa statim debeat aboleri?
y 4 de ge. ani. ca. 1. Quis ab Aristotele recedat docente, y Naturam simul & facultatem, & instrumentum cuilibet dare? per instrumentum, vel propria Recentiorum confessione, intelligendo quod verè dicitur organum, & est pars corporis peculiaris, quam & à spiritu contradistinguunt. Quando forma, vt forma, & secundum suum esse formale, completa est, subiecto suo perfectè potitur, est enim hic effectus & conditio connexionis essentialis formæ cum materia. At cum forma perfectè potitur subiecto hoc, necessariò omnes habet dispositiones ad talem formam requisitas, ita vt nulla alia transmutatione indigeat, pro adipiscenda forma omnibus numeris absoluta, nisi forsan quod
z 2. de ge. ani. ca. 1. & lib. 3. cap. 9. gignitur, ex eorum ordine sit, quæ tertia, ex Aristotele, z mutatione perfectionem attingunt. Atque hæc puto apud Peripateticos, vacare contradictione.

Iam

Iam verò cum omnes diſpoſitiones ſubiectum obtinet, ex harum defectu formæ operationes non ſupprimuntur. Si ergo anima ſecundum eſſentiam in ſemine non organizato completa eſt, à primo ad vltimum, organis ad operandum non indiget. Velint igitur nolint, fatebuntur, vel animam, ſi organa, vt operetur, expoſtulat, quia ſubiectum requiſitis diſpoſitionibus deſtituitur, eo imperfectè potiri, adeoque imperfectam eſse ſecundum eſsentiam, ſubiectumque ipſum adhuc manere ſub termino à quo; & conſequenter eſſe ad animam in potentia. Si materia, vt Platonici aſſerebant, ſimplex formarum receptaculum, vel vehiculum eſſet, forſan admitti poſſet, animam integra eſſentia in ſeminibus contineri, ſed arctiori vinculo, & magis neceſsario forma materiæ nectitur, quandoquidem ex ea habet, vt verè ſit talis, qualis eſſe putatur. Inde euenit, vt niſi materia omni apparatu ad vnguem inſtructa ſit, forma in ipſa completa ſecundum eſſentiam nequeat reperiri: inde neceſsariò in definitione animæ ipſi deſtinatum corpus organicum aſſumptũ fuit, vt pro differentia poſitum, formæ vim ac rationem intimè patefaceret. Quòd ſi malint animam, quæ in ſemine habetur, ſecundum ſuam eſſentiam eſſe perfectam, hanc etiam ſubiecto, in quo nullæ deſiderentur diſpoſitiones, perfectè potiri, negare non poterunt: Inde poſſe operari, quod agere nata eſt: Inde ſemen, vel eius ſpiritum (quod ipſis non probatur) eſſe animal, atque illud perfectum & abſolutum, quippe cuius anima aliam ſibi ſimilem animam, ſimileſque ſuis ſpi-
„ ritibus ex ſeminali corpulentia gignat; [ſibi enim ſimile gene-
„ rare, (ex Ariſtotele a) cuiuſque perfecti tum animalis, tum ſtirpis
„ ſecundum naturam officium eſt.] a 2. de Gr. ani. cap. 1.

Et vt breuibus rem complectar, cum dicunt, in ſemine ſtare animã imperfectè, imperfectio hæc vel ipſam reſpicit animæ eſſentiam, vel operationes: Si eſſentiam, ſemen adhuc ad ſuam animam eſt in potentia: Si operationes, quando anima (vt decernit Philoſophus b) non ſolùm eſt corporis, ſed huiuſmodi etiam corporis forma, organa vtique non expoſtulat. Sed quorſum hæc? vbi profitentur, ſe ijs non eſse contrarios, qui negant animam alterius corporis perfectionem eſse poſſe, præterquam organici; nimirum quia illi de animatis actu, animaque actu loquuntur; ipſorum autem de animato potentia, animaque potentia ſermo eſt? Modò iterum ſciſcitabor, an potentia iſta, ad conciliandum inuecta, reſpondeat primo actui, de quo illi intelligunt, vel ſecundo? Si primo, quomodo animæ eſſentia in ſemine reperitur; ſi ſecundo, quemadmodum ex ipſorum Recentiorum diſputatione non vno in loco mihi videor poſſe colli- b 2. de an. tex. 26.

gere, scilicet in hoc Leoniceni recepta & defensa sentẽtia, quis modus iste dicendi est inuolutus, ne dicam captiosus, quando potentia hęc primum actum, de quo alij enunciant, non abijcit, vt neque Geometræ somnus (quod ab ipsis in proposito probatur exemplum) scientiæ habitum excludit, per quem est Geometra? Video ego Simpli-
c 3. Phys. com. 6. cium c determinantem, vnumquodque tunc haberi in sua perfectione, cùm eas edit operationes, quæ sunt secundum naturam; sed primùm obire operationes, ad perfectionem non conducit, vt causa perfectionis, quia scilicet operari aliquid essentiale adijciat perfectioni, sub qua id quiescit subiectum, quod ad ipsam fuerat in potentia; sed quia denotat & significat, supposito operanti exactam perfectionem adesse. Deinde ex antea discussis iure negare possum, alias animæ seminali (si modò est viuentis ἐντελέχεια prima) operationes, præter illas, quas in semine efficit, conuenire.

Sed demus, hanc desiderare organa, quæ tractare apta sit, atque organicas operationes proferre; concedatur, quod dicunt, & verissimum est, rerum dari definitiones in suo esse perfecto: Peto, quid est perfectum in suo esse? Certè id, cui nihil deest, vt sit tale, quale esse debet. At deestnè aliquid animæ, vt sit forma & actus? si deest, semen, vel illius spiritus, per animam non est hoc aliquid absolutè. Nõ est ab anima completè formatum, est quoquo pacto ad huc etiam ad animam in potentia. Si animæ, vt sit forma & actus, nihil deest, est vtique in suo esse perfecta; quare huic vel competere cõmunis definitio debet, vel si non competat, manca hæc, & perperam tradita meritò iudicabitur.

Verùm ex Recentiorum malè accepto principio, alia quoque non reticẽda difficultas emergit: etenim si ob connexum essentialem animæ cum suo subiecto, ob quem, vt cæteræ formæ materiales, sine propria materia, neque esse, neq; intelligi potest, istud loco differentiæ in definitione animæ debet assumi, sequitur ex hoc, quod etiã ex
d Sec. 1. 6. 16. in 4 ratione. supra d consideratis colligi potest, neque animam seminis sibi similẽ animam generare, cùm eam, quæ in fœtu est, generat, contra quàm Recentiores expresè professi sint. Nam differentiæ diuersæ, dissimiles & differentes species constituunt: anima autem fętus pro differentia corpus habet organicum, quę verò semini inest, non organicum; hæc corpus tenuissimum & fluxile, illa solidum, stabile, compactum.

At enim si positio hæc de actuali animatione seminis, quam isti nuper defendere voluerunt, obiectiones, vt res ipsa tulit, diluendo, rationesque ingeniosissimè roborando & amplificando, quantum

nemo

nemo hucusque, qui partem hanc sustinendam susceperit, firmare potuit atque enodare; nullatenus principijs Aristotelicis potest respondere, satiùs profectò fuerit, in Peripato concludere, animam per modum formæ perficientis, & secundum suam essentiam completam, corpori non organico seminis aut spiritus non inesse. Id quod præcipuos Philosophi expositores sustinuisse demonstrari facilè posset, quorum omnium Alexander, Simplicij confessione *e* germanissimus, de re hac ita scripsit ad verbum: *f* [Semen autem, & fructus, potentia huiusmodi corpus. Maximè demonstrabitur, animam non esse in subiecto per hunc textum: si enim organicum corpus, in quo est anima, ab anima habet esse organicum, nec cum abijt anima, est amplius organicũ, non erit in eo, vt in subiecto: atqui non est in aliquo alio corpore ab hoc, semen enim est potentia animatum, cùm possit fieri huiscemodi corpus, cuius anima est perfectio, & cui esse hoc, quod est ab anima est, &c.] *e* 1. *Phys. com* 8. *f* 2. *Nat. q. cap.* 25.

De causa vniuoca animantium generatrice, Aristotelis & meliorum illius Interpretum opinio, qua præcedentis Capitis firmatur assertio.

CAP. II.

HÆc grauissimus Philosophi interpres, qui haud dubiè potentia solummodò animatum esse semen affirmat, & potentia, quæ actum primum respicit, non secundum. Verùm quando secundus actus necessariò semper à primo emanat, non apparet, qua ratione valeat semen absque anima generationis opus obire. Ad hoc igitur, vt quæ antea in proposito fuere determinata, illustrentur & confirmentur, adnotabo, Aristotelem, † vbi ostendit, quæ oriuntur ex semine, ab vniuoco generari, semen decreuisse idem in potentia esse, quod animal ipsum in actu; atque ab eodem Philosopho, *a* vbi ex professo quærit, à quo partes corporis generentur, sitnè extrinsecus aliquid aut genituræ & semini insitum, quod agit, determinari semini ita vim fuisse impressam à generante, vt illud secretum agere possit, non secus ac αὐτόματα illa, quæ † 7. *Meta. tex.* 30. & 31. *a* 2. *de ge. ani. ca.* 1. & 4.

semel

ſemel à mouēre, primo impetu accepto, certos deinde ex ſe ſe ac determinatos motus perficiunt. Quapropter propoſitum quęſitum
„ reſoluens ad verbum ſcripſit: [Sed ſemen an id, à quo ſemen, dica-
„ mus, nihil refert, quia motum, quem illud mouebat, ſemen in ſe
„ ipſo continet. Fieri autem poteſt, vt hoc ab hoc moueatur, & hoc
„ ab hoc, ſitque perinde quaſi admirabilia illa ſpontina.] Hæc Philoſophus, quibus adſtruit, non animam, ſed motum à generante impreſſum in ſemine contineri, de quo paulò etiam poſteriùs ſcripſit:
„ [Vt igitur in ſpontinis illis quodammodo illud mouet, quod ni-
„ hil nunc tangit, ſed ante tetigit: ſic id, à quo ſemen, aut quod ſe-
„ men effecit, mouet, cum aliquid tetigerit, quanquam non adhuc
„ tangit, & motus, qui ineſt, quodā efficit modo, vt ędificatio ædes:
„ igitur aliquid eſse, quod efficiat, ſed non ita, vt hoc quicquam,
„ nec perfectum ineſse primum agens, apertum iam eſt.] Et paucis
„ interpoſitis: [At ratio, qua iam caro aut os eſt, non poteſt, ſed à
„ motu proficiſcente efficitur ab eo, quod genuit, quodque actu eſt
„ id, quod potentia eſt id, ex quo gignitur; quomodo in ijs quoque
„ agitur quæ arte efficiuntur.] Ariſtoteles hactenus, in cuius ſermone vndequaque conſpicuo, plano, & aperto, notare oportet, quod ait, ſemen non generare, vt hoc aliquid, foret autem hoc aliquid, ſi ad animam quā formatur, haud eſset ampliùs in potentia, ſed ea m
„ completè teneret. Quod verò ſubiungit, [Nec perfectum ineſse
„ primum agens.] Indicat ſimplicem in eo generantis motionem contineri, cùm non ſit mouens primum & perfectum, quemadmodum ex præcedenti ratiocinio & exemplo de ſpontinis euidenter
„ apparet. Verſio textus Sueſſani habet, [Neque ſit vt perfectum
„ primum.] & meo iudicio Græcis verbis magis quadrat, quæ ſunt: ὅτι μὲν οὖν ἐστί τι, ὃ ποιεῖ, οὐχ οὕτως δὲ ὡς τόδε τι, οὐδ' ἐνυπάρχει ὡς τετελεσμένον τὸ πρῶτον, δῆλον. Quæ verbatim Latinè reddita important:
„ [Quod autem igitur eſt aliquid, quod efficit, non ita autem,
„ vt hoc aliquid, neque ineſt veluti perfectum primum, patet.] In his verò expedit animaduertere, verba fieri de cauſa effectrice generationis, & quà talia, conſiderari ſemen, & id, à quo ſemen prodit; nec non illud [primum,] inter duo hęc denotare ordinem, ita ut ſemen ſecundarium, vti dixi, ſubordinatum, atque inſtrumentarium ſtatuatur efficiens; illud autem [perfectum,] naturam completam agentis quà eſt agens, ſignificare, ita ut ſemen incompletum efficiens, atque imperfectum exiſtat.

Ex omnibus igitur antea adductis Philoſophi doctrinis ſatis conſtat, actu ſimile ei, quod ex ſemine gignitur, ſolùm eſse extrinſecus gene-

generans, & semen animā potestate tantùm, actu verò motionem continere, qua agat, longè euidentiùs affirmatur, quàm vt pluribus debeat demonstrari. Istiusmodi autem enunciatum dicebam nonnullis haud satisfacere; sed quia nunc Aristotelis, & meliorum Peripateticorum sententiam nudam & apertam consequi, & patefacere institui, cuius antea b probabilitatem monstrabam, ea censeo esse vlteriùs differenda, quæ obiecta diluere, & præsentem, qua de agitur, valeant responsionem firmare. Pergamus igitur Philosophi mentem, b Sec. 1. c. 15.
„ quantum fieri potest, eruere: [Sed habeatnè semen animam (in-
„ quit c) nec ne, ratio eadem atque de partibus reddenda est. Nec
„ enim anima vlla esse potest in alio, nisi in eo, cuius est. Neque pars c 2. de ge. ani. cap. 1. sup. cit.
„ vlla esse potest, quod particeps animę non est, nisi æquiuocè, vt
„ mortui oculus. Semen igitur & habere animam, & esse potentia,
„ palam est; propiùs autem & remotiùs idem à se ipso potentia es-
„ se potest, vt Geometra dormiens remotiùs, quàm vigilans est, is-
„ que remotiùs, quàm qui iam contemplatur. Sed enim huius nul-
„ la pars causa est generationis, sed quod primum extrinsecus mo-
„ uit, id causa est, nihil enim se ipsum generat. & quæ sequuntur.]
Ex quibus verbis, nisi cauillari quis cupiat, colligere licet, semen absque animæ vi æquiuocè semen esse.

Verùm quoniam solummodo organizato corpore conceptus informatur ab anima, semen procul dubio in potentia ad actum primū & formam tenendum est, quam si actu obtineat, ita ut seminis aliqua portio generationis causa sit, absurdè consequi ait, idem suæ ipsius generationis auctorem esse. Huiusce autem illationis ratio illud, quod antea iecerat, fundamentum supponit cum docuit, d semen appellari quod principium vtrumque continet, materiale scilicet & efficiens; vnde necessariò menstruum & genitura ita simul coeant, misceantur, atque in naturam vnam conspirent, vt vna quadā, quæcumque illa fuerit, communi forma regulentur, haud secus (quod vel ipse dicit Philosophus, & ita à Ioanne Grammatico exponitur e) ac plantarum semen, & eorum animalium, in quibus sexus distinctus non est. Et sanè cùm menstruum eodem, quo genitura, motu, & impressione regatur, maximè consonum est, duo hæc simul iuncta communi forma, vt insititijs arboribus euenit, copulari & moueri. Atque hęc est ratio, ob quā dicit, si seminis aliqua pars causa sit generationis, fore vt idem se ipsum generet. An hoc verè cōsequatur & sibi vndique consētiat Aristoteles, qui alibi opinatus est, f virilem genituram, ne sit pars geniti, abscedere, atque in spiritum dissolui, nunc tēporis non determino. De his opportuniùs in progressu g

d 1. Gen. ani c. 18.

e loco proximè cit.

f 2. de Ge. ani. ca. 3. Vide etiā li. 1 c. 20.

g Infra cap.

Quod

Quod autem ad reliquorum verborum sensum pertinet, modus, quo semen animæ vi præditum sit, facilè ex ipso habetur, *h* qui de partium generatione loquutus dixerit, eas ab eo, quod extrinsecus generat, procreari, quemadmodum artificialia ab artifice instrumentis vtente: deinde dederit differentiam inter instrumenta artificis, & naturaliter generãtis, quia instrumenta artificis si mouẽte destituãtur, nihil agãt; instrumẽta verò naturaliter generãtis plerũq;, ipso etiam recedente aut cessante, vim semel conceptam retineant. Quod vt in semine eueniat, supra oblata occasione, quantum in me fuit, luculenter explicui. *i* Idcirco dicebat Auerroes *K* virtutem, quæ reperitur in semine, agere per calorem, qui est in ipso; non tamen ita, vt sit forma in eo, sicut anima in calore naturali: & animam in semine potẽtia esse, vt in mẽte Architecti domus ædificãda: quasi dicat, animam potiùs in habitu semini insitam, quàm in actu.

h 2. de gen. ani. cap. 1. *i Sec. 3. cap. 15.* *K 7. Met. cõ. 31. & lib. 12. cõ. 18.* *vide etiã ad cap. 3. 2. de gen. ani.*

Albertus verò, vt est in eliciendis Aristotelis sensibus non minùs sincerus, quàm acutus & diligens ita in proposito scripsit: *l* [Semen autem animalium, & fructus plantarum, non sunt huiusmodi corpora organica, nisi in potentia incompleta; & ideo talium non est anima endelechia, neque anima est in eis, nisi sicut artifex in artificiato, quod est in fieri, & non in esse, & hoc non est inesse animam, nisi secundum quid, sicut suprà diximus.]

l 2. de ani. tract. 1. cap. 3.

Et post Albertum S. D. *m* seminis facultatem, à generantis anima deriuatam, vim motiuam, motumuè, & impressionem ipsius primi efficientis externi appellabat, qualis est impetus, quem proiecta aut artificum instrumenta recipiunt & seruant. Tametsi nescio, quomodo paulò posterius determinet, *n* in menstruo ab initio esse animam vegetabilem, non quidem vt est actus secundus, sed vt primus atque omnino ad eum modum, quo sensitiua in dormientibus continetur: parum (ni ego fallor) in hoc sibi constans; vt in eo etiam, quòd aliquando ait, vim seminis actiuam corrumpi, formato fœtu, vt in iam citata q. 118 aliquando verò *o* sustinet remanere vnà cum spiritibus, & formam animalis regitiuam euadere. Scio quid Caietanus dicat *p* de permansione secundum speciem, non autem secundum numerum. Sed vbi forma & motio apud Diuum Thomam etiam genere differunt, nedum specie, se non potest ad hanc distinctionem recipere absque destructione suorum principiorum, & contra hypotheses à se probatas, de quibus non est hic plura dicendi locus. Quicquid autem sit de hoc, satis constat, ipsum nequiuisse aliter rei naturam aperire, quàm fatendo, semen &

m vide in 1. par. su. q. 118. art. 1. in corp. & ad 3. q. 119. art. 2. in corp. & lib. 2. cont. Gẽt. cap. 86. & 89. *n par. 1. q. 118 art. 1. ad 4.* *o q. 3. de pot. art. 9. ad. 16.* *p ad q. 118 iam citatam.*

poten-

potentia esse animatum,& solummodò externi generātis impressionem continere,atque agere vt instrumentum, à primo mouente extrinseco directum & motum,differentiam assignans inter naturalem
,, generationem corporis viuentis,& non viuentis, quòd [non vi-
,, uentia, quæ sunt inferiora naturæ ordine, generant quidem sibi
,, simile, non per aliquod medium, sed per seipsa, sicut ignis per se
,, ipsum generat ignem; sed corpora viuentia,tanquam potentiora,
,, agunt ad generandum sibi simile & sine medio, & per medium:
,, sine medio quidem,in opere nutritionis, in quo caro generat
,, carnem: cum medio verò,in actu generationis,quia ex anima ge-
,, nerantis deriuatur quædam virtus actiua ad ipsum semen anima-
,, lis, vel plantæ,sicut & à principali agente deriuatur quædam vis
,, motiua ad instrumentum. Et sicut non refert dicere, quòd ali-
,, quid moueatur ab instrumento vel principali agente: ita non re-
,, fert dicere,quod anima generati causetur ab anima generantis,
,, vel à virtute deriuata ab ipsa, quæ est in semine.]

Hactenus S.Doctor, cuius doctrina hac in parte tota Aristotelica est, quippe quæ apertissimis verbis ab ipso exprimitur Philosopho
,, 1. de Gen. ani q vbi cùm proposuisset determinandum, [An se- qCap 10.
,, men nihil commune cum corpore habeat,sed motus, visque in
,, eo contenta sit, quæ communicet hæc est enim quæ agat] quæ-
,, sito postmodum satisfaciens,ita scribit ad verbum:[Hinc etiam,
,, quemadmodum mas conferat ad generationem,acceperis. Nec
,, enim mas omnis semen emittit,& quibus emittitur maribus,nul-
,, la pars fœtus hoc est; sicut nec fabro quicquam fecedit ad ligno-
,, rum materiam, neque pars vlla artis fabrilis in eo, quod effici-
,, tur, est, sed forma & species ab illo per motum in materia exi-
,, stit. Atque anima, in qua forma & scientia est mouet manus,
,, aut aliud membrum, motu certæ qualitatis vel diuerso, à quibus
,, efficitur diuersum; vel eodem, à quibus idem: manus autem,in-
,, strumentaque materiam mouent. Ita natura etiam maris semen
,, emittentis vtitur eo semine, quasi instrumento, & actu habente
,, motum, vt in operibus artium instrumenta mouentur, in illis
,, enim quodammodo motio artis est.] Et alibi: [rQuoties enim r 4. de gē. ani. ca. 3.
,, excrementum seminale bene coctum in menstruis est, motus ma-
,, ris agit pro sua forma. Nihil enim refert,genitura dicatur, an
,, motus,id, quod partem corporis vnamquamque augeat. Nec in-
,, terest, augentem motum, an principio instituentem placeat ap-
,, pellare;eadem namque ratio motus est. &c.] In qua oratione apparet, adeo constanter Philosophum censuisse, simplicem motionē

primi generantis externi citra animam in semine contineri, vt enunciare non dubitauerit, nihil referre, genitura dicatur, an motus. Quinimo alibi[r] semen generationem vocauit, quasi illius potentiam non primum, sed secundum omnino actum voluerit importare. Sed de hoc nonnihil etiam posteriùs.

r 1 par. ani.c.1.

,, [Quemadmodum (inquit Alexander) [s] in ijs, quę neruis ac ,, funibus trahuntur, si artifex primò dederit principium motus, ,, hoc id, quod post ipsum est, & illud id, quod est deinceps, mouet, ,, donec motus per omnes peruaserit, nisi quid impedierit, non ex ,, ratione aliqua, & certo quod est ipsis instituto eo, quod præcedit, ,, id mouente, quod sequitur. Ita in semē deiecta natura & pote- ,, stas, quæ fuerit in propria materia, cùm eā sit mouendi potestate ,, prædita, mouet; quemadmodum vni quidem innatum est, vt mo- ,, ueat, alteri verò, vt moueatur. Quæ ex primo autem motu in- ,, est facultas, alium rursus motum mouet, & potest, donec fecerit ,, simile illi, à quo deiectum est: & idem vel forma seu specie, vel ,, genere, quemadmodum in ijs, quæ genita sunt ex dissimilibus ,, animalibus, quales sunt muli &c.]

s Apud Simpl. 2 Phys. cō. 22.

Io.Grā. verò, & ipse Aristotelis Interpres grauissimus, ita de re ,, hac scripsit ad verbum: [t] [Neque enim ex inanimis aliquid po- ,, tentia vitam habet, neque corpus mortuum, neque semen. ne- ,, que etiam in vtero infantulus, si nondum vitæ instrumenta para- ,, ta sint.] Et paulò post: [Verumtamen semen ipsum, vel infantu- ,, lus in vtero non organis perfectè instructus, potentia vitam ha- ,, bere dicetur, habens enim vitam potentia fieri potest.] Et rur- ,, sum: [u] [Quomodo igitur (inquit) hoc ordine constitutionis na- ,, tura vtatur, considerare oportet. Nam postquam semen con- ,, densatum est, illud, quod simul stat, inanimatum quoddam est. ,, Deinde (vt ita dicam) organizatum, primò plantæ simile est, ad ,, huc tamen extra partem sensus. Paulò post autem, cùm proces- ,, serit, & assumpserit sensumque, & tactum, & motum, tunc plan- ,, tanimi simile in principio vtero coniunctum est, vt circumpositis conchis, testisuè, aut lapidibus plantanimes hærent; atque hoc ,, donec partu emittatur in lucem. Tunc igitur in animalia perfecta ,, euadunt, motuque de loco ad locum mouentur, aluntur que pro- ,, prijs instrumentis.]

t 2. de ani. suo com.1.

u 2 de ani. com. suo 8.

Tādé præter hos audiendus etiam Themistius,[x] qui Aristotelem exponens, [Platò (ait) ex his, quæ dicta sunt, liquere arbi- ,, tror, animam neque cadaueris, neque seminis perfectionem esse: ,, alterum, quia desijt viuere: alterum, quia nōdū in vitam prou o-

x In para. 2. de ani. cap 5

tum

" tũ eſt.Itẽ alterũ nõ poteſt amplius vitã habere:alterũ poteſt quidẽ,ſed nõdũ habet:poteſt verò,quia fieri organicũ poteſt,& vitã accipere.Quemadmodũ.n. ferrũ informe rudeq;, poteſtate ſerra eſt, idcirco quia poteſt in formam id genus excudi, nondum tamen eſt ſerra, ſed tunc erit, quando aciem & figuram habilem ad ſecandum acceperit: Ita & genitura ſeminalis potẽtia animal eſt, quia poteſt in organicum corpus exculpi, nondum tamen eſt animal, ſed tum erit, quando per ſe ali, & indoleſcere poterit.]

Contra Leonicenum, ex Themiſtio elicientem, ſemen actu animam continere. Quomodo ſemen motionis impetum recipiat à generante, & ad quam animæ partem motio illa referatur. Obiectionis inſuper ex Ariſtotelica doctrina emergentis reſolutio.

CAP. III.

EX adductis poſtremo loco Themiſtij verbis (niſi me omnia fallunt) clarè conſtat, ſemen potentia, non actu animatum conſtitui, ſiue poſtea hæc de genitura intelligenda ſint, de qua in Latina verſione videntur prolata; ſiue de ſemine ex menſtruo & genitura conflato,quòd Græcus codex (vt animaduertit Leonic. †)habeat σπέρμα; ſiue de mẽſtruo tantùm vt idẽ Leoni.ab Auer. a forſitã excitatus, autumat, nihil refert,quando etiam menſtruum(vt videbimus)ſemen ab Ariſtotele b nuncupatur,atque animæ vi, licet imperfectiore, non ſecus ac genitura donatum ſupponitur: Et præterea quoniam tam menſtruum,quàm genitura, corpora ſunt minimè organica, nec qualia hæc noſtra ſunt corpora; vt pleriſque ex antedictis Philoſophi expoſitoribus placet, potentia nimirum actum non excludente vitam habentia; vt proinde eadẽ vtriuſque conditio & ratio cenſenda ſit, quòd videlicet ſint animata potentia, quæ non ſecundum, ſed primum, quem abijcit, actum reſpiciat: ſiquidem eatenus ſemen poteſtate dicitur animatum,quatenus in corpus organicum valet effingi. Aliter ſermo anceps eſſet,& deceptorius. Quod non obſeruans Leonicenus diſtortè nimis Ariſtotelem,atque illius expoſitores videtur intellexiſſe. Locus autem,

† Suo lib. de form. a 2. de an. com. 10. b 1. de ge. ani. ca. 2. 19 & 20. & lib. 2. cap. 3. & lib. 4. c. 4. & 5.

Themiſtij, quem pro ſe adducit, vt ex eo demonſtret, vel etiam grauiſſimi huius Interpretis teſtimonio, ſemini actu animam ineſſe, eamque completam, & ex ſe operari potentem haud difficiles explicatus habet. Vbi ſcilicet Timęum & Pythagorǫos reprehendens, qui quemadmodum diſpoſitum eſſe debeat corpus informãdum ab anima, quamque ipſa cum illo habeat cognationem, declarare neglexerint, tandem ita ſcribit ad verbum: c [Iam ſi artium ea eſſet natura, vt in ſuis inſtrumentis habitare, atque in ea ingredi ſua ſponte poſſent, vtique tibicinium in tibias, non in lyram intraret; lyricinium in lyram, non in tibias tranſiret. Igitur & animas in ſuum aliquod ac proprium corpus (ſi ſuum animę inſtrumentum eſt corpus) diuertere oportebit. Dixi diuertere, immò non diuertit, ſed fabricatur, architectaturque cõueniens ſibi accõmodatũque inſtrumẽtũ: Deformat ipſa ſibi & pręparat domiciliũ, nõ efformatũ antè & pręparatũ demũ ſubit. Nõ.n. quẽadmodũ cithara dedolatur priùs & cõditur, tũ demũ adhibetur ad Muſicã, ita & corpus ornatur antè, inſtruiturq; mox animæ ſumendũ offertur. Quale igitur ſingulis animis corpus, inſtrumentumque conueniret: Item qua ratione anima illud ſibi confingeret, neglectum à Timęo penitùs, & retrò habitum videtur.]

c 1. 8 ani. cap. 12.

Hinc, vt Leonicenus putat, videtur poſſe colligi, Themiſtium ſenſiſſe, in ſemine reperiri animam, quę corpus organicum ſibi fabricat. Verùm vt ego quoque id abſolutè non inficior, ita de modo, quo ex Themiſtio hæc ſemini anima inſit, ab eo, & alijs compluribus (inter quos Fernelius d) ipſi hoc tribuentibus, longè diſſentio; quandoquidem in propatulo ſit, eo loci Themiſtium ex aduerſariorum conceſſis argumentari, præcipuè vbi Pythagorǫorũ μετεμψύχωσιν reprobaturus pro inconuenienti accipit, elephantis animam in culicis, aut formicæ corpus migrare. Et quamuis ſubiungat, id eò magis abſurdum videri, quòd nulli dubium ſit, animam ſibi potiùs corpus formare, quàm in ipſum diuertere; non tamen ſtatim concludere licet, animam completam, ex illius ſententia ſemini inſitam, proprij corporis fabricationem moliri. Et ratio ex inferiùs determinandis patebit. Nunc cum video, Themiſtium haud obſcurè profitentem, e animam mundi & vniuerſalem eſſe, quæ vitam animatis corporibus impertiat, ſeque ipſis, tanquam formam pro materię captu, prębeat participandam, miror, Virum doctiſſimum, & ſolertiſſimum Gręcorum obſeruatorem, ſecus de illius opinione ſenſiſſe, atque hac in parte Auerrois f iudicium damnaſſe: qua de re alibi forſan enucleatiùs atque opportuniùs. Recentioribus verò, qui eãdem Themiſtij & Scaligeri g opinionem fecerũt, nihil dico, hoc enim

d 1. 8 Abd. re. cau. ca. 6.

e 1 de ani. cap. 24.

f 12 Met. com. 18.

g Exercit. 6 & alibi

ad

ad rem, qua de agitur, nullum habet momentum.

Modò vt eò, vnde sum digressus, reuertar, colligo ex antea memoratis Aristotelis, atque insigniorum illius Interpretum sententijs, non animam, sed motum, quo anima gignitur, semini insitum esse, huncque interdum animæ nomine circumscribi, quasi vim animæ recipiens, animam ipsam contineat: sic cœlum impetu intelligentiæ motum, dicitur animatum, non quia intelligentiam quæ assistit, sed quia illius vim continere euidenter percipitur. Demùm, ne sim prolixior in re non dubia, Aristoteles satis clarè animam excludit à semine, quando inquit, seminis nullam partem esse causam generationis, sed solummodò generans, & ea, quæ statim subdit, [Nihil .n. se ipsũ generat] rem totam determinant. Vno verbo, eam quam attuli, esse veram germanamque verborum Aristotelis interpretationem, dictorum conclusio, & epilogus manifestè declarat, quando „ inquit: [Generat igitur quod est vniuocum, vt homo hominem.] Sed quis est homo vniuocus? ille procul dubio, à quo semen prodit, quod sanè perspicuè alibi expressit Philosophus *h* per hæc verba: h 7. Meta.
„ [Semen namque facit sicut ea, quæ ab arte sunt; habet etenim po- tex. 31.
„ testate formam, & à quo semen est quodammodo vniuocum.] Quod verò subiungat dictionem [quodãmodo,] nec simpliciter asserat [vniuocum,] non est in præsentia curandum. Ratio habetur in textu, & in Commentarijs Alexandri, Auerrois, Alberti, Alensis, & aliorum Latinorum, ad quos breuitatis gratia remittuntur studiosi. Illud potiùs accuratè notandũ, quòd si anima, quã alij cõpletam semini, aut illius spiritibus tribuunt, sibi specie similem animam procrearet, non esset quærenda vniuocatio in eo, à quo semen prodit; foret.n. semẽ, vel qui in eo continetur spiritus, paruũ animal. i De som. & vigil.

Porrò autem quod ad modum attinet, quo potentia à generante semini inditur, constans Aristotelis sententia est, semen esse excrementum alimenti vtilis, atque vltimi, quod sanguinem statuit, ex quarta (vt censuit Auicenna.) *K* coctione relictum, atque ideo eadem passũ, quæ vltimum alimentum, dum in partium naturam & substãciam conuertitur, vim scilicet animæ agentis, quæ in ipsum se se insinuat, tanquam dispositio quædam, vt particulis nutriendis assimilet, & perfectè a similatum informet. Vtile igitur hoc excrementum, vnà cum alimento, quod remansit in partibus, accepto motionis impetu & nondum illius actionis impressione deperdita, cordis vitali spiritu & principio imbutum, menstruo sanguini, hæc eadem perpesso, admotum materiam mouet motu, quo & ipsum antea mouebatur; ita vt quod iam ad generationem gliscit, facilè formet. Quę illo-

ca 4 & 1. de gẽ. anĩ. cap. 19. & 20. & 2. de gen. an. cap. 4. & 2. de par. anĩ. ca. 3. & 4.

K 3. de nat. ani. cap. 3. & lib 9 c 3. & 3. can. Fen 20. tract 1. c. 2 & 3.

1. de gl. ani. ca. 3. „ illorum verborum sententia est: l [De anima, quemadmodum
„ conceptus & genitura habeant eam, & quemadmodum non ha-
„ beant, definitum iam est: potentia enim habent, actu non habẽt.
„ Semen autem cùm excrementum sit, eodemque moueatur motu,
„ quo augetur corpus digestione alimenti vltimi, vbi vterum subijt,
„ constituit & mouet excremẽtum fœminæ eodẽ motu, quo ipsum
„ mouetur: Nam illud quoque excrementum est, habetque omnes
„ partes potentia, quibus differt fœmina à mare. Nam vt ex læsis
„ interdum læsa, interdum non læsa gignuntur: sic ex fœmina par-
„ tim fœmina, aliàs non fœmina, sed mas generatur; fœmina enim
„ quasi mas læsus est: & menstrua semen sunt, quamquam non pu-
„ rum.] Ita etiam intelligitur ab Auerroe, m cuius sententia hæc
m Ad ca. 28. 1. de gen. anim. „ est: [Verè autem est similitudo inter parentes & liberos, quia ex-
„ crementũ similatur rei, cuius est excrementum, & ideo sunt om-
„ nia membra in potentia: intelligo per potentiam, eam, quæ in
„ agente, & illam, quę in patiente.]

Ex quibus, quod antea dicebamus, colligitur, etiam fœminæ menstruum continere animam in potentia, hoc enim & ipsum semen est. Verùm potentia, & vis seu impressio, qua menstruum mouetur, tantummodò est vegetalis, & potiùs pro dispositione materię, quàm pro principio actiuo, quod propter sensitiuam adijcitur, cuius vis ex Aristotele, n modo suprà explicato, o in sola genitura seruatur, atque à mare prouenit. Causa verò, ob quam menstruum materia solummodò sit, nec sensitiuę vim, quemadmodum masculea genitura, contineat, tametsi, eodem Philosopho teste, p alimenti vltimi excremẽtum sit, & fœmineum semen vocetur, ea procul dubio credenda est, quam proximè adductis verbis tangebat, scilicet illius impuritas; quandoquidẽ si sincerum emitteretur, nequaquam inficias iret, ijsdem pollere viribus, quibus & genitura, cum censeat, ita ferè esse concoctum, vt id, quod in partium substantiam mutatum est, sicuti etiam virile semen; sed in eo putat esse discrimen, quoniam mas sincerum, & planè coctum, ob validam caloris vim segregare valentem emittit, è contrà fœmina non sincerum confert, sed impurum, & minùs coctum, quippe quę caloris naturalis inopia ad vnguem non digerat, neque sanguini permixtum secernat. Cum autem fœmineus sanguis, & virili comparatus, & ei, qui in fœmina ad partium naturam alteratur, sit minùs digestus, longéque copiosior, obruit permixti seminis facultatem, vt vix tantillum vegetalis impressionis, qua etiam sanguis quodammodo gaudet, in ipso refulgeat: hinc fœminei seminis imperfectio. Patet igitur ex iam discussis, genituram,

n 1. 1. gen. ani. cap. 4.
o Sect. 1. cap. 14.
p 1. 1. gen. ani. cap. 19 & lib. 2. ca. 3. & 4. & lib. 4. cap. 1.

ex Aristotelis iudicio, non animam, sed animæ habitum quendam, vim, aut motionem, impressionemuè habere insitam, qua vt menstruum ex illius sententia mouere apta sit, satis est declaratum.

Non me præterit, contrà obijci, eundem Philosophum q docuisse, semina & conceptus aliquandiu viuere, & prolifica esse; quapropter in his vegetalem haberi animam conclusisse: inde consequi, ab ipso concedi semen vegetali anima formatum, quòd ego quoque ex eodem Aristotelis loco antea r adstruebam. Sed vtrum eiusmodi anima actu vel potestate semini insit: potestate, inquam, quæ vim importet, atque motionem impressam à generante, ipsemet Aristoteles paulò posteriùs non obscuro sermone declarat: [Animam igitur (inquit) vegetalem in seminibus, conceptibus scilicet nondum separatis, haberi potentia, statuendum est, non actu, priusquàm eo modo, quo conceptus, qui iam separantur, cibum trahant, & officio eius animæ fungantur. &c] In his verbis primùm adnotare oportet, vbi enunciatur animam potentia in seminibus cõtineri, non actu, huic verbo, [actu] in Græco codice respondere, ἐνεργείᾳ, quę cũ tã [operatione,] verti possit, quã [actu] meritò [actu] Latinè prolata est; potentiam enim, qua semen dicitur animatum, ad ipsam animę essentiam referri, ex eo facilè deprehendere licet, quòd subiungat Philosophus, de anima sensitiua & intellectuali pari modo dicendum esse, quarum esse potentia ad actum primum, adeoque ad ipsam animę naturam respicere, vel hoc certissimo argumento probatur, quòd ab initio, an semini sensitiua, qua constituitur animal, insit, sibi proposuerit inquirendum. [De mente etiam, quonam tempore, & quo modo, & vnde eam recipiant, quę principium id participant.] Ista verò, vt liquidò constat, de anima, nisi vt actum primum importat, non proponuntur inuestiganda, nimirũ quoniam sensitiua animal non constituit, nisi vt actus primus atque perfectio; deinde quoniam intellectualem tempore solum procedente recipi decernit Philosophus, & nihilo minus tam de sensitiua, quàm de intellectuali protulit, δυνάμει [potentia] inesse, non ἐνεργείᾳ. Quòd si hęc in pręsentia operationem significaret, resolutio neque quęsito responderet, neque conclusioni, in quibus, an semen habeat, vel contineat animam, & habere, vel continere animam enunciatur, Græce ἔχειν quod iam dixi idem significare, quod Latinè [habere] vel [continere.] Quid autem sit habere animam, si non sit ab anima perfici & informari, fateor me ignorare.

q 2. de gē. ani. ca 3.

r Sec. 1. cap 14.

Animaduertere autem oportet, non omnino idem importare, esse actum, & esse actu: esse enim actum, denotat esse formam

atque

atque ἐντελέχειαν; esse actu, significat reperiri in termino, ad quem ordinabatur potentia. Liquida haec est & aperta Aristotelis, atque insignium illius Interpretum doctrina, nudis verbis, nullaque violenta interpretatione peruersis probata. Vt iam in propatulo sit, falsò & perperam Leonicenum fuisse conquestum, quòd eximius hic interpres Naturae, in abditis & difficillimis, qualis praesens de seminis animatione speculatio est, atramento ambiguitatis effuso, instar sepiae se captui legentium subducat. Persuasit Leoniceno actualē seminis animationem, vel ad mentem Philosophi; quòd is semen animatum quidem esse potentia decreuerit, sed ea, qua Geometer dormiens, vel vigilans quidem, non autem operans, dicitur Geometer. Sicuti enim potentia haec Geometriae habitum, ita quae in semine potentia, animae actum non videtur excludere, immò verò etiam supponere. Hac Recentiores quoque mouet sententia, & praeterea quia subuentaneis ouis vegetalem animam concedit idem Philosophus, eamdemque facultatem asserit, quae incrementum efficit, ab initio etiam constitutricem esse eius, quod natura efficitur. Sed quomodo semen animam habeat, simulque ad ipsam, tanquam ad actum primum sit in potentia, paulo post aperire tentabo, tuncque de his fusiùs atque opportuniùs. Nunc Galenum Aristoteli, vt apparet, renuentem audiamus.

De principio animastico semini insito, Galeni sententia, quae fuit etiam Hippocratis & Platonis.

CAP. IIII.

SI quid in Galeno planum, planum atque indubitatum apparet, animam, quae efformat, semini insitam esse; quandoquidem si loca examinentur, quę alibi etiam à me fuere cōsiderata, † planè cōstat, viuentis naturā nihil aliud, ex illius sententia, esse a quàm calidum primum, primogenitum, & insitum. Quapropter si hoc, quod Galeni sensu, eadem res est cum temperatura, & anima, à nostrae generationis initio semini inseritur, proculdubio quae nos vsque ad interitum conseruat anima, illa eadem in semine residens nos quoque genuit atque efformauit: quod certè planiùs enunciari non pote-

† De Inn. cal. & Nat. spir. cap. 9.
a De Tre. Rig. &c. cap. 6. & 1. Aph. 15.

poterat, quàm his verbis, b ex Leoniceni versione, qui ea ad hoc pro- b 1. de Se-
„ bandum Latinè transtulit & recitauit: [Si verò sanguineam hanc mi. cap. 9.
„ plantam cernis, aut carneam, non propterea oportet existimare, & princ.
„ aliud esse quàm plantam: Nam opifex idem vtrique est, scilicet 10.
„ anima vegetabilis. Verùm illud aduertas, quòd hæc planta futu-
„ ra est animal, non quòd illam, quam prius habuit, potentiam abij-
„ ciat, sed alteram superacquirit: Debet autem de loco ad locum
„ moueri, cùm iam perfecta est, & soluta ab vtero. Verùm non pos-
„ set hoc facere, si frigida foret, vt stirpes, & non haberet ingredie-
„ di instrumenta. Vt igitur moderatum calorem obtineret, quan-
„ tus naturæ animalis congruit, & loca posset commutare, duo ob-
„ tinuit principia; alterum instrumentorum, quæ calorem seruant
„ naturalem; alterum eorum, quæ omnibus secundum electionem
„ actibus subministrant. Sed his quidem posteriùs vtetur, principiũ
„ verò vegetabile primum omnium habet, quod non ex sanguine,
„ sed ex ipso semine, arteriam, & venas, & neruum, & os, & mem-
„ branam efficit.] Ex his deducit Leonicenus, secundum Hippo-
cratis opinionem, quam Galenus hoc loco sequitur, semen animatũ
constitui, ac virtutem formatiuam, quæ arterias, venas neruos, & si-
milia efficit instrumenta, esse animæ vegetalis potestatem, quam vt
nedum similarium opificem agnosceret, sed etiam dissimilarium, ob
filiorum similitudinem cum genitoribus, dimisso sapientissimo for-
matore animo inclinabat, cùm ex professo de fœtus ageret forma-
tione.

Sed huic alia nunc adijciatur consideratio. Semen, ex lib. de Mar-
core, c apertissimè inter genera viuentium enumeratur: at nihil vi- c Cap. 1
uit, quod animæ essentiam non contineat; & si vbi facultates, ibi ani-
mæ quoque essentia reperitur, cùm procul dubio Galenus præter for-
matiuam, de qua satis est dictum, alias naturales facultates semini tri-
buat, concludi ex illius sententia debet, semen animæ essentia perfici
& informari. Qui verò negant, semini naturales facultates ad Ga-
leni mentem inesse, bene ponderent, vt suprà rogabam, d tum loca
ab ipsis citata, tum maximè Cap. 6. 1. de Semine, vbi apertissima ora- d Sect. 1.
„ tione decernit, semen [facultates ac vires habere insitas, attrahẽ- cap. 16.
„ tem alteram sibi accommodata, qua cõtineret, immutaretque ma-
„ terias, cibumque sibi præpararet; aliena alteram & superuacanea
„ excernentem. Materias item habere proprias, quas attrahat à
„ vulua, sanguinem & spiritum.] Bene, inquam, ponderent, an
istiusmodi actiones indicent, semen anima præditum verè & pro-
priè, & secundum vtramque partem, crassam scilicet, & spirituosam.

Cogitent adhæc, ſequenti Cap. ſcripſiſſe Galenum, ſemen alimentũ ad ſe attrahere, & muliebri genitura virilem nutriri: e quod & 14. de „ Vſu par. f pariter affirmat, ſcribens: [Atque initio ſtatim ex fœmi- „ næ ſemine nutritur, tanquam id natura familiare magis ſit quàm „ ſanguis; & omne quod nutritur, à ſimilibus augeri faciliùs poſ- „ ſit.] Conſiderent modò alij, num his quadret Gloſſa Neoteri- „ corum [Quòd quoniam quæ nutriuntur, per appoſitionem nu- „ trimenti augentur, ſic quoniam per admixtionem ſeminis fœminę „ cum ſemine maris fit aggregatum quoddam maius. &c.] Non me latet, Galenum, quamuis enunciarit locis antea citatis, muliebre ſemen abſolutè virili eſſe alimentum, nulla adhibita conditione aut modo; ſecundo tamen de ſemine, g illud quaſi alimentum (vt ex Latina verſione apparet) vocaſſe. Necnon ad huius loci ſenſum alia antedicta loca tum à Recentioribus, tum ab alijs præteriti æui fuiſſe redacta, qui haud animaduerterunt, muliebrem genituram potuiſſe maſculeæ quaſi alimentum vocari, quia eius vſus ſit tantummodo alendi pro parte, & ad breue tempus, donec ſanguis trahatur: Quãquam etiamſi virile ſemen verè non nutriretur fœmineo, minimè conſequatur, alimento alio, puta ſanguine, non poſſe nutriri. Monebo tamen Lectores, ſententiæ iſtius ſenſum alterari ex interpretis verſione, cuius rei cognitionem, & an Græca verba noſtræ magis, quàm aduerſariorum intellectioni faueant, aliorum iudicio relinquã, qui huius linguæ peritiores fuerint. Vulgata verſio Feliciani habet: „ [Atque hic eſt non paruus vſus, quem fœtui fœmineum ſemen „ pręſtat, quòd cum humidius frigidiuſque ſit, eſt quaſi quoddam „ alimentum virili ſemini craſſiori ac calidiori accommodatum.] Græci codicis hæc ſunt verba: καὶ ταύτην οὖν οὐ μικρὰν χρείαν παρέχει τῷ „ κυηθησομένῳ τὸ τῆς θηλείας σπέρμα, καὶ ὥσπερ τις οἰκεία τροφὴ γίνεται, „ τούτῳ ἄῤῥενι ὑγρότερόν τε καὶ ψυχρότερον ὑπάρχον παχυτέρῳ γε ὄντι καὶ „ θερμοτέρῳ Quibus, ſi verbatim Latina reddideris, iſta reſpondere „ comperies. [Et hanc igitur non paruam vtilitatem præbet naſci- „ turo hoc fœminæ ſemen, & tanquam quoddam familiare alimen- „ tum fit, maſculo humidius & frigidius exiſtens pinguiori exiſten- „ ti & calidiori.] Notent ſtudioſi, dictionem illam ὥσπερ, quam vertunt [quaſi,] poſſe verti [tanquam,] neque debere legi [quaſi,] aut [tanquam quoddam alimentum,] ſed [tanquam quoddam familiare aut domeſticum alimentum:] ita vt particulæ illæ [quaſi] vel [tanquam,] & [quoddam,] ſint ad limitandum non alimentum ſed adiectum illud οἰκεία. quod vertimus [familiare, domeſticum,] aut ſi vis etiam [proprium & accommodatum,] inſeruiendo non vt

e vide et. 2. de ſem. cap. 1.

f Cap. 11.

g Cap. 4.

notæ

notæ improprietatis, sed vt expressluæ veritatis: quemadmodum videre est apud Theophylactum,[h] & sexcentis exemplis apud alios. Estque perinde ac si dicatur, fœmineum hoc semen tanquam quid familiare, aut tanquam res quędam familiaris vel accommodata, fit alimentum masculeo. Atque ita locus hic perbellè respondebit locis de Vsu par. & de semine proximè suprà citatis, nulla erit varietas aut contradicentia, firmaque remanebit Galenica hypothesis, quòd nihil reperitur tam accommodatum ad virilem genituram alendam, quàm fœminea. Ideoque primo tempore ex parte hanc in illius nutrimentum concedere. Ratio verò, cur hęc omnium familiarissima masculeo semini existat, forsan ea est, quoniã ab initio nescio quam naturæ sympathiam & dispositionē, ex naturæ præscripto videtur obtinuisse, ob quam alendo virili magis disposita sit, & quæ fortasse in eo consistit, quòd genus hoc nutrimenti & fœcundum sit, & spiritibus refertum, & ad eundem generationis finem institutum.

Sed quòd præter hunc generationis vsum, in alimentum etiam masculei debeat insumi, argumento esse potest, quia tenuius cum sit, & frigidius, ad illud nutriendum paratum videtur, à cuius calore & coctione est incrassandum, calidius reddendum, atque omnino assimilandum tantisper, donec quod nutritur robustius euadat, vnde valeat sanguinem attrahere, & attractum concoquere. Quam sanè attractionem & coctionem sanguinis, vt ex eo nutriatur & augeatur, tam expressè decernit Galenus, & docet,[i] vbi ex professo, & citrà ambiguitatem de vera nutritione agit, vt nullus relinquatur hæsitationi locus: [Ea (inquit) prima est seminis actio, vt competentem sibi sanguinem trahat; competens verò fuerit, qui tenuis adeo halituosusque est, vt cùm in omnem seminis partem veluti ros sit attractus, nusquam sui speciem repræsentet. Sic namque fiet, vt & facilè eum vincat semen, & celeriter assimilet, & sibi nutrimentũ faciat. Mox arbitror secundò attrahet & tertiò, quò scilicet sibi molem magnitudinemque iustam ex nutritione adijciat. Atqui iam alteratrix inuenta vis est, quæ nec ipsa prodita Erasistrato est.] Et alibi.[K] [Verùm quoniam exiguum est id semen, quod in vterũ proijcitur, alitur autē ipsũ ex sanguine, & augetur, propterea. &c.] Profiteatur modò Fienus,[l] Galenum cum dicit, [in semine esse vim attractricem impropriè loqui, quia nolit dicere, in ipso esse vim attractiuam vitalem, aut talem, quæ sit potentia animæ, sed qualem habēt multæ aliæ res non animatæ. Profiteatur Forolíuiensis,[m] id quod ante organizationem accedit nutrimenti, semini adijci, tanquam rei inanimatæ, ac proinde hoc haud propriè nutriri, nisi

h *In cap. 1. Ioã. ad particulã quasi vnigeniti.*

i *2. Fac. Fa. c. 3*

K *Sect. 1. in Hipp. de natura hum. com. 29.*

l *Ferm. q. 5.*

m *Super c. de Ge. embr.*

S 2 forsan

forsan ratione membranarum conceptum obuoluentium, quæ primo statim tempore formatæ sunt; & alij iudices sint, ego enim, ne insectando lenia, frustra sim multus, breuiter dicam, istius suppositionis, quæ nullo alio fundamento nititur, nisi quòd seminis crassamentum omni animæ actu sit expoliatum, irrationabilitatem & ex iam determinatis patere, n & ex ijs clariorem euasuram, quæ posthac determinabuntur. Interim sufficiet satis apertè (quicquid alijs videatur, & placeat) ex adductis Galeni locis, nulla verborum aut sensus ambiguitate obuolutis, colligere, ipsum in ea fuisse sententia, vt crediderit, semen præditum viribus animæ vegetalis, & consequenter anima ipsa. Qua in re adeò consentientem habet Platonem, o à quo rarò solet discedere, vt is semen non solùm animatum existimet, sed pro suo esse imperfecto quodam modo etiam respirans, ita vt qua parte spirat, vitale effluendi desiderium producat, interuentu (vt opinor) auræ vitalis, quæ vitæ radicem in corpore, à quo spirat, præsupponit, qualem ipse descripsit, vbi ex triangulis exquisitissimis, & selectis inuicem contemperatis atque permixtis, medullam procreatam constituit, quæ generationis mortalium semen & fomes sit, quæque alligata gerat animarum genera, insitasque habeat figuras omnes specierum viuentium generabilium, ex ea scilicet (ni ego fallor) facultate, quam naturalem appellant, semini à Galeno tributã, & infra virtutem quamlibet cognoscentem à Platonicis collocatam, qui de rationibus seminalibus huic proprijs, supposita idearũ doctrina, & mundi anima, ita habendum existimant, p vt quemadmodum quod in summo sui ipsius est lumen, & in medio splendor, & in infimo calor, qui vt calor generat, non vt splendor, nec vt lumen: sic anima quæ in suo quodam summo intellectualis existit, in medio verò discurrens, in infimo denique vitalis tantum atque viuifica non vt intellectualis, nec vt discurrens, sed vt vitalis generet atque viuificet; idque non quia cognoscat, sed quia ita se habet, & ita potest, & ita afficitur naturaliter, quapropter citra solicitudinem & laborem indefessa facilitate iugiter producendo species æternas conseruet. Hęc Platonici de seminalibus naturæ rationibus, quæ vt pro instituto breuiter tacta sufficiunt, ita si determinandum sit, quid re vera in se habeant consentanei, fusiorem, magis vniuersalem, & à præsenti longè diuersam disquisitionem expostulant.

n Sect. 1. cap. 16.

o In Timæo.

p vid. Plotinũ Enead. 2. lib. 3 cap. 17. & ibi Ficinũ

Modò acie ista contra Philosophum directa, remanet, vt re intimiùs ex primis Peripateticæ & Galenicæ Philosophiæ fundamentis perpensa, si qua inter Aristotelem, & Galenum esse possit conciliatio, patefaciam, simulque difficultates vrgentes eã, quæ determinabun-

buntur, resoluam; quod factu eò magis est necessarium atque opportunum, quò ex nonnullis Aristotelis locis suprà q colligebam, semen ita esse animatū & viuere, vt ab anima, quæcumque illa sit, tota eius corpulentia vnà cum spiritu perficiatur & informetur. q Sect. 1. cap. 16.

Iudicium de proposito Aristotelis & Galeni dissidio, quo discrepantes eorum sententiæ conciliantur.

CAP. V.

QVando igitur iam satis constat, nullam à generante posse potentiam semini imprimi, nisi ope facultatis, quam Medici coctricem appellant, & cuius actio in id, quod ab ipsa mouetur, assimilando & substantialiter transmutando procedit, vt quęlibet etiam alia forma agens habet vim mutandi ad formam materiæ vel remotam potestatem, quę ad ipsam referatur. Inde consequitur, fieri non posse, vt aliqua vis à generante vitalis semini communicetur, nisi vel principium, vel rudimentū saltem aliquod principij, vnde talis facultas oritur, imprimatur: & ad hoc si respexerunt, qui in semine rudimentum animę collocarunt, vbi integræ essentiæ animam validę nimis rationes excludunt, naturę rei, quantum ego credo, consentanea loquuti sunt. Concedendum igitur, in semine animæ inchoatum quippiam atque imperfectum haberi, vnde generandi vis & potentia nascatur; sed proculdūbio tale, vt non sit quidem prorsus res eadem cum anima, verùm potiùs (quod Seneca † de sanguine credidit) animę veluti basis quædam & inchoatio, quæ dum calor humiditati pro temperiei, quæ intenditur, indigentia commensuratur, sensim & gradatim perficiatur, iuxta illud Hippocratis a [Irrepit in hominem anima, ignis & aquæ temperamentum habens.] Minimè autem aboleatur & corrumpatur, nisi fortasse in quantum definit esse rudimentum & inchoatio, sub quo essendi modo quædam esse videbatur seminis forma, vt generatio viuentis ex semine fiat, quemadmodum alibi b tactum est; c non quia omnino desinat esse quod erat, sed quia quod non erat completur. † 2. Nat. q. cap. 3. a 1. de Diæta. b De Cal. Inn. ca. 4. c 1. de san. tu cap. 2. & 2. de Temp. cap. 2.

Porrò autem, quando animalis ex semine generatio, Galeni testimonio, iugiter exiccando procedit, quando etiam quęlibet tempę-

riei mutatio per contrarias & passiuas qualitates fieri solet, prę clarè
d 1. phys. à Ioanne Grammatico d explicatum habemus, cum humidiore semi-
com. sua nis temperatura debere, & posse reperiri contrarietatem, & priuatio-
91. nem formę, seu temperaturæ introducendę, quæ in ficciori consistat,
„ aut minus humida. Verba hæc sunt: [Sed in quibus solùm est ge-
„ neratio figurarum & formarum, in his inuenire non est contrarie-
„ tatem in priuatione: in quibus autem sunt etiam qualitates paf-
„ siuæ, in his necessaria contrarietas inuenitur cum priuatione con-
„ iuncta. Itaque in proxima materia, ex qua homo fit, dico, scili-
„ cet ex spermate & fœtu, etsi hæc appellentur non homo, tanquam
„ habentia in se ipsis priuationem hominis, quam cùm abijciunt,
„ mox formam hominis recipiunt: Tamen necesse est, quandam
„ contrarietatem respectu hominis habere, hominem autem voco
„ compositum, scilicet corpus formatum aptumque, vt ei forma
„ animalis adueniat. Nam si aliquid patitur & transmutatur sub-
„ stantialiter, & simile non prorsus in simile transmutatur, neque
„ simpliciter in aliquod diuersum, sed in contrarium prorsus, ne-
„ cesse est in spermate aliquam contrarietatem esse, per quam patiēs
„ efficiatur corpus formatum, ex humidiore v.g. ficcius, ex tenui
„ crassum, & ex calidiore frigidius; & ita patiens magis vel minùs,
„ secundum contrarias qualitates, varias hominis partes perficit,
„ ossa videlicet, carnes, neruos, & reliqua alia. Verùm quod de hoc
„ dixi, illud etiam de omnibus animatis inanimatisque sentio, vide-
„ licet de metallis: nam ibi etiam quædam proportio est. Quare si
„ hæc ita se habent, perspicuum est, omnem generationem fieri ex
„ contrarijs in contraria, similiter & corruptionē; igitur demonstra-
„ tum est; etiam ex ratione oportere formalia principia contraria
e 15. de A- „ esse.] Et Albertus: e [Generatio autem, (inquit) quæ est ex
nimal. „ contrarijs, est quidem naturalis, quia est primorum generabilium
Tract. 2. „ simplicium, sicuti diximus in libro peri geneos; & hæc contraria,
cap 4 „ quæ sunt elementorum qualitates, sunt in spermatibus, & ex eis
„ etiam, sicut ex transmutantibus, est generatio, quæ est ex sperma-
„ tibus, secundum quod est transmutatio physica.] Hactenus. Viri
graues, qui contrarietatem terminorum substantialis generationis
videntur mutatione temperiei metiri, non sine aptitudine, quam
f 1. Phys. connotari à priuatione dubitandum non est; quamque si rudimen-
tum dixeris, atque inchoationem quandam, non longè à veritate di-
g vide 1. scesseris: etenim ex quolibet non quodlibet fit, f sed ex eo tantum,
de Gen & quod secum naturæ saltem proximi generis, g communionē & sym-
corr. Tex pathiam habuerit. Neque ex humano semine equus, aut ex equino
30.

leo,

leo, nedum ex plantæ semine, aut lapide possunt procreari,

» h omnia quando h Lucr. 1. de Re. Natura.
» Seminibus certis certa genitrice creata
» Conseruare genus crescentia posse videmus.

Verùm enimuerò huiuscemodi rudimenti animastici semini insiti ea (vt arbitror) natura est, quæ cum sit motus, aut habitus quidam, ἐντελέχεια, sapere incipit, cuius exactè naturam non induit, donec calidum humido non dominatur perfectè; estque tale, vt in vniuerso seminis aut conceptus corpore, in quo membrorum principum desiderantur influxus. ex se vitalia & animalia munera exequi nequeat, nisi vbi excitatur fouentis auxilio, puta vteri, aut alterius adiuuantis externi, ad id vsque temporis, quando ope & interuentu eius, quod à principalibus membris ante omnia organizatis influit, adiutum, primò ita humidum exsiccet, vt quantum naturæ lege sancitum fuit, supra ipsum & cæteras vigeat qualitates; mox reliqua animæ opera exactè ex se valeat exercere. Quæ omnia cum aduenerint, iam perfectus est actus, quo animalis corpus creditur informari. Quamobrem Galenus, i quatuor generationis animalium temporibus excogitatis, vt ostenderet, materiæ, ex qua gignitur animal, sub actu, quo tanquam imperfecto primò formatur, non manendum, sed esse ad vlteriorem modo antea memorato transeundum; docet primum, quod ex semine gignitur, plantali anima viuere, deinde facultate sensuali acquisita animal perfectum euadere; in hoc euidenter Aristoteli K subscribens, qui vegetalem in conceptibus animam primò haberi opinatus est, deinde tempore procedente sensualem, qua animal est, recipi, neque simul fieri animal & equum, quòd finis contingat posterius. i 1. de semin. cap. 9 K 2 de Gen. anim. cap. 3.

Omnino autem de re hac ita tenendum existimo, vt in via tam Peripatetica, quàm Galenica, rudimentum in materia, ex qua aliquid est faciendum, necessariò desideretur; etenim contraria illa, inter quę versatur mutatio, sunt (vt dicunt) veluti termini cuiusdam communis vię qua ire & redire necesse sit, si ab altero extremorum sit discedendum, atque ad alterum commeandum: eiusmodi autem dispositio, ob quam vnum contrarium, si contingat mutari, in alterius necessariò naturam concedit, rudimentum, seu participatio quędam naturę contrarię non immeritò nuncupatur, & est. Verùm quoniam quod participatur proximiùs & remotiùs, seu clariùs & obscuriùs potest participari: tunc clariùs & euidentiùs, quod mutatur, contrarij particeps fit, cùm iam ab efficiente afficitur & mouetur ad formã. Quamobrem tam genitura, quàm menstruum, quæ Philosophus excre-

crementa esse vltimæ coctionis asseruit, atque ideo eadē passa, quæ alimentum, dicebat vim atque impressionem motus ab anima prodeuntis continere, ob quam hoc patitur, illa agit, tanquam ab extrinseco generante motionis accepto principio, nō intrinseco, & penitus substantiali, sed veluti impetu quodam potiùs atque impulsu, qui sanè si dispositionem importet, quæ haud firmata penitus, neque in termino vltimo, ad quem ordinatur, persistens, moueat per modum impressionis cuiusdam extrinsecus receptæ: firmata verò in materia, ex qua ipsum gignitur animal, principium intrinsecum euadat, nō multùm, vt ad hoc attinet, Aristoteles à Galeno distabit, quorum mentē, & rei naturam primùm Alexander, l deinde hunc sequutus Themistius m optimè tenuisse visi sunt, vbi de motu, vt generationem quoque substantialem comprehendit, alter quidem ita scripsit ad verbū: „ [Potest autem ex ijs, quę dicta sunt, quis assumens dicere, motum „ esse eius, quod est potentia, primam mutationem, seu primam „ ἐντελέχειαν. Vltima enim est mutatio, quæ est ad perfectionem, per „ quam id actu factum, quod erat potentia; deinde ex eo quiescit, „ prima autem via est ad illud. &c.] Hucusque Alexander. Themi- „ stius autem: [Motus est primus actus rei, quæ potestate aliquid „ est. Dixi primus, quia vltimus videtur esse forma, quam res asse- „ quuta cùm primùm est, quiescit: primus verò actus est ea, quæ in „ formam est itio: At hic propriè motus is est, quem modò conqui- „ rimus. Quoniam autem formam ipsam maximè & simpliciter „ actum vocamus, necesse est, vt ea profectio, quæ ad formam dici- „ tur instituta, ad eum quoque actum instituta dicatur, qui proprius „ atque pręcipuus est. Quo fit, vt ea itio, quia ad actum illum per- „ fectum absolutumque destinatur & tendit, perfectus actus ipsa „ esse non possit, sed inchoatus & mancus. In hunc modum motus „ intelligitur actus esse, non quidem consumatus ille atque com- „ pletus, sed lacessitus & cessans; non tamen ita, vt sit per omnia im- „ perfectus, sed vt sit nondum perfectus, persolui tamen qui possit „ & perfici.] Et rursum posteriùs: n [Sed demùm eadem illa repe- „ tamus non modò iterum, sed ter & quater, & si libuerit etiam sę- „ pius, vt difficultates illas saltem frequenti tractatu facilè assequa- „ mur. Duplex est in quaque re species perfectionis & actus: Vna, „ quæ adest, quum absoluta & consummata res est, cumque naturā „ plenissimè est consequuta: v. g. oculus, postquam est perfectus, „ actum & functionem suam habet, ea visio est: ipse autem actus à „ forma nihil differt, hoc enim est oculum esse, quod est actu ipso „ videre. Atque hunc ego actum perfectionemque motum esse non dico,

l Apud Simpl. 3. phys. com. 8.

m 3. phys. Tex. 7.

n Ad tex. 15.

dico, vtpote qui sit forma & species, & ad quietis propius quàm ad motus naturam accedens. Altera species perfectionis & actus est, quæ adest rei vnà cum potestate, qualis est ipsa formatio & fabricatio pupillarum; cùm enim formantur oculi, circumdanturque pupillę genis ac tunicis, retinent in ipsa formatione potentiam, ipsa verò formatio circumdatioque imperfecta est, neque quia instituta est ad potiorem finem, ad quem festinat. Et hercles quicquid potestatem habet, imperfectum est, quatenus potestatem illam gerit. Quamobrem in eo, quod omnis potestas euanuit, exoleuitque, simpliciter nuncupamus actum; in eo verò, quod simul adest, duratque aliquid potestatis, actum imperfectum vocamus, cuiusmodi probauimus motum esse. Sed de hoc satis.] Hucusque Themistius ex versione Hermolai Barbari elegantissima, sed mihi non admodum probata, vtpote quæ plerumque proprietati terminorum minùs respondeat, quàm par sit.

Nunc primùm circa postremò transcripta verba notari cupio, per errorem euidentissimum in Latinis omnibus impressionibus haberi: [Neque quia instituta est. &c.] cùm legi debeat: [Nempe quia. &c.] Deinde Græci codicis hanc esse sententiam: [σπεύδει γὰρ ἐπὶ τὸ τέλος, καὶ τῷ δυνάμει ἐστὶν, καὶ ἀτελὲς, καθὸ δυνάμει· διότι μὲν ὅλως ἐκβέβηκε τὸ δυνάμει, διὰ τοῦτο ἐνέργειαν αὐτὴν λέγομεν. διότι δὲ συνεφέλκεται αὐτὸ, καὶ συνδιατηρεῖ, διὰ τοῦτο ἐνέργειαν ἀτελῆ, καὶ τὴν τοιαύτην ἐνέργειαν ἐτιθέμεθα εἶναι κίνησιν.] Quæ Latinè reddenda: [Festinat enim ad perfectionem, & in potentia est, & imperfectum quid, quatenus in potentia, quia autem omnino excessit potentiã, vel esse in potentia, propter hoc actum ipsum dicimus; quia verò simul trahit ipsum (intellige, esse in potentia) & conseruat, propterea actum imperfectum, & talem actum ponimus esse motum.] Est ergo in subiecto, quod ad perfectam formam perducitur, motus, qui est forma ipsa, sed rudis, lacessitaque (vt dicunt) vel inchoata, ratione potentiæ, quam adhuc habet innexam, vel secũ trahit, & quæ causa est, vt à puritate perfecti actus deficiat.

Neque longè ab hac sententia Simplicius visus est recessisse, o vbi scripsit: [Non enim totaliter ab imperfecto ad perfectum procedit aliquid, nisi potentia media adfuerit, addens quidem quod deficit ad perfectum, suscipiens autem completionem à perfectissimo: est igitur conductiua extremorum, & viam exhibet à deterioribus ad meliora, & præparationem imponit, & exordium ad perfectionem, partemque quandam præaccepit ab actu, & velnti præsumptio quædam, vt licinij ante caliditatem ignis, & speciei

o In prædica. cap. de qual. com. 39.

„ autem mediocris participatio distributa per mensuras, & non to-
„ ta præsens intelligatur.

Tandem Galeni quoque sententiam silentio non pertransibo, qui
„ de generatione & corruptione verba faciens ita habet: p [Alij ab
p 1 de Nat. fa. cap. 2. „ ijs motus sunt generatio & corruptio, illa quidem ad substantiam
„ productio, hæc illi contraria; omnibus ijs motibus communis est,
„ prioris status immutatio, sicut è diuerso quietibus prioris status
„ conseruatio.] Sic Galenus, qui cùm paulò antea reliquas omnes
corporis physici naturales mutationes esse motus supposuisset, nimi-
rum tam alterationes, quàm lationes, itidemque auctionem & dimi-
nutionem, nunc nulla distinctione adhibita, generationem & corru-
ptionem motus pariter nuncupat; qua in re Philosophum habet con-
q 3. Phys. Tex. 6. sentientem. q Inde factum puto vt Linacer, Græcè scientissimus, no-
men illud γένεσις, hoc loco reddiderit [productionem,] quod & du-
ctum, & adductionem, & portationem, & vectionem potest & solet
significare; atque hoc ad circumscribendam successionem & tempo-
r 5. Meta. com. 9. raneam mutationem: ad quem modum Alexander quoque r genera-
tionem appellabat progressum in speciem perfectam, qui haud esse
potest absque formæ fluxu, & successiua quadam emersione, secus
pura esset alteratio, cuius alius est terminus ad quem; & tamen com-
muniter recipitur, motum & terminum non differre, nisi naturæ per-
fectione & imperfectione, quæ non est specifica & realis distinctio.
Accipio ego in præsentia motum non vt purè fluxus est, sed prout
non distinguitur à re fluente; quod Græcos primùm fecisse video, &
f Apud Aue. 5. phy. com. tex. 9 postea Alfarabium, f Auerroem, t atque Albertum, u ad nomen (vt
puto) & naturam actus respicientes, per quem motus definitur ab
t loc. cit. 5. phys. Aristotele. x Qua ratione posse in pluribus prædicamentis, si non
proprie, saltem (vt dicunt) reductiuè consistere, & quoquo pacto in
u 3. physic. Tract. 1. c. 3. ipsa etiam substantia, neque Aristoteles, neque plerique celebres
illius interpretes negarunt. Immò Theophrastus, secundus ab Ari-
x 3. phys. Tex. 6. stotele Peripati Magister, sustinuit, motum, nulla adhibita distin-
ctione, in vnoquoque prædicamento reperiri, cuius verba ex secundo
y 4. phys. com. 5. in fine. „ illius de motu refert Simplicius, y quę sunt: [Magis autem pro-
„ prium, quod & dicimus, & est, actum eius, quod est potentia mo-
„ bile, in vnoquoque genere prędicamentorum, vtpote sibstantię,
„ quantitatis, qualitatis, per locum lationis; sic enim est alteratio,
„ incrementum, latio, seu motus per locum, generatio, & quę sunt
„ ijs contraria.] In tertio autem, vt Simplicio videtur, hæc scripsit
„ apertiùs: [In motus quidem definitione dicimus tot esse eius spe-
„ cies, quot sunt prędicamenta; eius enim, quod est potentia, qua-

tenus

„ tenus tale est, actum dicimus esse motum ¿] Hactenus Theophrastus à Simplicio allegatus ad comprobandum, quod ipse antea notauerat hoc sermone: [Si autem in omnibus etiam prædicamentis „ est id, quod est potentia, ostenditur autem motum esse actum „ eius, quod potest esse aut fieri, quatenus est eiusmodi; quomodo „ non fuerit motus in omnibus ?] Ita Simplicius, cui, sicut & alijs istius opinionis sectatoribus, persuasum credere oportet, nihil esse posse actum rei potentia ad formam existentis, quatenus in potentia, quod non sapiat naturam formæ, ad quam illa refertur potentia, dummodo actus, vt par est, respondere potentiæ debeat, atque actui potentia. Qualis postea cumque sit in statu non permanenti talis formæ conditio, non videtur absurdum, ab hac manare facultates ipsi congruentes, vt possunt ab imperfecto, & alteri subordinato actu proficisci.

Hæc illa sunt, quæ ex Græcis Philosophi expositoribus, & Galeno, ad propositi dogmatis confirmationem decerpsi, quorum sententijs qui subscribunt Peripatetici, † habito ex Aristotele, motum esse ἐντελέχειαν hanc pro re, qua de agitur, putant dupliciter posse considerari, scilicet vel sub ratione habitus terminantis ac perficientis, vel sub ratione rei emergentis seu exorientis, quam rationem habet ab efficiente: Vnde motus ἐντελέχεια sit non primo modo, quatenus est perficiens & terminans, sed vt exiens, & in actum prodiens; secundũ quem modum licet subeat rationem cuiusdam actus secundi, sapit tamen naturam primi, immò est quid medium inter secundum & primum.

† Pend. in Enod. 3. Phys. par. 13.

Atque hoc loco notari vellem, quòd cùm dicimus, semen esse instrumentum continens motum à generante impressum, & præterea esse etiam materiam, quemadmodum antea determinatum fuit, distinctio adhibenda est: cùm enim vis seminis generatiua sit participatio quędam animæ ipsius generantis externi, hac ratione tam animæ generantis, quàm virtuti seminali est instrumentum, simul atq; materia, nec non vtrumque respicit tanquam actum, sed diuersa ratione, quando ad vnum vt ad actum perfectum se habet, qui primò moueat; ad alterum verò vt ad imperfectum, qui non magis faciat, quàm fiat, & qui agat non vt primus, sed vt substitutus.

His acceptis, cogitemus modò, per præcedentem coctionem, quæ fit in tempore, materiã seminalẽ necessariò ad animæ naturam, quæ actus sit consumatus & absolutus, sub quo tandem quiescat, mouendã esse, acquirendo interim facultates, quę à tali forma solent promanare, an non procul dubio aliquid istius formæ rudioris & inchoatę,

dum alteratur, tenebit? nonnè cum formali natura (vt Themistius ait) adhuc potentiam seruabit? quamobrem verè cum Aristotele possimus astruere, semen & habere animam, & esse potentia? In causa est hic habitus haud permanens & completus, siue (vt cum Alberto loquar) ista formæ imperfecta inchoatio, vt semen, antequam
2. phys. Tract. 3. c. 3. in fin. extructis organis perfecti animalis materia fit, rationem instrumenti obtineat, cuius est, quia mouetur, mouere, & quicquid agit in virtute primi mouentis efficere. Vbi verò motio ista & habitus firmatur, atq; ita perfectionem adipiscitur, vt in formam & animam vertatur, tunc propria virtute mouet, & causa est, ob quam instrumentum rei factæ, atque essentiæ pars remanet.

Difficultatum quarumdam, quæ aduersus proximè determinata occurrunt, resolutio.

CAP. VI.

At verò, vt ex semine generatio substantiæ, quam totam simul in non tempore, & sine vlla extensione fieri, ex sententia Aristotelis † plerique omnes illius expositores opinati sunt, sine motu propriè sumpto & successione seruetur, difficultatesque aliæ euitentur quàm plurimæ, animaduertere oportet, quod versatissimos quosdã Peripateticos † perpensè notasse video, scilicet in animalis procreatione, quamuis præsit aliquod actu, sicut semen rudi (vt credo ego) anima præditum, cum qua adhuc potentia viget; hoc tamen subiectum omni actu expoliandum esse, vt ex eo intelligatur, generationem fieri, nudumque relinquendum, tanquam non ens: haud sanè quia non remaneant aliqua ipsi, & genito animali communia, sed quoniam ratione ipsorum, nihil esse actu simpliciter dici potest, adestque solummodò tanquam formandum & perficiendum. Cùm autem nihil sit actu simpliciter, sitque adhuc materia sub natura contrarij, cum qua, vt optimè Alexander obseruat & explicat, semper manet priuatio, nec dici poterit propriè, & per se agere, sed tantùm fieri & efformari; eius enim totius, quod prius erat actu, nihil, quantum ad speciem & essentiam, manet, fitq; veluti non ens quoddam, nullius videlicet speciei determinatæ, pro ipso verò nouum compositum, nouamque substantiam & speciem

habens

† 1. phys. Tex. 10. & seqq.
† Pend. in Zond. 5. Phys. par. 6.
2. 3. Nat. q. cap. 11.

habens emergit. Vt idcirco eiusmodi mutationem secundum contradictionem fieri non immeritò liceat affirmare. Præterea simul totam in non tempore, & sine vlla extensione, cùm scilicet vltima illa materiæ perfectio aduenit, ad quam per actum præcedentem extensum loco habitus, aut secundi actus non permanentis ante acceptum ordinabatur.

Atque hanc doctrinam insinuasse videtur Simplicius, [b] cuius hæc sunt verba: [Nunc autem prima quidem mutatio est motus, vltima autem, quæ est ad perfectionem, non est motus, cùm sit ipsa quoque mutatio. Quamquam omnis quoque mutatio est motus, ex eo motu, qui nunc quæritur, & quæ ex imperfectione ad perfectionem est mutatio, fit per motum.] Et rursum alibi: [c] [Et si videatur aliquod tempus consumi in generatione, id non esse mensuram generationis, sed motus formarum, quæ mouentur & alterantur in generatione, quarum multiplici conuersioni & alterationi aceruatim & simul forma accedit.] Et paucis interpositis: [Quomodo non videbitur omnis mutatio, quæ prius habet & posterius, habere etiam extensionem temporis? Quare etiam generatio. Num est quidem in priori tempore id, ex quo est generatio, quemadmodum semen; & est in posteriori tempore id, in quod vt homo; & est etiam id, quod intercedit tempus, sed non est hoc tempus formę, nondum enim est, siquidem accedit sine tempore: sed eorum, quę sunt ante formam, & eorum, quę sunt reposita in forma, quibus illa viget & efflorescit. &c.]

Si petis, quę hæc sint ante formam, & quæ sint reposita in forma, quibusque forma vigeat atque efflorescat? Alij fortasse dicent, esse materiæ dispositiones, quibus neque ego reclamo: sed si profiteantur, hæc mera esse accidentia, neque vllatenus sapere naturam formæ, hoc prorsus inficior. Certum enim mihi est, ad physicæ formæ naturam ac essentiam spectare materiam illi propriam; quæ si medijs dispositionibus appropriatur, qui fieri potest, vt talis dispositio & appropriatio ad formæ naturam quomodolibet non pertineat? Dixi, eiusmodi appropriationem & processum ad perfectionem non habere esse merè accidentale, sed sapere naturam formæ. Neque propterea medium pono (quod quis forsan obijciat) inter substantiam & accidens, sed bene Alberti doctrinam amplector, [d] vbi statuit, in rebus, prout pertinent ad substantiam & accidens, nullum dari medium. Non sic autem, si attendamus modos essendi, secundum quos nihil prohibet, aliquod accidens esse vicinius substantiæ quàm aliud, ac vice versa, aliquam substantiam esse viciniorem accidenti quàm alia.

b 3. phys. com. 18.

c 5. phys. com 9.

d 5. phys. Tract. 1. cap. 1.

e Thom. Gianinus 6. lib. com. & disp. Arist. c. 8.

alia. Accedit eodem, quod eruditissimi Recentiores e notarunt, fluentem formam, quæ motus est, non antea poni in certa rerum specie, quàm fuerit consequuta stabilitatem, quam non obtinet, nisi in termino, ad quem fuerit constituta.

Et vt repetam, quæ retrò deducebam ex illa hypothesi, quòd motus realiter & specie non differat à termino ad quem; dubio procul, cùm alteratio, quæ ad generationem substantialem est instituta, habeat pro termino, in quem desinat, formam substantialem, non potest non participare eius termini naturā; propter quam à mera & simplici alteratione debet distingui, cuius terminus est, accidentaliter alteratum esse.

Quod verò terminus alterationis, quæ ad substantialem generationem dirigitur, sit forma ipsa substantialis, patet; quia terminus motus est forma, sub qua, & per quam potentia desinit, quæ est cum motu: forma substantialis est huiusmodi; ergo. &c. Maior caret difficultate. Minor quoque clara est, quoniam potentia, quæ est cum motu, est subiecti, quod mouetur; hæc autem est ad formam substantialem, quapropter sub ipsa vt desinat necesse est, non sub alia.

f 5. Meta. tex. 5.

Addunt nonnulli auctoritatem Philosophi asserentis, f terminum generationis esse formam: generatio igitur, prout est fluens, pro termino formam habet substantialem. Dico, prout est fluens, quoniam à termino præsupponitur fluxio, quando terminus ab eo, cuius est terminus, vt indiuiduum à diuiduo debet distingui. Considerant quinetiam, nono Metaphysic. g doceri, in ortu substantiali esse quasdā partes factas, quæ remaneant in re genita. Priuationem insuper principium esse, dum res fit: vnde sit aliud instans rei fientis, aliud formæ & rei factæ, ex quo in generatione successio. Compluraque alia adijciunt, quę hoc loco subtiliùs persequi non est opportunum, vbi notasse sufficiet, ex discussis clarè deprehendi, eos h non bene sentire, qui profitentur, generationem, quatenus distinguitur ab alteratione, non esse motum; quatenus autem est motus, ab alteratione non seiungi. Nam & quatenus motus, differt ab alteratione, rei nimirum fluentis conditione intima, quę in hac naturam sapit formę substantialis; in illa verò merè est accidentalis. Et sanè si generatio esset successiua, propter affectiones tantum & puram alterationem, satis fuisset Aristoteli i & Galen. k species motus enumerantibus, si solius meminissent alterationis; aut saltem monuissent legentes, propter ambiguitatem generationis. Idcirco illorum sententiæ magis subscribendum puto, qui profitentur, in Peripato generationem esse materiæ prouectionem ad formam, secundum potestatem, quam habet

g Tex. 14

h Zabar. in 3. phys. com. tex. 6 & Latinorum quā plurimi.

i 3. phys. 6. supra cit. K 1. de Nat. facul. c. 2. sup. cit.

bet ad substantiam, quę prouectio cùm paulatim fiat, manifestè in ea tempus apparet atque successio, secum necessariò ducens formæ rudimentum introducendę.

Sanctus quidem Doctor, l vt ad pręsens, quo de agitur, propositum pertinet, ex Aristotele m elicit, semina & fructus ita esse potentia ad vitam, vt animam abijciant. Sed si bene Aristotelis pensitetur doctrina, locaque consulantur, vbi rem hanc ex professo pertractat, conspicuè patebit, potentiam, de qua loquitur, referri non ad actum imperfectum, sed ad perfectum, ad quem respicit, qui est animam definiturus, & ad quem fortasse etiam respexit Sanctus Vir, cuius præceptor Albertus super loco Aristotelis cit. est valde notandus, verbis scilicet antea recitatis n quæ hic non sunt repetenda. Tandem vt multa in pauca contraham, animaduerti debet, oportere has propositiones in Aristotele verificari: Primam, motum generantis semini inesse: Secundam, moueri semen motu propero, vel, vt cum Themistio loquar, festinare ad perfectionem consumatam & absolutam: Tertiam ἐντελέχειαν perfectam, quæ est actus corporis organici, haud posse in semine haberi non organizato: Quartam, semen & habere animam, & esse ad ipsam in potentia. Ex quibus, nisi me omnia fallunt, aliud nihil potest deduci, nisi animam, quæ in semine habetur, & sine qua est æquiuocè semen, nihil aliud esse posse, quàm motum animasticum & vitalem, contractum à generante, qui non sit quidem actus permanens (vti dixi) atque completus, sed fluens, mancus, & cum potentia mixtus, quæ priuationis est comes, adeoq; etiã resistentiæ, vt potentia actu contrario fundata est.

Si forma (inquit Auerroes, o) recipit partitionem, dicendum est, in spermate non cessare partes spermatis recedere, & partes fieri hominis, donec forma humana perficiatur: sed forma hominis recipit partitionem. Et probo, quia primò viuit vegetatiua, inde sensitiua, & demùm rationali; quanquam hęc de foris momento semper adueniat. Admittit etiam non solùm eiusmodi partitionem, sed magis & minus, vel gradus existendi, idque ratione materiæ, & potentiæ actui permixtæ, & ob naturam ancipitem inter substantiam & accidens, dum est in fluxu: vt concedam, non admittere, vbi in termino fuerit, & confirmata; & quis, amabo, fuerit tam delirus, qui formato corde, nec dum reliquorum apparente vestigio, asserere audeat, vel cordis generationem esse alterationem, vel formam animalis esse completam? quam fortasse erroneam sententiam sibi persuasit Dinus p veram esse, vbi sustinuit, anima principaliter informari cor, membra verò reliqua eatenus esse animata, quatenus cordi adnascuntur,

l 2. contra Gent. c 89
m 2. de an. tex. 10.
n Sect. 2. cap 2.
o 1. phys. com. tex. 61.
p in com. lib. de an. fer.

scuntur, illiusque quoddam additamentum & augmentum existunt. Meminerunt alij generationis ranarum ex putri, in quibus

„ Altera pars viuit, rudis est pars altera tellus.

Erunt ergo istę generationes imperfectę, gradatim fluentes, tendentesque ad perfectionem, adeoq; motus ab alteratione seiuncti; quicquid secus Latini sentiant; quorum argumentis abundè satisfecerũt Philosophi nostro æuo per quàm celebres & eruditi. q

q Zimam. 2. de mo-tu à c. 12. infra.

Diluuntur alię quędam obiectiones; Flenus conuellitur; & aperitur, quàm rectè redarguat Aristotelem Galenus, in attinentibus ad permansionem principij effectiui semini insiti.

CAP. VII.

Ex iam discussis & firmatis non multo negocio nonnullæ aliæ aduersæ rationes tolluntur: Et primùm quòd obijcitur, Forma erit antequam fiat; nostræ nihil officit positioni, quandò iam planè constat, non esse inconueniens, si forma sub ratione actus rudioris atque imperfecti existat, mox sub ratione absoluti & perfecti. Quod dicunt, fore, vt imperfectum id generans quod perfectum est, agat supra conditionem & vires; non sequitur, quippè semen naturæ extrinsecus gignentis, quæ primò mouit, subordinatur; à qua talem ac tantam accepit efficaciam & vim, vt in eo facultas effectrix, quantum vsus necessitas postulat, materiæ dominetur, ex qua cęptam valeat generationem absoluere.

Istiusmodi autem dominium tale esse cogita, atque ad hunc modum procedere. Calidum innatum, vbi plurimum adest spiritus & humidi primigenei, maximè viget, & generatiuum est, Dico, generatiuum simpliciter, non ad hanc vel illam formam determinatum, ad quam ex impressione gignentis dirigitur. Hęc autem tametsi leuis respectiuè, & imperfecta sit dispositio, attamen ad flectendum, rationemque formationis præscribendam sufficit; vbi scilicet vehementer corpus calidum & humidum ad generationem gliscit, non secus ac leuior temonis motus currens nauigium huc atque illuc facillimè dirigere potens est.

Hęc

Hæc etiam, quæque antea discussa & determinata fuerunt, doctissimo Fieno possunt satisfacere, vbi † adstruere conatus est, nullam in semine vitalem potentiam, aut animasticam opificem conformationis inesse: Quandoquidem dato, quod assumit, & verissimum est, potentias ab anima separari non posse, patet iam, semen non esse vitę expers, & prorsus inanime; proindeq. tantũ etiam habere potentiæ, vt substitutum vitalem rationem valeat exercere. Substitutum, inquam, non ad instar artificialium instrumentorum, aut naturalium, qualia ipse imaginatur Fienus, sed vt tale, quod naturæ principij animastici & primò mouentis particeps sit; quæ natura, quoniam non merè accidentalis est, mouetque non tam à se ipsa, quàm in virtute à primo & perfecto gignente promanante, & in semine perdurante, non sequitur (vt nuper dixi) ignobilius aut imperfectius, quod ipse obijcit, esse productiuum nobilioris & perfectioris. Vidit Vir acutus, notauitque Auertois,[a] & aliorum, qui illum sequuti sunt Recentiorum doctrinã,[b] huic nostræ positioni valde similem, damnauitque illam atque reiecit, tanquam erroneam, constanter negans, dari instrumenta; [quæ operentur per virtutem realem permanentem, acceptam ab alio; etenim operari per virtutem realem permanentem, & sibi iam connaturalem receptam ab alio, non est esse instrumentum, neque operari vt instrumentum, sed est operari vt agẽs principale, & per virtutem sibi propriam.]

† De Form. q. 6.

a 2. de gen. an. com. 1.

b Sonzinas 7. Metaph. c. 39 Carrerius Disp. 36. cap. 1.

At enim animaduerte, quam ego virtutem semini tribuo, esse illi quidem impressam atque intimam, sed non ad eum modum, atque adeò substantialiter, vt primò gignenti, neque ita independenter se habere ad operationem, vt de se penitus nata sit generare citra respectum causalem ad primum, qui debeat perdurare, quousque eiusmodi motionis principium in actum consumatum euaserit. Quapropter in naturali hoc instrumento primi mouentis contactus, si non quantitatiuus (vt inquiunt) saltem virtualis non desideretur, quem sufficere posse nescio quomodo vel ipse non inficiatur Fienus; & sanè vt non essent hęc vera, conformatrix procul dubio atque immutatrix perperam generatiuę tribuerentur, quę in generante est. Tribui autem passim ab Aristotele & Galeno à nemine (vt censeo) reuocatur in dubium, adeò vt vel etiam Fienus, contrarię opinionis assertor, viderit, quid determinet Aristoteles huic opinioni fauens,[c] & confessus sit, illius mentem esse, quòd semen se aliquo pacto habeat per modum instrumenti; licet hoc neque probatum censeat, neque rationi consonum, dicatque exemplum de spontinis esse impertinens, ac nihil facere ad rem, id monstrare tentans dupliciter: Primò, quia in

c 2. de gen. anim. c. 1. & 1. de gen. an. ca. vlt. & 7. Meta. cap. 9.

Cęterùm si omnino censeatur absurdum, ipsam agendi facultatem, quæcumque illa sit, subiecto, ex quo sit animal, adesse per modum qualitatis formæ naturam participantis, atque in materiam, cui insidet, ad transmutationem substantialem operari, etiam primo extrinsecus generanti, quod iam recessit, aut potuit interijsse, subordinatam, atque idcirco quod efficit in conceptibus, debere esse ab ipso patiente seiunctum, cogita, quæ vel ex Aristotele ipso *f* sit conditio seminis plantarum, quod materiale non minùs quàm effectiuum principium continet, quodque debuisse ab Aristotele, Athenæo, alijsque istius opinionis amatoribus, considerari, notabat Galenus. *g*

f 1. de gen. an cap. 18 & 20.

g 1. de sem. cap. 9. & lib. 2. c. 4.

Scio equidem ego quoque, & fateor, eam de semine plantarum ab Aristotele prolatam fuisse sententiam, quia censuerit in his, vt in quibusdam imperfectioribus animalibus, sexus non esse distinctos. Verùm quid hoc, quod Recentiores Galeno obijciunt, ad rem faciat, non discerno, quando Galenicus discursus aduersus Aristotelem eo fundamento nititur, quoniam is voluit in perfectorum animaliũ seminibus, quod actiuum est, ab eo, quod patitur, separare, vtpote qui crediderit inconueniens, hæc in supposito eodem posse consistere: intellige, in supposito eodem, quale genitura, vel menstruum, separatim accepta; quandoquidem licet hæc vnita semen & conceptum constituant, in quo duo hæc principia reperiuntur, non tamen ita ex Aristotele *h* videntur debere esse cõmixta, neque vsque adeo in vnam formam conspirare, vt non possint & debeant segregari, cedente altero in materiam fœtus, altero verò in spiritũ prorsus euanescente: *i* quod in plantarum seminibus non contingit, in quibus ita hæret efficiens materiæ, ex qua planta gignitur, vt non secus in ea gerat vicem formæ, ac gerat in genitura maris illud ipsum, quod operatur principium. Quanquam obseruatione dignum est, Aristotelem, cùm determinat nihil generare se ipsum, ideoq; non semen, sed quod primùm extrinsecus mouit, generationis auctorem esse, supposuisse, virilem genituram & menstruum ita vniri, vt communi forma, nõn secùs ac plantarum semina, & eorum animalium, in quibus sexus distinctus non est, coniungantur & regulentur. Vt proinde qui obijcit Philosopho, quasi ab Adrastia superato, proprium illud dogma de plantarum semine, fortè etiam de conceptu, in quo duo ista sub cõmuni forma reperiuntur vnita, siue hoc propter sexuum confusionem eueniat, siue propter aliam causam, de qua non est vt simus soliciti, nec negligens sit Aristotelicæ opinionis examinator, nec malè (vt iudicant Recentiores) argumentetur, nimirùm supponens genituram semini plantarum proportione respondere, quod tamen indiget pro-

h 1. de gen. an. ca. 20.

i 2. de gen. an. cap. 3.

 bationes

batione: etenim vbi agitur de possibili & consentaneo, dirigiturque ad hominem argumentatio, sufficit, quod in plantis conceditur, assumpsisse, scilicet in earum seminibus reperiri partem actuosam, & partem patibilem, sub vna forma indiuisibiliter coniunctas, quales in genitura contra Aristotelem suppositæ sunt; inde colligendo, si non est inconueniens hoc in plantis, neque inconueniens erit in genitura; vel si inconueniens est in genitura, inconueniens est etiam in plantis: sed non inconueniens esse in plantis, & de se notissimum est, & ab Aristotele non reuocatur in dubium, qui non aliam ob causam affirmat, plantarum semina proportione conceptibus respondere, nisi quia non secùs atque in conceptibus vtriusque sexus vires in eo semine reperiantur, quanquam postea, quod modi diuersitatem arguit, non separentur formata planta, vt separantur formato fœtu.

Sunt quidam Peripatetici non incelebres, qui inficiantur, nescio quomodo, vim plātarum seminibus effectiuam patibili permixtam; sed cùm eas crescere & decrescere pro anni tempore animaduertunt, in talium ex semine generatione ad ambientis virtutem effectiuam, vel cœlestem confugiunt, opinantes, stirpium semini primam quamdam & præcipuam partem fuisse datam, quæ, dum pullulat, vim cœlestem experiatur, atque ab hac, tanquam ab efficiente separato, nequaquam cum materia confuso, primò plantam formari. Sed toto hi aberrant cœlo: neque enim simpliciter, neque ad Philosophi mente vllam hæc habent probabilitatem. Quid, quæso, ad rem facit, vere & æstate virescere plantas, vestiri frondibus, & augeri, hieme autem contrà squalore rigescere, spoliari fronde, & naturalibus ferè omnino functionibus priuari? Nonnè pleraque sunt animalia hieme torpentia, & inopia caloris ferè prorsus extincta? quæ nemo dixerit extrinsecus principium, quo nutriuntur, sortiri, multoque minus semini eorum solam materialem vim inesse, quæ à cœlesti calore in animalis generatione patiatur & efformetur. Quod si Aristotelem audiant, vel loco ab ipsis citato, nihilo plus inde quàm ex antea confutatis hæc opinio habebit firmamenti. Scribit Aristoteles:

3. de ge. an. ca. 11. „ [Itaque quod calor in animalibus contentus ex alimento efficit, „ hoc temporis calor in aere ambiente contentus, ex mari aut terra „ concernit concoquens atque constituit. Quod autem comprehen„ditur exceptum in spiritu animali, id conceptum facit, motumque; „ imponit: constitutio igitur plantarum, quæ sponte oriuntur, si„milis est; quadam enim ex parte contrahitur, & alterum eius par„tis principium genitale, alterum alimentum fit primum ijs, quæ „ oriuntur.] In his verbis primùm sermo est Philosopho de gene-

ratione

ratione testaceorũ, aitq; quòd ficuti calor insitus animalium perfectiorum in generatione animalium eiusdem ordinis, parat menstruũ ex alimento: ita ambientis, atque anni temporis caliditas parat materiale principium generationis testaceorum ex mari & terra. Hoc verò, etsi dicatur constituere exceptum in spiritu animali, quem quidam referunt ad eundem ambientis calorem, alij ad aliam naturam: illud tamen satis constat, eiusmodi teporem aut spiritum hoc modo, nisi in animalibus spontaneo ortu nascentibus, esse principium efficiens; quod pariter vult de plantis, non quidem omnibus, sed de spontaneis.

Nihil igitur somnia hæc Galenicum discursum labefactant, quo rectè perpenso, Viri apprimè in vtriusque lectione & doctrina versati iure censuerunt, posse obijci Peripatetico, quòd admiserit, in plantarum seminibus materiam efficienti, modo iam exposito adiunctam, eidem opifici in plantæ formatione subijci, secùs verò de genituræ corpulentia euenire docuerit, quia sit inconueniens, id quod agit ex materia, cui insidet, posse quicquam efficere. Certissimum est (dicunt hi) actiones esse compositi, quod cùm sit vnum, & hoc aliquid ex materia, formaque constans, circumscriptis omnibus alijs relationibus, in agentem partem atque patientem non potest diuidi, aliter idem actu esset & potestate simul ad idem; ex quo consequeretur, contraria vnà stare posse, esse scilicet, & non esse: Id enim verè est, quod actu est; quod verò est potentia, non est: igitur cùm semen corpus sit quoddam similare, communi forma, eaque per totam materiam extensa, gubernatum, dubitandum non est, ipsum esse vnum, quod in partes, mouentem & motam, diuidi nequit. At enim (vt breuiter isthæc omnia resoluantur) animaduertere oportet, iam fuisse determinatum, primò semen non esse hoc aliquid completè; deinde partim actu esse, partim potentia: agit igitur quà actu, primoque generanti & mouenti subordinatum; quà verò potentia est, transmutatur & efficitur.

qua an semini insit, determinandum proponitur, quatenus non agē-di, sed formandi principium est, & quod in esse constituat.

Porrò autem si ob duas allatas rationes Philosophus ad enunciandum mouetur, semen & esse potentia, & animam continere, patet, potentiam, secundum quam concluditur, animam in semine reperiri, formam respicere, & principium ipsum essendi, non autem operationes. Quapropter nisi nos deludat, aut quispiam illius sensum extorqueat, exemplum Geometræ ad declarandum proponitur; vt idemmet semen propiore vel remotiore potentia ab anima, tanquam à forma distet, quam in se continet: quod perinde est, ac si dicatur, idem vt animatum à se ipso propiùs & remotiùs distare; haud secùs quàm Geometer, quà talis, si dormiat, remotissimè à se ipso distat; quippe potentia ad Geometriam per somnum imminuitur, per vigiliam restituitur, & gradatim in ipso contemplandi actu adhuc magis perficitur; per somnum imminuitur, quoniam somnus mortis imago est atque interliminium (vt Aristoteles dicebat a) viuendi & non viuendi: ex quo, dormiente Geometra, quodammodo anima ipsa, ne dum habitus, videtur resolui, vnde fermè æquiuocè Geometra nuncupetur & sit, in quo mox per vigiliam ita suus ille habitus exsuscitatur & reuiuiscit, vt denuò videatur acquiri, ac tum demùm perfici, cùm ipse contemplandi actum exercet; habitus enim cum operatione coniunctus, in suo esse perfectus est habitus, non sanè quia operatio ex se, quatenus operatio, quippiam habitui addat, sed quia cùm scientia sit veri adeptio, per adæquationem animi ad rem, prout existit in rerum natura, hanc tunc perfectè habet animus, aut tunc ab ea formatur exactè, vbi actu contemplatur, quoniam tunc maximè adæquatur cum re; quare tunc quoque maximè scientia & habitus est, immò quid perfectius, quandoquidem vbi expergiscitur Geometra mox actu incipit contemplari, & demùm perfectè contēplatur, nihil fit aliud quàm de habitu & potentia actus, cuius similitudine motus formam præcedens, si ad terminum tendat, in formam perfectiorem & præstantiorem euadit. Breuiter ita comparatio & exemplum accipi debet, vt voluerit dixisse Philosophus, sicut dormiens Geometer à Geometriæ habitu minùs perfectè formatur, perfectiùs autem vigilans, & perfectiùs adhuc cùm actu in contemplatione versatur: ita semen ab animę rudimento, dum sibi insitus calor sopitus est, minùs actuatur, magis verò tunc, cùm vterum subit, à quo fouetur & excitatur, atque adhuc demùm magis & perfectissimè, cùm iam extructa sunt organa.

a 25. de gen. an. cap. 1.

Verùm enimuerò quanquam esse non possit, vt idem dicatur à se

ipso

ipso potentia remotius aut propinquius, nisi idem secundum idem consideretur, vt si Geometra per habitum, non per operationes Geometra existens, sui ipsius respectu magis & minus consideretur esse potentia, habitus spectabitur animum formans & perficiens, non operatio: etsi, inquam, hæc ita se habeant, demus tamen, potentiam Geometræ operationes, non habitum maiorem aut minorem, completum aut diminutum respicere, equidem nemo nescit, adduci exempla ad declarandum, & opinione afficiendum similitudine, quæ rarò admodum esse consueuit omnimoda, quando vt plurimùm sufficit, si præcipuis quibusdam, & obscurioribus declarandis respondeat. Cuperem autem, pace Recentiorum, Leoniceni, & Ioannis Grammatici, notari hoc loco, eum non bene Philosophi mentem introspicere, neque vim ostendendique modum tenere, qui putat tale ex illo exemplo posse ratiocinium formari: [Sicuti Geometra dormiens & vigilans est potentia, ita semen per Aristotelem habens animam est potentia: & Geometra dormiens & vigilans ita potentia est, vt habitum Geometriæ in se contineat; ergo semen habens animã ita erit potentia, vt essentia animæ illi realiter inexistat.] Haud, inquam, bene notatur ad hunc modum ex Philosophi exemplo argumentum deduci, cùm id vel simplex verborum lectio doceat, affertur enim non ad ostendendum, quomodo semen animatum esse possit in potentia, aut quam naturę conditionem seminis potentia habeat, sed ad declarandum quomodo id, quod in potentia est, propiùs & remotiùs ab actu illo esse possit, ad quem talis ordinatur potentia.

Quapropter hæc Aristotelis sententia sit: Veluti Geometra est remotior à Geometria, vel si vis etiam, à Geometrizando, cùm dormit, quàm cùm vigilat, & vbi vigilat, minùs propinquus, quàm si actu in contemplatione versetur: ita semen potentia animatum ab anima potest per gradus esse remotum & proximum. Verùm concedatur vtcumque, ex proposito Geometrę exemplo posse & debere concludi: [Ergo semen habens animam ita erit potentia, vt essentia animæ illi realiter inexistat.] ipsaque potentia, quemadmodum Geometrę habitus, ad operationes referatur; non propterea inde conuincitur adhuc, haud sat esse si anima rudis atque inchoata semini insit: Habet hęc suas operationes pro modulo sui esse, ab his supersedet plerumque, vbi non actuetur, prout expedit, innata caliditas; dormit semen (vt ita dicam) in prostatis, exsuscitatur & vigilat dum emittitur; agit demùm exercetque habitum, cùm nutritur, augetur, circumdaturque membrana. Sed re vera cùm motio seminalis à termino ad quem (vt toties dictum) realiter non distinguatur

tur, propinquior plus minusuè esse potest formæ terminanti & perficienti, atque ad hunc sensum aperiendum vsurpatum fuisse exemplum Geometræ, probabile est. Vt vt se tamen res habeat, iam satis liquet, nullatenus ex hac Philosophi comparatione positionem nostram labefactari.

Aliæ aduersæ rationes, pro animatione seminis completa excogitatę, soluuntur.

CAP. IX.

QVoniam præter iam explicatam Aristotelis auctoritatem, alias etiam pro seminis animatione completa facere crediderunt Recentiores, nonnullasque insuper ex se rationes formarunt, ego neque has negligam. Argumentum ex doctrina Aristotelis proferunt, qui subuentaneis ouis animam vegetalem concesserit, inde quærens, cur partes & animal non efficiat? † Quare (inquiunt) clarissimum in illius doctrina remanet non modò semen marium, sed etiam fœminarum animatum esse. Esto hoc, quod neque ego inficior, indubitatum: sed an eorum, vel nostro potiùs modo subuentaneis ouis anima insit, hoc opus. Isti cùm ex Aristotelicis auctoritatibus argumentantur, immò etiam vbi ex se ipsis ratiocinantur, duo supposita faciunt, quorum vtrumque falsum esse, & iure negandum prætendam. Primum est, actionem eius, quod primò mouet, & semen confert, non transmutare & agere seruatam in semine. Alterum, animam non posse in semine contineri, nisi per modum formæ, quæ ad formalem naturam non sit ampliùs in potentia, sed ad operationes tantùm. † 2. de gen. an. cap. 4.

Porrò autem parentis animam principaliter & propriè effectiuam esse animalium generationis causam, mediante eius motione in semine conseruata, præter id, quod suprà cumulatè monstratum fuit, verba quoque Aristotelis in hac ipsa, quæ ab aduersarijs allegatur au-
» ctoritate, conspicuè patefaciunt. [Materiam igitur (inquit) fœ-
» mina præbet, principium motionis mas; & quemadmodum quę
» ab arte efficiuntur, per instrumenta efficiuntur, sed veriùs dixe-
» rim, per motum eorum, qui artis operatio est. Ars autem forma
» eorum, quæ efficiuntur, est in alio; sic à facultate, siue virtute ani-

„ mæ vegetalis agitur, vt quæ in animalibus ipsis & plantis postea „ ex alimento efficit incrementum, vtendo caliditate & frigiditate „ quasi instrumentis (motus enim in ijs consistit, & ratione aliqua „ vnumquodque efficitur) sic etiam principio constituit id, quod „ natura efficitur: eadem enim materia, ex qua augetur, & ex qua „ cõstituitur primùm. Itaque facultas quoque agens eadem, quæ „ principio est, sed maior. Quod si hæc vegetalis anima est, eadẽ „ quæ generet quoque est, idque natura cuiusque est insita, & in „ plantis, & in animalibus omnibus: cæteræ animæ partes alijs in„ sunt, alijs desunt animalibus.] Hæc Philosophus: quibus apertissimè artis comparatione & similitudine docet, declaratque, vegetalem, quæ parentibus inest, semine, tanquam instrumento subordinato, motum vimque ab eadem anima impressam retinente, vti.

Vidi equidem, quid cogitauerint, vt ex Aristotelis loquendi modo hanc generantis animam excluderent, sed noluissem, tantam eos „ atque adeo citam suarum positionum obliuionem cœpisse. [Quòd „ hoc sit verum (aiunt) attendite verba illa: [Vt quæ in animalibus „ ipsis & plãtis, postea ex alimento vis eadem efficit incrementum.] „ anima parentis non postea efficit incrementum, & primò generat; „ sed primò efficit incrementum, & postea ad generationem opera„ tur.] At enim quid de seminis anima dicent, quæ (vt sustinent) primò generat, sed postea non efficit incrementum? nihil certè aliud, nisi quod statim antea monuerant, intelligendum scilicet hoc loco esse de eadem anima specie, non numero. Idipsum eorum argumento potest responderi: Nam quæ primò generat, est anima parentum; quæ postea efficit incrementum, est anima fœtus, sed vtraque vegetalis.

Verùm dato etiam, & non concesso, de anima non in genere sumpta, prout ad generans ipsum extenditur, haud loquutum fuisse Philosophum, sed de ea tantùm, quæ in semine comprehensa est, vt hanc primò generare animal determinet, deinceps illud ipsum augere; profectò patet, istud etiam decretum cum rudimento, quale iam in semine ponendum monstraui, posse saluari, quinimò huic fauere „ sententiæ, quod ait Aristoteles: [Itaque facultas agens eadem, „ quæ principio est, sed maior.] quasi dicat, generantem, quæ in semine reperitur, animam esse rudem, & quę per modum dispositionis motionisuè proprio adsit subiecto, haud secùs (vt ipsemet enunciauit) ac facultas seu ars, per modum motus atque energię instrumento adest, organizatum verò animal augentem, per modum principij substantialis omnibus numeris absoluti corpus organicum informare

formare. Quapropter alibi [b] mirabiliter sibi constans, vsque adeò clarè hanc doctrinam expressit, vt clariùs nihil exprimi & doceri potuerit: quippe disputans contra vetustiores illos, qui formam negligentes, & de sola materiali causa soliciti, cęlum casu, animalia verò ipsa natura constare affirmauerãt, & volens ostendere, animaliũ naturam formamque esse terminum motionis seminalis, à generante limitatæ ita scripsit ad verbum: [At illi genus animalium, quodq; natura constare, extitisseque censent; cęlum autem fortè, sponteque tale constituisse volunt, in quo nihil fortunæ, nihil temeritatis deprehendi potest. Rem autem hanc esse illius gratia asserere vbique solemus, quoties finem intelligimus aliquem, in quem motus (si nulla res prohibet) terminatur. Quocirca eiusmodi aliquid esse constat, quod naturam vocamus: Non enim quodlibet, & vtcumque sors tulit, ex quouis semine oritur, sed hoc ex hoc; neque ex corpore quolibet semen quodlibet prodit, principium namque & efficiens rei, quæ gignitur, semen est: sunt hæc enim natura, & proinde ex hoc enascuntur, atque etiam priusquam hoc illud est, vnde semen exprimitur: semen enim ipsum generatio est, finis verò substantia, vtrisque autem his prius illud est, à quo proficiscitur; semen enim bifariam accipitur, videlicet ex quo, & cuius. Nam & à quo decessit, eius semen est vt equi; & eius, quod ex illo futurum est, vt muli. Verùm non eodem modo, sed vt dictum iam est. Adhæc semen non nisi potentia est, potentia autem quemadmodum ad actum se habeat nouimus.] En vt semen non nisi potentia esse, rotundo ore protulerit Aristoteles. Et quod statim subdit: [Potentia autem quemadmodum ad actum se habeat, nouimus.] vbi de forma sermo fit, quæ est principium essendi, nonne clarè indicat, ad hanc referri, atque ex intentione naturæ generantis dirigi & ordinari? Ampliùs (quod & tactum suprà fuit) cùm semen esse generationem dicit, nonnè hoc nomine euidenter instrumentariam seminis conditionem innuit, circumscribitque? quasi dicat, seminis generatricem facultatem & vim nihil importare aliud, quàm motum atque operationem, quæ in formam & substantiale principium terminetur. Quocirca illius semper meminit efficientis, à quo semen prodit, tanquam primò & principaliter mouentis; actio enim agens ipsum natura & tempore prius, à quo emanet, præsupponit. Vnde etiam contra Empedoclem antea scripserat: [c] [Quamobrem Empedocles, pleraque in animalibus propterea ita contineri, quia ita cùm orirentur accciderit, malè ait: vt & spinam habere talem, quod per contorsionem

[b] 1. de pa. an. cap. 1.

[c] Loco de part. sup. cit.

„ disiungi frangique accidit; nesciis & quam semen genitale, quod „ constiterat, vim talem habere oportet, & quam res, quæ effece- „ rat, prior esset non modò ratione, verùm etiam tempore : gignit „ etenim homo hominem. Itaque ortus talis euenit specie; quo- „ niam talis, qui gignit, est.]

Dicunt aduersarij, in tantum formam aliquam, quæcumque illa fuerit, operari & mouere, in quantum est in actu. Verissimum; Sed si adijciunt, oportere eiusmodi actum esse primum, qui respectu operationum, quas obit, debeat formæ absolutæ rationem habere. Respondebo, hoc non esse in omnibus necessarium, sed sufficere aliquando, si rudis forma sit, substitutaque agat, vt toties de seminali motione conclusum fuit. Non nego, euenire posse, quod obijciunt, scilicet & perijsse patrem, & vnius animalis oua ab altero vel diuersi generis incubari: sed isthæc omnia aduersus decretum Peripateticũ, quod suprà explicaui, tam inaniter proferuntur, quàm si in ventum iactentur brachia.

Iam suprà ex Aristotele tradita differentia est, inter artificum instrumenta, & naturaliter generantium, subindeq; patefactum abundè fuit, posse naturalia à primo etiam mouente emancipata, pro sibi indita motione, & semel concepta impressione, agere ad id, quod „ primo mouenti simile est, generandum : [Ars enim (inquit Phi- „ losophus) principium formaque eius, quod efficitur, est, sed in „ alio; motus autem naturæ in ipso est, (intellige instrumento) ab „ altera profectus natura, quæ actu obtinet formam.] Hoc autem id ipsum est, ac si dicatur, instrumento artificis artis habitum nullatenus communicari, sed motionem tantùm, ac propterea semoto artifice, statim & vim & operationem deficere, motum autem naturæ in illius instrumento seruari, quando non sine participatione principij mouentis imprimitur, tametsi in virtute primi semper efficiat. Operationes præsentiam formæ, vitalemque facultatem significare; semen quoque actiones edere, quæ in eo animæ principium attestentur, facilè concedam: sed hoc esse incompletum asseram, & vt suprà notatum, non ex toto accidens, non omnino forma. Cùm recipiunt, plantarum semina plantis coniuncta animam, qua aluntur & augen- „ tur, habere, non repugno; sed vbi subiungunt: [Sicuti & partes „ plantarum.] non assentior, qui puto, plantæ semen eo modo, quo plantæ partes, particeps animę non esse: signum, quòd cùm maturuerit, decidit, non augetur ampliùs, non nutritur; Si communi anima eodem modo perficiente potiretur, esset plantæ pars eadẽ viuendi ratione gaudens; at plantæ non est pars, quia vt planta non

est

est organizatum, neque cum planta nutritur & crescit, nisi ad tempus: inde neque eodem prorsus modo viuit, nutritur, augetur; bene dum ipsi manet coniunctum, & pro tempore à plantæ anima tantum recipit motionis & facultatis, quantum sufficit. vt ad certum vsque terminum nutriatur atque efformetur, donec scilicet perficiatur potiùs vt conceptus, quàm vt semen; sed quod remanet, & ad genitalem pertinet vim, rudimentum quoddam est, atque inchoatum quippiam, non perfectum & absolutum.

Eorum rationes examinantur & resoluuntur, qui semen in testibus confectum nullatenus esse animatum constituunt; & sententia reijcitur, quę semen formatum, ideoque integra anima prę ditum, à totis spermaticis particulis decisum sustinet.

CAP. X.

EX hucusque peracta disputatione satis (ni fallor) consonè & probabiliter elicitum fuit, semini in testibus genito absolutè non esse animam denegandam, sed neque tamen completam tribuendam. Reiecta igitur illorum sententia, qui semen hoc non organizatum perfecto actu, quantum ad essentiam animę pertinet, animatum defendunt; restat, vt aliorum expendamus rationes, qui hoc prorsus inanime crediderunt. Hi fuere quamplurimi, tam vetustiores, quàm Neoterici, tam Aristoteli addicti, quàm liberé philosophantes, quorum argumenta communiter adducta, quòd semen non sit corpus organicum; quòd semen plantæ habens vegetalem, sit iam planta; quòd semen sit corpus viuens; quòd instrumentum eandem habeat formam, quam primum agens; quòd malè dicatur, ex semine fieri animatum, si ipsam haberet animam; omnia ex iam determinatis facilem habent solutionem: Nam rudimentum formæ non requirit dispositiones, quas perfecta forma, non perficit omnino substantialiter. † semen imperfectè viuit, habet eandem generantis formam, sed non per modum completi actus, & tandem non ita est animatum, vt adhuc non sit ad animam in potentia, quapropter ex hoc animatum valeat generari, Ita nullo negocio

† *Vide D. Thomam 1 par sum ma q. 118 ar. 1. ad 3*

Fieri

a 8 Ferm. c 5.

Fieni argumento a respondetur, quòd cum neque spiritus, neque sanguis corpora sint animata, non apparet, qua ratione iuncta animã acquirant. Iam enim satis constat, per vlteriores compositiones formas præstantiores causari, & per coctionem, atque assimilationem animam ex assimilato educi. Adde, non defuturos, vel ipsiusmet Fieni confessione, b qui spiritui & sanguini aliqualem animę concedant participationem, cuius fortasse meritò illius redduntur ancipitis naturę, quam ipsis tribuunt Seneca, c cuius antea memini, d & doctissimus Valesius, e censentes hos esse quasi partes viuentes, non simplicem materiam, ex qua istę nutriantur & fiant.

b 8 Ferm. c 7. vide etiam quid dicat 8 vir. imag q 1.
c 2. Nat. q. cap. 3.
d Sect. 2. cap 5
e 2 côtrouer. cap 4

Mitto rationes alias, magis futiles & inanes, quàm vt ipsis particulariter debeat responderi, & ad Recentiores alios transeo, qui duplici posito semine; altero à toto deciduo, dissimilari & delineato; altero in testibus genito, similari & non delineato, secundum hoc prorsus inanime esse professi sunt, tùm alias ob causas, tum maximè, quia non facilè est inuenire responsionem, quę animam impleat, quando quis animę impartibilitatem opponat, si, vt plerumque vsu venit, plures ex vna seminis emissione fœtus procreentur. Rursusq; si obijciatur, plurium animarum in vnam coalitus, vbi multę separatim seminis perficiantur portiones, quę in assidentibus vnum aggregatum vno initu eijciendum constituant. Quapropter vel ita inanime semen poni debet, vt anima in eo, vbi vterum subierit, de nouo penitus generetur vna, vel plures; vel si animatum statuatur, tale erit necessariò, vt in eo semel animato nequeant animę plurificari, aut plurificatę in vnam coniungi. Addunt, quia cùm semen, quod primum constituunt atque animatum, nutriri debeat, non est vnde illi pro sui tenella ac recenti natura congruum suppetat alimentum, nisi ex secundo spurioque (vt dicunt) in testibus generato: Quapropter hoc prorsus inanime, vt pote alimentum; illud verò complete animatum, vtpote iam delineatum, & partis natura prçditum, statuendum putant.

Debere autem admitti, quod primum & verum semen appellant, à singulis corporis partibus deciduum, figuris membrorum atque anima exornatum, primùm nituntur probare, quia ex mutilatis mutili nascuntur: hoc autem esse non posset, nisi formatum semen à toto prodiret.

Secundò, quia non facilè absque hoc semine à toto defluente potest reddi verisimilis causa hæreditariorum morborum, verrucarum, næuorum, cicatricum, & similium, quæ in parentibus & filijs eadem in parte & situ spectantur, eiusdem coloris, & plerumque etiam

ma-

magnitudinis. Neque pariter, cur fœtus, cæsijs puta oculis, adunco naso, & eiusmodi alijs, nascatur patri similis, quando idem sit specie simile semen in Socratis, Platonis, atque aliorum genitalibus: ex quo sequitur, vt in hoc & anima eadem sit, & materia, pariter & semen, & calor insitus.

Tertiò, quia non potest assignari ratio, cur calor insitus vnius à calore alterius partis dissideat, nisi semen ab harum particularum temperie limitatum probemus; semen enim genitalium vnica & simplici temperie prẹditum, vnius tantum, non plurium temperamentorum esse poterit causa, quando nihil dare valet, quod non in se habet.

Quartò, quia non potest expelli semen in prostatis contentum, nisi à superueniente alio propulsum: Neque enim tensio seminaliũ vasorum, quam introducit Galenus, quicquam potest, vbi prostates, in quibus asseruatur semen, neque intendi possunt, neque moueri.

Quintò, quia partes spermaticæ semen generant, quo nutriuntur, ex quo quod superfluit, omnis ratio vult, id in generationis opus insumi.

Sextò, delectatur (inquiunt) puer, & resoluitur, non emittens quod in testibus gignitur semen; contrà non delectatur adultus, qui in gonorrhẹam, & nocturnas incidit pollutiones: quo signo concludere expedit, aliud esse semen, quod exiens facit delectationem atque resoluat.

Septimò, quia oculi à seminis eiaculatione patiuntur, excauantur, liuescunt, & artus debilitantur: hoc autem ob spirituum euacuationem non succedere argumento est, quòd genitalia sæpenumero turgeant ex affluxu spirituum, neque tamen horum quicquam succedat; quare satiùs est, ad semen, quod iam dicto modo à toto decidat, confugere.

Octauò, quia nisi ex hoc semine à toto diuulso fœtus generaretur, sed ex eo, quod in genitalibus est elaboratum, nunquam monstra nascerentur aliqua parte manca, & semper fierent redundantia. Ratio primi, quia posset ex qualibet genitalium seminis guttula animal gigni, docente Philosopho, & communi opinione non reclamante, cuilibet homogenei particulæ conuenire, quod conuenit toti. Ratio secundi, quia cùm perpetuò plurimæ guttæ eiaculentur, si vna sufficit, plures sunt semper superflụ, ex quibus superflụ semper partes generabuntur.

Confirmant denique auctoritate priscorum Philosophorum, qua-

quales Democritus & Epicurus, cum quibus & diuinum Hippocratem sensisse, nonnullis illius adductis sententijs patefaciunt. Neque hanc Aristoteli opinionem displicuisse, quinimò non vno in loco & adamasse illam, & sustinuisse habent pro comperto, vbi potissimùm semen esse voluit excrementum alimenti, quod vltimum in membra digeritur.

Porrò autem antequam vlteriùs progredior, tum ad eruditionem, tum vt appareat, quę sit affinitas inter opinionem Recentiorum, & Democriti ac Epicuri, quorum auctoritate postremo loco suas positiones confirmant, horum antiquorum placita, & aliorum parùm discrepantia, vt ad propositum pertinent, quàm breuissime exponã, tametsi de his nonnihil etiam antea notauerim. f

Democritum & Epicurum censuisse, genituram ex totis procedere corporibus, præcipuisque eorum partibus, veluti carnosis fibris & ossibus, præter Auerroem g, & Ioannem Grammaticum, h teste m etiam habemus Plutarchum i. Ab istis Anaxagoras etiam, & Empedocles ex Aristotele, k non longè discedunt; in eo tamen videntur differre, quòd voluerit Anaxagoras, statim ab initio sexuum discrimina fieri; Democritus verò cum Leucippo id contingere affirmauerit, pro virilis aut muliebris seminis præualentia. l Non enim apud istos pro sexuum constitutione partes, quæ supponuntur in semine, considerantur, sed quæ remanent in formato fœtu: in qua sententia esse non poterat Anaxagoras, vtpote qui affirmaret, fœminam solummodò locum prębere, marem verò totum semen, vnde statim in genitura, quod futurum erat mas aut fœmina, debuit collocasse. Empedocles autem in tantum fuit peior Democrito & Anaxagora, in quantum semini membra tribuens, partim à mare, partim à fęmina prodeuntia, ex vtero postea calidiore vel frigidiore emanare sexuum discrimina censuit. m Quo autem pacto ex præualentia genitalium muliebria & virilia constituerentur pudenda, à nemine satis explicatum inuenio. Ratio quæ hos mouit, vt formatum semen admitterent, quantum ex ijs elicere possum, quæ de Epicuro Laertius memorat, in eo fundabatur, quòd nihil possit ad alicuius speciem immutari, nisi corpus sit, quod ex contactu similitudinem vel consensum cum eo, à quo decedit, retineat: ita fieri visionem, ex istorum sententia narrauit Plutarchus; n reliquos autem sensus eadem ratione per atomorum globos seu tumores affici, in Epicuri scripto fusè & perspicuè patefecit Laertius.

His explicatis, ad Recentiorum sententiam & rationes reuertor, quibus quãuis alij o satis appositè respõdeant, ego tamen quoq; iuxta

mihi

f Sect. 1. cap. 6.
g 4 de ge. an com. 1. cap. 1.
h ibidem
i 5. de Pla. Vet. Phil. cap. 3.
k 4 de ge. an. cap. 1.
l vid. Plutarc. 5. de plac. Vet. phil. ca. 7.
m Vid. Arist. loco de ge. an cit. & Plut. loco prox. suprà cit.
n 4. de pla. Vet. phil. cap. 13.
o Mund. de Genit. par. 4. c. 5.

mihi probatas hypotheses, aliquid in medium proferam.

Ad primò igitur proposita aduersantia quod attinet, hoc meum est iudicium, rudimentum animę cum sit quid indeterminatum, atque incircumscriptum ex natura subiecti, cui nulla adsunt organa, & figura nulla, cumque insuper eadem sit in toto semine temperies, & caloris dispositio, posse in plures eiusdem naturæ formas, si subiectum diuidatur, partiri, non secùs ac vnica in speculo imago in plures, si frangatur vitrum, & separetur, diffinditur, quarum singulæ integram imaginem repręsentant, & veluti si denuò vitrum continuum, aut saltem partes illæ fractæ contiguæ fiant, vnam tantum, qualem antea, imaginem reddit: ita multæ seminis particulæ separatim genitę & animatæ, si continuentur & confundantur, propter iam dictam incircumscriptionem atque vniformem temperiem, in vnam numero communem formam & naturam degenerant. Hoc autem nescio quomodo inficientur Neoterici, qui aliàs semen à toto deciduum animatum sustinuerunt, non masculeum tantùm, sed etiam fœmineum, quæ duo vbi coniunguntur, atque vnica numero anima regulãtur, procul dubio ex duabus vnam fieri animam necessariò fatebuntur; vt necessariò etiam coguntur fateri de animabus, quæ in diuersarum specierum geniturıs habeantur, quas in vnam coniungi vel Hippocratis testimonio confirmant, dicentis: [Si quis animam animæ commisceri non credat, demens est.] p1. de dia

Dicam amplius, vegetalem animam, qua sola perfici semen puto, posse, ob sui imperfectionem & naturæ communitatem, in plures diuidi, etiam in organizato subiecto, ceu planta. An verò, si trunco cuipiam surculus inseratur, duę animę in vnam numero communem coalescant, non ausim constanter affirmare vel negare; etenim ex altera parte ab vna, & eadem dispensantur radicatione, continuatur vtriusque innata caliditas ac temperies, viuitque surculus tamquam matricis particula; ex altera sunt surculi diuersę speciei, qui insiti suæ naturę fructus ferunt, ab ijs specie diuersos, quos materiæ producere consueuerat, vel actu aliquando etiam producit, quo argumento specie adhuc videntur differre, quapropter multò magis numero discrepabunt. Hocque voluissem à doctissimis istis Neotericis animaduerti, neque absolutè pronunciari, insititia hæc cum matrice vnam fieri plantam, hoc est, vna atque eadem anima regulatam.

Ad id, quod secundo loco in contrarium adducebatur, de necessaria animati seminis nutritione, pro qua cõgruum alimentum pręter semen spurium non est paratum: quamquam haud desint, qui

censeant, animam functiones proprias exactè non obire, antequam suo perfectè potiatur subiecto, nisi forsan secundum quandam analogiam, qua (vt arbitror) ratione permoti semen propriè nutriri nolunt. Quando tamen ex antea dilucidata & probata Galeni doctrina satis inter nos conuenit, semen vtcumque animatum debere nutriri, nihilque esse tam aptum ad hoc nutriendum, quàm semen, in eo consistit confutationis summa, vt aduersariorum adductæ rationes tollantur, & cum illis quæcumque de semine imaginantur, quod verum & propriè semen appellant, à spermaticis omnibus & totis particulis secretum, statimque euadens paruum animal, vtpote quod & animatum statuatur & formatum; vel, vt dicunt, delineatum: hoc censentes ad generationis opus conferri, in ipso Veneris actu quassatione & agitatione corporis separatum ac protrusum, indeq; à testium spiritibus ad genitalia comportatum, quo tempore ad propriũ principium ex illius affectu reuocati se recipiunt. Monere igitur oportet hoc loco, omnia hæc, firmioraque, quibus confirmabantur argumenta, facilè corruere, tum ob ea, quæ iam de semine in testibus genito, tum ex ijs, quæ de spiritibus eiusdem, deque multiplicis virtutis formatrice fuere determinata: de quantitate insuper nimia materiæ, quando à toto, vel si sit merè spirituosa, supponatur defluere, & de reliquis alijs compluribus, quæ contra spiritus à toto deciduos conscripsi spectantia ad motiones illorum, ad causas decurtationum & excessuum, similitudinum, hæreditariorum morborũ, verrucarum, næuorum, cicatricum, & similium, quę in parentibus & filijs eadem in parte, & situ enasci posse, absque semine, aut spiritibus à toto delapsis, monstratum est suprà; p vt reliqua dimittam minoris roboris, quàm vt pluribus resoluenda sint. Quod si à superiori disputatione istiusmodi imaginarium semen quoquo pacto nō esset explosum, nunc prorsus deberet proscindi, quoniam non sufficiēter confutatum integram geniturę animationem necessariò inducet, suppositiones Aristotelicas & Galenicas mihi probatas euerteret, ac laborem hucusque impensum irritum faceret, in cuius rei gratiam hoc quoque loco absurditates nonnullas tangam, quæ ad hanc aduersariorum positionem consequuntur.

p *Sec. 1. cap. 11. & 13. præcipuè.*

Galeno impossibile videbatur, animales spiritus longè tenuissimos posse imperforatos neruos permeare, cur non iudicabit alius imperceptibile, vt materia, si non sanguine crassior, saltem rore & aqua non tenuior, æquè, immò longè magis compacta corpora, puta ossium, cartilaginum, & similium, tam promptè & citò valeat pertransire? Non miretur ergo quispiam, si me intellexerit admirari, quonio-

quomodo vt plurimùm alicubi, ceu liquor in phialę inuersę oscillo, ad angustum non redigatur coaceruata, inde non exeat, sed retardetur, distendat, disrumpat stipata atque impetu pulsa. Nec mirum, si difficile captu putem, quomodo à toto decidat hoc delineatum semen, sine integra partis magnitudine, cùm figura, quę huic substantię partibus adhærescenti ex iisdem partibus comparatur, quantum ipsiusmet partis nutriendę figura, antequam decidat, extendatur. Mirumq́, quomodo post decisionem contrahatur. Difficile intellectu, quomodo vniantur portiones, vel vnitę procedant. Difficile, quomodo vt plurimùm duo fętus non gignantur, integro animali existente, tam masculeo, quàm fęmineo semine, quod Aristoteles etiam antiquis obiecit. Aut sáltem valde mirum, quomodo iungantur in vnum, digito scilicet digitum ingrediente, brachio brachium, & sic de reliquis: & si (vt inquiunt) miscentur & cõfunduntur, arduum est imaginari, quomodo non frangantur figurę, interturbentur, soluantur. Volebant Democriti atque Epicuri sectatores, quorum (vt vidimus) in proposito sententias multum probasse visi sunt Neoterici, maximè conferre ad seruandum ordinem atomorum & situm, vnde figuræ conseruatio pendebat, quòd ex sũma decederẽt superficie, viaq. prosilirẽt haud obliqua, anfractuosa, aut quouis modo distorta; hoc.n sibi volunt Lucretij carmina. † † *Lib.* 4 *de Re. Nat.*

„ Præterea omnis odos fumus vapor, atque aliæ res
„ Consimiles, ideò diffusę è rebus abundant,
„ Ex alto quia dum veniunt, intrinsecus ortæ,
„ Scinduntur per iter flexum, nec recta viarum
„ Ostia sunt, quà contendunt exire coactè.
„ At contrà tenuis summi membrana coloris
„ Quom iacitur, nihil est quod eam discerpere possit,
„ In promptu, quoniam 'st in prima fronte locata.

Modò si semen ex profundo corpore, atque ex partibus dimanat vsque adeo confusis & complicatis, vt eas, nec Lynceis oculis discernas, neque potest ab omnibus membris ad locum, in quem recipitur, recta ferri; qui fieri potest, vt in ipso figura & imago membri, à quo decesit, seruetur? & si non seruetur, irrationbile apparet, quòd permaneat in his anima, figuratum corpus expostulãs. Mirum, quomodo non semper formentur monstrosa pudenda, & quæ ad hæc pertinent genitalia, ea enim ipsi & figura, & substantia, & numero, & situ diuersa constituunt. Mirum, quomodo molæ informes, homines beluino capite generentur. Nec præterea facilè assequitur ratio, vt singulæ partes vno eodemque tempore expellant, quasi cur-

ſores expediti, qui dato ſigno illico à termino euolant ſimul omnes, & tamen vero ſimile non eſt, remotas æquè ac proximas, ſegnes atque ac promptas celeriter excitari, ſecernere, & ſecretum protrudere; quibus enim plus ineſt ſenſus, illas magis & citius voluptate affici, inflammari, concuti, probabile eſt; quæ verò minus ſentiunt, ceu teſtium & cerebri ſubſtantia, medulla oſſa, & ſi quæ aliæ ſimiles, eas minus citò & difficilius. A conſentaneo alienum, ſi ex ſpurio ſemine, informi, & inanimi, animata & formata fieri poteſt pars, cuiuſmodi membrana fœtum inuoluens; non itidem poſſe & alias, ſed corpus neceſſariò requiri delineatum, atque anima præditum: ex quo ſequitur, animalia pleraque vnica ſeminis eiaculatione plures fœtus generare non poſſe, quod viros rerum mundanarum peritiſſimos, & diligentiſſimos obſeruatores, ſuſtinuiſſe comperio, cùm tamen contrarium in ſuibus, canibus, & ſimilibus, quæ cicurantur multiparis integrum ſit cuilibet obſeruare; tanta certitudine, vt nullus relinquatur ſuſpicioni locus.

Quod ex ſuperfœtatione, ad quam refugiunt, partus procedant plurificati, ſexcentos inuenias generaſſe gemellos, qui ſemel tantũ ſingulo initu ſe ſenſerint exolutos. Si ſeptem, octo, & plures infantes vnico partu naſcantur, quos omnino incredibile ſit ex pluribus ſeminibus per ſuperfœtationem fuiſſe conceptos, id ſupranaturale eſſe contendere, non eſt ſcientificum, nec in præſens mea confutatione indiget. Dicunt, partes præ ſua exiguitate latere, & tamen Ariſtotelis ratio non debuit non animaduerſa præteriri, vbi ſcribit ad verbum: [Sed enim non ſimul omnia effici, vel ſenſu percipi poteſt, cùm partes aliæ iam ineſſe, aliæ nondum adeſſe cernantur; nec dici poteſt, eas præ ſua exiguitate latere, pulmo enim, qui amplioris quàm cor magnitudinis eſt, poſterior corde in primo ortu conſpicitur.]

2. de gen. ani. cap. 1.

Diſplicet quin etiam, eos aſſeruiſſe, ſemen eſſe paruum animal, in quo tamen confuſa ſint membra, & partes diſtractę, neque obſeruaſſe formam animalis poſtremas in materia diſpoſitiones expoſtulare, quæ ſint corpus organizatum, quale ab operationibus requiritur, quas animæ facultates natæ ſint exercere, taleque eſſe non poſſe, niſi inſtrumentariæ partes obtineant conuenientem ſitum & connexionem; indeque neceſſariò conſequi, citra hęc ſtare animam non poſſe, eius ſcilicet modi, cuius iſti ſemini tribuunt.

Abſurdum denique in hac opinione eſt, ſolas ſpermaticas verum ſemen producere, non etiam ſanguineas, quæ multo magis deberẽt conferre, tum quia calidiores, tum quia molliores atque humidiores

res, qualem esse seminis constitutionem & temperiem non solùm Aristoteli, c sed plerisque alijs omnibus Physicis in confesso est: an nõ sentiunt? non delectantur? carentne forsitan ijsdem naturalibus facultatibus, quibus spermaticæ præditæ sunt? Et si est absurdum, carnosas ex sanguine genitas partes non viuere, animaque non esse donatas, quippe quæ citra controuersiam nutriantur & augeãtur; quomodo si viuunt, non erit etiam absurdum, partes viuentis animalis non esse? & si sunt, esse posse sine ipsis animal viuens, eadem anima formatum, qua generans? quasi totum organizatum corpus, quod vnius formæ vna est materia, esse possit integrum absque omnibus suis partibus organizantibus, animaque in genito non easdem dispositiones in materia postulet, quas in generante. Et si dicatur, carnosas partes vel minùs aptas, vt redundans generent alimentum, vel solas speciei propagatiua destitutas fuisse; quænam, amabo, assignabitur ratio, quę non sit penitus voluntaria? Confirmabant antedictas suas positiones Hippocratis atque Aristotelis auctoritatibus, sed pręterquam quòd in hoc istę sunt minùs receptę, etiam non vsquequaque Neotericorum sententię fauent; licet enim Viri grauissimi semen à toto deciduum constituant, hoc tamen formatum, spurioque nutritum non concedunt: Nullamque horum adhibent distinctionem, sicuti neque Democritus, neque Epicurus, quorum hypothesis & Leucippi, & Anaxagorę, & Empedoclis, & similium elementa impatibilia consequebatur; neque alijs meliùs poterat consentire, quin etiam satis apposité sequebatur conuentus atomorum, & defluxiones, nec non dogma illud, quod iam diu è Physicorum scholis exulauit: Nihil scilicet simpliciter generari, nihil simpliciter corrumpi, qua de re alibi fortasse fusiùs. Quid de principijs credant isti, mihi satis non est compertum; habendæ tamen interim ipsis gratię sunt, quia saltem alios satis ingeniosis inuentis & rationibus excitauerint.

c de Gen. ani. cap. 4.

Apo-

Apologia breuis pro Galeno aduersus Neotericos, statuentes semen organizatum atque anima præditum.

CAP. XI.

HIs rationabiliter (vt puto) Neotericorum opinio reiecta est. Restat, vt non antea cum istis agere desinam, quàm Galenum defenderim, quem in suam sententiam, mox & in contradictionem trahere conati sunt: In suam sententiam, quia aliquando concesserit, semen esse animal, & præterea
† 1. de sem. cap. 6. sustinuerit, † nutriri, augeri, & facultates naturales habere, quæ non nisi in anima prædito esse possunt, quale animal: In contradictionē, quia alibi semen negauerit esse animal, vbi scripsit ad verbum:ᵃ
ᵃ 2. de Nat. fa. cap. 3. „ [Verùm hic aduertere debemus ac videre, ne semini imprudentes rationem quandam intellectumque tribuamus; quippe qua ratione nec semen id, nec etiam naturam fecerimus, sed iam animal. „ Atque si ita tueri vtrumque debebimus, & quod mediocre trahit, „ & citra intellectum, vtique quemadmodum magneti lapidi trahendi ferri, sic seminis trahendi sanguinis facultatem inesse dicemus.] Hęc Galenus; quæ ineptè dicta adstruunt Recentiores, & alijs contradicentia: hoc quidem, quia semen animal esse concesserit; illud verò, quia vermes & plantæ trahunt & nutriuntur sine intellectu, & tamen citra controuersiam sunt animantia.

Modò quòd naturales facultates Galenus semini tribuat, non inficior, vt neque nego, semen viuere; cæterùm quòd inde sequatur, ergo semen animal est; constanter negandum existimo, sicuti quòd Galenus semen propriè esse animal, vnquam asseruerit. Neque enim vnde hoc eliciant satis scio, nisi ex loco forsan secundi de Nat. fac.ᵇ
ᵇ Cap. 6. „ quem antea recitauerant per hæc verba: [At formare & condere „ non eius est partis, quæ secundò fit, sed eius, quod fuit priùs; quare necesse est, statim ex ipso maris semine naturæ facultates, qui„ bus format, auget, nutritque, animal esse præsumere.]

Porrò autem, vt huiusce orationis germana teneatur sententia, animaduertere oportet, Galenum aduersus eos, qui elementa immiscibilia & insectilia ponebant, hæc, quæ ego in ipso non Latinè so-

lum

lùm, sed Grecè etiam loquente inuenio, ad verbum scripsisse:
„ [Si enim in simplicibus his vnitionem quandam substantiæ non
„ relinquemus, sed ad elementa, quæ nec coalescere possunt, neque
„ diuidi, descendemus, omnino naturæ artem perimemus, quod
„ vtique omnes faciunt, qui hanc hypothesim pro principio habēt,
„ tum Medici, tum Philosophi: quippe secunda & posterior anima-
„ lis partibus secundum hanc hypothesim natura est, non prior,
„ At formare & condere non eius est, quod secundò fit, sed eius,
„ quod fuit priùs: Quare necesse est, statim ex ipso maris semine
„ naturæ facultates, quibus format, auget, nutritque animal, esse
„ presumere.] Hæc Galenus, in quibus non de parte secundò facta, sed de natura partibus posteriore sermo est; neque semen esse animal adstruitur, sed ex semine procedere naturales facultates, quibus format animal, auget, & enutrit. Monendi autem hoc loco sunt lectores, in meo Codice Iunctino editionis tertię, cadere & apponi distinctionem inter duo illa verba [animal] & [esse] prout in proximè adductis videre est: ipsos verò Recentiores distinctionem hanc anteponere, vt cadat inter duo illa [nutriatque] & [animal,] quemadmodum in verbis ex eorum exercitationibus translatis notari potest; quod tamen non crediderim, data opera à Viris ingenuis fuisse factum, sed culpa potiùs aut Typographi, aut textus minùs emendati. Nam eiusmodi interpunctionem, ac sensum, qui ex ea nascitur, nullatenus portare verborum & ratiocinij sententiam ac seriem, nemo (vt arbitror) est, qui non statim agnoscat.

De ineptia, in quam profitentur incidisse Galenum, multa non sunt dicenda, quando quilibet, qui iam allegata verba bene ponderauerit, facilè intelliget, inibi monuisse Galenum, debere credi, quę semen exequitur, ea non esse cum electione facta, sed naturali solum
„ instinctu & proprietate, quod illa important verba: [Ne semini
„ imprudentes rationem quandam intellectumque tribuamus.]
„ Dicit, [rationem quandam,] non simpliciter [rationem, & intellectum,] scilicet cognitionem significans, ex qua electio vel etiam in brutis exoritur. Modò an, vt ipsi intelligunt, ex naturalibus facultatibus semini insitis inferri posse putet Galenus, Ergo propter has intellectu preditum semen est: an potiùs, si intellectu præditum supponatur, necessariò consequi, ipsum esse animal, non est vt pluribus patefaciam. Bene dicit, attractionem, formationem, & reliquas istius ordinis actiones, quæ ex instituto fine factæ videntur, posse quempiam in suspicionem adducere, vt semen cognoscendo agat; sed insuper etiam addidit, eum, qui id ex antedictis operationibus colli-

colligat, imprudentem esse, tantum abest, vt ipse ad hunc modum esse syllogizandum existimet. Et hæc breuiter cum his disputata sufficiant.

Quæ sit substantia principij animastici semini insiti.

CAP. XII.

Conclusum fuit, semen licet potentia sit, continere tamen quoquo pacto animam, quam ex Aristotele perfectionem esse, latè antea patefeci. Nunc reliquum esse videtur, pro istius principij natura exactiùs dignoscenda, inuestigare, qua in re eiusmodi consistat perfectio. Nam G. E. ignis formam eius esse perfectionem posuero, quantumuis maiori ex parte rerum naturalium formæ in se citra hanc respectiuam notionem imperceptibiles sint, ideoque frustra vt plurimùm requisitæ; non tamen acquiescet ex toto animus, nisi intellexerit, an hæc sit caliditas, aut aliud quidpiam prima hac qualitate circumscriptum. Idcirco qui in hoc negocio ante & post Aristotelem fuere versati, ad tale esse respicientes, alij ignem, alij aerem, aquamuè, aut terram, alij corpus ex his conflatum, vel ex atomis, aut ramentis, alij incorpoream substantiam, alij spiritum, alij sanguinem, alij pro suorum principiorum conditionibus aliquid aliud animam esse opinati sunt: quorum sententias si vellem in præsentia referre & confutare, superuacaneã & morosam disputationem instituerem. Vt igitur breuibus, quantum in me est, propositam contemplationem expediam, eam, quæ mihi videtur probabilior, sententiam in medium proferam, & pro viribus confirmabo.

Andronicus Rhodius, † qui ab Aristotele vndecimus, Ciceronis tempore, Aristotelis ac Theophrasti volumina à Tyrannione Grammatico accepta vulgauit, exposuit, ordinauit, correxit, ex quo Peripateticus fuit appellatus, censuit, a animam vel temperaturam esse, vel facultatem ex temperatura prodeuntem. Hunc Galenus ingenuitatis nomine commendat, sed in eo arbitratur deficere, quòd facultatem animam dixerit, cùm alioqui satis constet, animam esse substãtiam facultatibus prædicatam. Contra verò Alexander, b animã mixtio-

† *Ex Am. In lib de Inter. ab in. & ex Plut. in Sylla*

a *apud Galen. in lib. Quòd ani. mo. cap. 4.*

b *1. de an. cap. 7.*

ctioni & temperaturę superadditam vim, siue ex ea promanantem autumat, quæ medicinalium potionum virtutibus comparari rectè possit, ex multarum rerum immixtione compositis.

Ego quid de tantorum Virorum controuersia determinandum existimem, quantum in re ardua tenue valebit ingenium, Galeni sententiam dilucidando atque amplectendo explicare tentabo, præassumens, animam substantiam esse, vel substantialem partem; quæ, si consideretur in se, dicit aliquid aliud, quàm perfectionem & actū, licet, quicquid postea illa sit, omnino (vt suprà monstraui) sine substantiali ad propriam materiam habitudine esse non possit. Quippe si in producto caliditatis exemplo lubeat persistere, quod cæterarū materialium formarum conditionem repræsentet, hanc nemo Peripateticus ignis formam posuerit, nisi cum tali siccitate, leuitate, raritate, quæ quoniam subiecti corporis dispositiones sunt, qualitati formanti modum, & rationem quandā peculiarem adijciunt, per quam esse formale in suo consequitur elemento. Talem autem respectum non in eo, quod mere est ad aliquid, sed in eo, quod alius dicitur, vel alicuius, consistere diceret Alexander; [c] qualis capitis habitudo est superficiei & partium secundarum substantiarum, generis scilicet, vt ego interpretor, & differentiæ. Quanquam non defuerunt, qui eiusmodi naturas, similesuè alias nullatenus includere respectum ex Athenodori & Cornuti placitis, opinati fuerint, quos conuellit Simplicius [d] Boethum probans, qui concederet, caput & manus, quatenus partes, esse ad aliquid, non quatenus caput aut manus, qua postrema consideratione substantiam & quid absolutum important; quod de similibus alijs eum censuisse, rationi consonū est, quæ licet ex se naturam, qualem substantiæ, absolutam habeant, respectum tamen, quamuis sub diuersa ratione, ad aliud videntur includere: quemadmodum si calorem in se consideratum qualitatem esse sustinuero: vt verò forma est, respectum atque habitudinē ad ignem sortiri, quod non inficiatus alibi est Alexander. [e]

c 2. Nat. q. Cap. 9.

d In præd. cap. de his que ad aliquid.

e 2. de an. cap. 4.

Vbi igitur satis liquet, aliud quidpiam pro suo esse absoluto & substantiali animæ conuenire, quàm perfectionem & actum, sub respectiua, quantumuis essentiali, ratione consideratum; immò, vt dicam quid amplius, vbi quod in se habet vel continet perfectionem (sic enim Græcè sonabat nomen ἐντελεχείας) aliam à perfectione, quam in se contineat, essendi rationem habeat necesse est; ego ad hanc ipsius essentiam inuestigandam tali via procedendum existimo. Cōstat, animam esse principium per se operationum & causam; Caussa per se illa putatur, qua posita, per se ponitur, & qua ablata, per se

 aufer-

aufertur effectus. Nil ergo cùm reperiatur in corpore viuente, aut possit excogitari aliud, quo posito aut ablato, simul operatio ponatur vel deleatur, quàm facultas & temperamentum, inde remanet, vt alterò ex his duobus excluso, reliquum anima sit: sicuti vidisse etiam & probasse visus est Commentator. *f* Declaro tamen, quòd cùm animam dico, eam semper intelligi volo, quæ brutis communis est, & de materiæ elicitur potestate: Nã quæ tenetur in homine, verèque est immortalis, & cuius existentiam, naturam, & conditionem, qualem nostri tradunt Theologi, constanter credo; neque Galeno, vt ipse non vno in loco fatetur, *g* fuit satis perspecta: neque vllatenus mihi nunc venit consideranda, & quatenus veniret, longè aliter de attinentibus ad ipsam sentirem, & quæ sensissem omnia correctioni Sanctę Romanæ Ecclesiæ, quæ est firmamentum veritatis, submitterem.

f 3. de ani. com. 6.

g 7 de vsu par. cap. 8. de vtil. respi. cap. 5. 9. de plac. Hip. & Plat. cap. 9. 5. in 6. Epid. 5. 5. Simpl. cap. 9. postrema vero in fragm. de sub. facul. nat. & li. quòd animi mo. ca. 3. & de fœt. for. c. vlt. q. loci sũt maximè proprij, & in quibus aut nõ inficiatur aut saluare nititur rationalis animæ immortalitatem.

Igitur ad facultatem quod attinet, si Simplicio *h* fidendum est, duplicis naturę potentias statuere oportet: Illas nimirum primò, quæ cùm qualitates & accidentia sint, inter substantias tamen naturales per se subsistentes, & pura accidentia, vt habere, poni, & similia, mediam quandam naturam videntur obtinuisse. Quapropter eiusmodi potentias in tantum accidentia esse determinat, in quantũ secundò post formam, substãtiæq; innascuntur compositę. Pręter has verò alias ex illius sensu debemus admittere, quæ simul cũ substãtijs & illarũ operationibus existentes substantię sint: sic. g. e. rationale, alterum est physicũ, substantialeq;, & forma hominis, quod quale nõ est, neque accidens, sed substantia; alterum aduentitium, quod acumine, studio, & solertia comparatur ingenij.

Porrò autem opinio hæc cum natura rei, qua de agitur, consentanea videri poterit, si cogitaueris, formam simplicem, cuiusmodi esse animam præsupponitur, accidentium subiectũ esse non posse, quorum naturæ haud conuenit, essentiales differentias, quales sensibile & vegetabile, in anima ponere. Simplicius igitur & Alexander rationabile, immò necessarium existimabunt, facultatem in se consideratã, atque à temperamento, à quo emanat, contradistinctam, animã esse, malèque loquutum Andronicum profitebuntur, qui absolutè, secluso temperamento, animam non dixerit facultatem. Veluti Galenus contrà eundem reprehendit, quòd facultate reiecta, non acquieuerit in temperamento, forti admodum, vt apparet, motus ratione, à quibusdam etiam ex Latinis ingeniosè & circumspectè considerata, qui ideo animę potentias arbitrati sunt ab illius essentia realiter distingui, quoniam anima vna numero plures habet facultates,

h In præd. c. de qual.

quæ

quæ si cum anima realiter idem sint, procul dubio non ampliùs vna, sed plures animæ : & quia etiam aliud sequeretur apprimè absurdum, potentias nimirum omnes vnam atque eandem esse potentiã : Quæ enim sunt eadem vni tertio, inter se etiam eadem vt sint est necesse. Ad hęc, quia vna animę facultas alteri nunquam pręstaret nobilitate. Ista autem vt proposito accommodentur, nemo non videt, quia scilicet pariter tollunt, quod dicebatur, potentiam in se acceptam, atque à suo fundamento secretam, animam esse.

Non me latet quid Subtiles nonnulli pro respõsione afferant, quidque Recentiores alij contra impugnantes obijciant: Sed si horũ vellem in pręsentia controuersias discutere, quę res ipsas ad puros terminos redigunt, atque in distinctiones resoluunt, meras Logicarum machinationum perplexitates conscriberem, quas, pereant, si illi ipsi, qui ijs delectantur, satis intelligunt. Alijs igitur hęc curiosiùs persequenda relinquo, monens, satis à Cl. nostrę ętatis Philosopho,[i] quę iam dictorum Argumentorum efficacia concludũtur, fuisse defensa, & à quàm plurimis difficultatibus vindicata, ad cuius doctissimas contemplationes lectores remitto. Interim quod pro aduersarijs adducebatur, nihil obstat. Quando enim potentiarum & qualitatum fundamentum anima ponitur, ea non consideratur in se, vel seorsum à corpore, aut quatenus formam dicit simplicem propriamque naturam habentem, à composito & materia separatam; sed quatenus materiæ adnectitur, cum qua in tertiam compositi naturam conspirat. Vnde compositum potiùs ipsum, cui operationes propriè tribuuntur, quàm anima, à qua ceu à principio & causa emanant, harum qualitatum subiectum est statuendum. i Zab. de facul. ani. ab initio.

Quidam Scholastici dicerent, animam habere aliquid potentialitatis, tametsi ex materia & forma non componatur, eamque ob causam accidentium subiectum posse constitui. Hæc autem & si longè meliora, qualiacumque sint, meritò censeãtur, quàm quæ ab aduersarijs tradita sunt; Galeni tamen Philosophia, meo iudicio, videtur „ solidior, quam perspicuus hic illius sermo declarat:[k] [Norunt „ (inquit) omnes, animam in nobis esse, quippe qui ea, quæ dum „ ambulamus, dum currimus, dum luctamur, varijsque modis sen- „ timus, corpore gerimus, euidenter intueãtur; præterea verò intel- „ ligant, harum actionum causam esse aliquam oportere, quod est „ omnibus hominibus axiomate quodam probato à natura persua- „ sum, vt nihil fieri sine causa intelligamus. Verùm quia harum „ actionum causa ignoratur, ab ea vi, quam habet, ea efficiendi, quę „ efficit, nomen est ductum, vt vis singularum, quæ fiunt, rerum ef- K In frag. de sub. fa. Nat.

„ fectrix nuncupetur; Scammoneam quoque habere purgandi vim,
„ ac mespilum supprimendę alui potestatem, omnes fatentur.] Et
k. de Nat. Fac. cap. 4. „ alibi:k[Cæterùm potentia ea, facultasuę in uenis, quam sanguifi-
„ cā appellāt, atq; alia quęuis facultas, in relatione ad aliquid intelli-
„ gitur; primùm enim actionis ipsius potentia est causa; Deinde
„ etiam operis ex accidenti quodam. At verò si causa ad aliquid,
„ est (est enim vnius eius, quod ab ea fit, reliquorum nullius) planū
„ est, potentiam quoque in relatione ad aliquid dici. Ac quoad
„ agentis causæ substantiam ignoramus, facultatem eam, siue poté-
„ tiam appellamus, in venis quidem potentiam quandam sanguinis
„ factricem dicentes, in ventriculo concoctricem, in corde pulsificā,
„ ac in singulis reliquarum particularum propriam quandam eius,
„ quam edunt, actionis. &c.] Et tandem, vt alia loca prætermittam
propositi istius minùs propria, in libro, Quòd animi mores, &c.
m Cap. 2. „ iam citato:m[Rerum (inquit) quæ fiunt, singularum causam quā-
„ dam esse effectricem, quæ in collatione ad aliquid æstimatur,
„ atque huius causæ vt talis cuiusdam rei propriam, & per se esse ap-
„ pellationem; cæterùm in respectu ad id, quod ab ea fit, eius, quod
„ fit, facultatem esse: Quapropter tot à substantia dicimus faculta-
„ tes, quot fūctiones haberi,] & idcirco alijs in locis, partiū natura
lem constitutionem, causam actionum, & temperamentum, idem
esse affirmat, & causam actionum facultatem ait appellari. Lib. de
n Cap. 2. diff. morb., n vt operari possimus, structuram efficere naturalem,
hancq; ipsam ad operationem vim causę obtinere determinat. 1. de
o Ca. 2. circa finem. Nat. fac. vbi o causam actionum facultatē dixisset, paulò post p sub-
p Ca. 3. in in. „ iungit: [Ac quidem mihi tam vena, quàm reliquarum particu-
„ larum singulæ, ob certam quandam temperiem, quam ex quatuor
„ qualitatibus sūt natæ, hoc vel illo modo agere vidētur.] Lib. au-
q Cap. 8. tem secundo, q propter certam ex quatuor temperiem, particulam
quamlibet certam habere functionem scribit, naturalesque om-
nino facultates à temperatura proficisci. Primo de præsagi. ex
r Cap. 4. pulf. r facultatis essentiam in temperamento collocauit. Id ipsum
s Cap. 7. 5. de loc. aff. s de multitudine. t corporis, ait, cuiuslibet propriam sub-
t Cap. 3. stantiam in tali quadam esse temperie, proinde & substantiam facul-
tatum, quibus ea reguntur, proprietatem esse temperamenti. 1. Me-
u Cap. 6. thodi, u vnam quamque rem talem esse, qualis est propter calidi, fri-
x Cap. 1. gidi, humidi, & sicci temperamentum. Id ipsum 1. Simpl. x Et tan-
y Cap. 10. dem 9. Meth. y facultatem ab anima non distinguit.

An verò satiùs omnino sit affirmare, quas animæ dicimus facul-
tates, simplicem habitudinem importare, vt Piccolom. Præceptor
meus,

meus, Galeno subscribens censuit, z non qualitatem secundæ speciei, vt S. D. † & alij tenuerunt, nec mea refert decernere, nec laboro vt intelligã: Nam siue in pura relatione facultatis natura consistat, ita vt anima in tantum varijs facultatibus prædita sit, in quantũ varias operationes respiciens, varijs nominibus appellatur, quæ animæ potentiæ nuncupentur: siue in qualitate, re prorsus ab anima distincta, vt sint vel agentia inter animam & operationem media; vel (vt dicunt alij) a conditiones quædam animæ tantùm, propẽsionesque & aptitudines ad operandum, entitatis quidem debilissimæ, sed quæ haud impediat, quo minùs quid reale & absolutum existant. Vtcumque pro certo compertum est, facultates, nisi pro suo fundamento, non esse animam, neque ex se vllo pacto substantiale, aut formale quidpiam includere, immò quia aptitudo aliam omnino præsupponit actualem naturam, à qua operatio procedat, quemadmodum antea recitati Galeni sermones apertè videntur insinuasse; indubitatum relinquitur, facultatem à suo fundamento, quodcumque illud sit, contradistinctam, animam esse non posse.

z De Re. desi. ca. de pot.

† p. 1. summa q. 77. art. 1. ad 5 & alibi.

a Zab. de Fac. ani. cap. 4.

Postquam igitur animæ substantia non consistit in facultatis natura, reliquum ex præsupposito est, eam aliud nihil esse, nisi temperamentum. Quam Galeni sententiam, præter Aristoxenum, aduersus quem disputat Alexander, b etiam sustinuit Dicæarchus Peripateticus, Aristoxeni æqualis & condiscipulus, animam harmoniam elementorum existimans, quam tamen, licet corpus concederet animatum, negabat existere, illos (vt apparet) sequutus, qui quale admittentes, qualitatis fictum atque inane nomen arbitrabantur, inter quos fuisse Theopompum adnotauit Simplicius. c

b 1. de ani.

c In præd. q. de qual.

Quarum-

Quarumdam rationum ex Galeno determinatis aduersantium consideratio, & resolutio.

CAP. XIII.

SEd hic ſtatim obijci mihi ſentio, non eſse propoſito dogmati conſonum, quòd Galenus alibi † naturalem conſtitutionem, quam & temperamentum, & ſubſtantiam eſſe, ipſe non obſcuro ſermone profeſſus eſt,*a* ſub eo genere collocet, ſub quo etiã morbũ repoſuit,& διάθεσιν Græcè, Latinè, vt Leonice. vertit, diſpoſitionem appellet, quam primæ eſſe ſpeciei qualitatem, dubitandũ non eſt; vt idcirco rectè videatur contra Ariſtoxenũ Alex. *b* Philoſophum *c* ſequutus cenſere, aptiùs ſanitati, quàm animæ, harmoniæ nomen accommodari. Sed hanc diluere obiectionem, non eſt difficile. Nam tametſi morboſa diſpoſitio, quòd tranſiens quid, neq; per modum formę perficiens exiſtat, puri accidentis natura prædita ſit, poteſt nihilo minùs temperamentum, naturaliſque conſtitutio forma eſſe, non ſecùs ac differentię ſubſtantiales elementorum, quæ apud Galenum *d* & Ariſtotelem, *e* quicquid aliter Latinorum quàm plurimi videãtur ſenſiſſe, primæ ſunt qualitates; & cum hoc quòd ſit forma, etiam qualitas & diſpoſitio nuncupari, quando forma, aut differentia ſubſtantię ſapit & qualitatis naturam. Qua in re notabile eſt, quod his verbis perpensè & ſubtiliter obſeruauit Boetius: *f*

„ [An magis (inquit) ex ſubſtantia & qualitate differentia ipſa cõficitur, ita vt illud, de quo prædicatur, perempta differentia ſimul interimatur, vt calor, cùm eſt in aqua, perempto calore, poteſt aqua in ſua ſubſtantia permanere, & eſt calor in ſubiecta aqua, quo interempto, aqua non peribit; idem tamen calor eſt in igne; ſed perempto calore, ignem interire neceſse eſt. Quare hęc qualitas caloris ſubſtantialiter ineſt igni, & eſt propria differentia, id eſt, ſubſtantialis. Concludendum eſt igitur, differentiam neque ſolùm ſubſtantiam eſſe, neque ſolùm qualitatem, ſed quod ex vtriſque conficitur, ſubſtantialem qualitatem, quæ permanet in natura ſubiecti: atque ideo quoniam ſubſtantia participat, accidens non eſt; quoniam qualitas eſt, à ſubſtantia relinquitur.]

† De dif. morb. c. 2. & dif. Sympt. ca. 1. & 1. Meth. c. 7.
a Li. q animi mo. aliiſq; citatis locis, præter quæ vide etiam 2. aph. 51. & 3. aph. 2.
b 1. de ani. cap 7.
c 1. de ani. Tex. 56.
d 1 de ele. cap. 9
e 1 Phyſ. Tex. 54. 3. de calo tex. vlt. 1. de gen. & cor. tex. 18. 2 de gẽ & corr. t. 6. 7. 8. 16 17. 24. 31. 2. de ani. Tex. 117. 3. de ani. Tex. 66
f In præd. com. 17. li. 8.

Sed prætereа maximè notare oportet, temperiem (vt ego censeo) in termino consistentem dici, & esse animam; sanitatem autem appellari, quatenus in sui termini latitudine ita est inconsistens, vt dum magis & minus suscipit, actionibus commodet vel incommodet. Primo modo substantiæ, secundo accidentis naturam induit, atque ita constat, quomodo & de sanitate dici possit temperies, & de anima. Cùm verò à præclaris, perspicacissimisque Viris interrogamur, cur Galenus temperamentum causam actionum, & animam esse determinet, cùm causa actionum, vel eodem Galeno teste, g sit etiã compositio & vnio? Responsio esse potest, actionem, quæ motus quidam actiuus, ex se scilicet proficiscens, ab ipso Galeno vocatur, h semper simplici particulæ, cuius in toto corpore similem non inuenias, tribuendam esse; i alias autem partes communes vsum tantummodò, qui εὐχρηστία, idest, aptitudo quædam ad vtendum vocatur, præstare, vnde actio perfecta & commodè fiat.

Quod vt meliùs intelligatur, notare expedit, apud Galenum, & vetustiores nonnullos, facultatum functiones alias passiones, actiones alias, alias vsus vocari, quorum nominum distinctæ sunt significationes: Passio enim affectionem, vel alterationem ab obiectis impressam significat; Vsus verò vtilitatem, quo nomine in genere omnibus corporis partibus, tam organicis, quàm similaribus competit. Verùm quoniam singulorum membrorum particulæ quædam propriè vereque agunt, quædam agentibus commodo ministerio præsto sunt, per se haudquaquam agentes; priorum vsus propriè actio, aliarum communi generis nomine vsus solent appellari. Porrò autem quarum sunt vsus, tribus possunt modis ad agendum concurrere: vel enim tales sunt, vt sine ipsis fieri actiones impossibile sit, cuius ordinis esse ligamenta censentur, sine quorum vsu motus vllus fieri nequit: aliæ sunt, quę actioni, vt commodiùs & perfectiùs absoluatur, inseruiunt, vt tunicæ oculorum, vngues, & similes: aliæ tandem particulas pręcipuas actionum effectrices conseruant, vt palpebrę, cranium, similesque quàm plurimę.

Ad rem modò nostram quod attinet, quanquam Aristoteles k sensus omnibus contingere affirmet, propter similares, sensus nomine, vt interpretatur Auerroes, passiones intelligens; actiones verò, cuiusmodi motiones sunt, per dissimilares: Galenus tamen l longè ab hac sententia recedens, sensum arbitratur non in sola, vt quidã putant, alteratione, sed in ipsius alterationis dignotione consistere, quod mentis esse munus Hippocrates diceret, m cuius haud expertes sensus, Strato etiam Physicus opinabatur, n iuxta illud. o

g 8 de Dif. morb. & 1. de san. tu. cap. 5.
h 4. de Vsu par. ca. 12. sub in.
1 Meth. c. 6. & 2. Meth. c. 6.
i 17. de Vsu. par. c. 1
6 de plac. cap. 1.
de Differ. Morb. c 6.
De const. Artis c. 5.
de opt. cor. cõsti. c. 2.
k 1. de Hi. cap. 4.
2. de parti. c. 1. & ibi Au.
l 7. de pla. cap. 6.
m 1. aph. 6.
n Apud Plu. li. cui Tit. Vtra ani. plus ratio. habeant &c.
o Ibidem.

„ Vna mens audit, mens videt, sunt surda, cæca cætera.

Idē prætérea Gal. animaduertēs, motionū om niū, siue ad loco motricem siue ad alias facultates spectantium, similarem aliquam primam esse causam, harum propriè esse actiones decernit, reliquarum verò his ministrantium vsus tantummodò: quæ tamen, quoniam cum antedictis, præcipuè verò duobus primis modis, vnà cum principali particula ad agendum concurrunt, perfectum (vt dicunt) & adęquatum actionis instrumentum efficiunt, ac proinde præter temperiem, compositio etiam & vnio, causæ actionum citra repugnantiam possunt constitui, sed quę omnia temperaturę tandem referantur accepta. Quippe & particulę à propria complexione esse habēt, vnde & operari: Deinde hanc eandem consequuntur positio, magnitudo, nexus, formatio. [Insunt autem (inquit Galenus) *p* primùm & maximè temperamenta, quippe quę propriam particularum substantiam complent, corpus enim tale natura est, propterea quòd caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate, sic commixtum est: Nam carni esse carnem, & neruo neruum, & aliorum vnicuique id esse, quod est, ob qualitatum quatuor prædictarum certam quandam temperaturam contingit. *q* Hæc igitur eis secundùm substantiæ rationem insunt, consequuntur autem necessariò odores, sapores, colores, durities, mollities. Alia verò necessariò accidunt, positio, magnitudo, connexio, conformatio.] Quod tamen intelligere oportet, vt sunt particulæ omnes ad iustitiam temperatæ, modo alibi *r* explicato, & infrà explicando, *f* ac propterea aptæ ad commune temperamentum conflandum: Nam aliàs os. v. g. hominis magis conuenit cum osse leonis, quàm cum carne hominis, & tamen si vnio & conformatio sequutura necessariò est, debet os hominis cum carne eiusdem magis conuenire, quàm cum osse leonis. Et hoc principium etiam notari debet, quòd ex eo beneaccepto facilè, quæ alio in proposito Auerroes *t* Galeno obijcit, resoluantur, asserens nimirum, subiectum animæ corpus atque illius partes materias diuersas, quales sanguis & semen, habere non posse. Quòd si ex dicto fundamento duo ista in vna conuenire possunt natura communi & specifica, quanto magis duo semina maris & fœminæ? quæ tamen ipse Auerroes *u* contra Galenum supponebat duas esse res, non valentes vnam atque eandem potentiam habere, agendi, vel patiendi; interim non animaduertens, nihil esse quod prohibeat, vt duo ista corpora, ex eadem specie materia, atque ex eodem specie effectiuo principio elaborata, si confundantur, in vnam naturam conspirent atque iungantur, quod perpensè alij quoque considerant

p 1. de Vsu par. ca. 9.

q 1. de gen. & cor. Arist. te. 48.

r De In. cal. & na. spi. cap. 5.

f Cap. 16.

t Ad cap. 20. 1. de gen. ani.

u loc. cit.

Recen-

Recentiores, x alia pleraque adijcientes rationabilia pro Galenicis, ad quæ in præsentia remittantur studiosi. x Mund. de 3° par. 1. cap. 18.

Si verò affirmauerit quispiam, quod eruditis quibusdam Neotericis persuasum fuisse video, Galenum, quando partium formam & animam esse temperamentum enunciat, vt sensatum artificem decet, fuisse loquutum, ac temperiem, compositionem, vnionem, non quidem animæ, sed corporis & instrumentorum facultates esse, quòd per has dispositiones instrumenta ad operandum, atque ad animę inseruiendum redduntur idonea, vt manus ad apprehendendum, oculus ad videndum: Si, inquam, hoc sibi voluisse Galenum quis putet, & Gentilis in proposito y iudicium probet, qui membrorum operationes vel Galeni sensu ad complexionem reduci putat, tanquam ad principale instrumentum virtutis, vel animæ, nō tanquam ad animam ipsam; dato, quod de compositione & vnione dicitur; ad temperiem quod attinet, talia asserentes monemus, vt accuratiùs Galeni scripta perpendant, præcipuè verò librum, Quod anim. mor. & inter cætera istius libri loca, vbi Andronici de animæ essentia opinionem his laudat verbis: z [Enimuerò Andronicum Peripateticum, quòd omnino intrepidè, vt Vir ingenuus, essentiam animæ nihil obscuritate inuoluens enunciarit, & multùm commendo, & Viri dicta recipio: nam & in alijs pluribus talem eum comperio. Cæterùm quòd temperaturam esse eam dicat, aut facultatem, temperaturæ comitem, facultatis additamentum, vitupero, siquidem anima facultatum compos multarum est, cùm substantia quædam existat. Idque rectè prodidit Aristoteles, rectéque ante hoc ęquiuocationem distinxit: cùm enim & materia, & forma, & vtraque simul substantiæ nomine dicantur, formalem substantiam animam esse pronunciauit, cùm non aliud quidpiam dicere, vt paulò antè ostendimus, præter temperiem possit.] Hactenus Galenus, cuius hic sermo & consideratio de anima est in se, & secundum suam propriam essentiam considerata, & quatenus formam à materia contrà distinctam importat, idq; adeò euidenter, vt nulla ambage verborum, nulla violenta interpretatione ad alium sensum valeat detorqueri.

y Super p. 1. Lec. 3. cap. 1.

z cap. 4.

Si putasset (inquiunt) animam esse temperiem, hanc ita à consideratione artis explosisset, sicuti animam ipsam explosit. Respondeo, profiteri Galenum, † se animæ essentiam ignorare, ac Medico illius substantiæ cognitionem esse superuacaneam, supposito, eam vel de genere incorporeorum, vt Platonici opinabantur, existere;

† Li. quod ani. mor. cap. 3. circa Me. & cap. 5.

vel alio quouis modo temperamento ſuperadditam eſse, dummodò non ignoretur, eam ad mutationem complexionis mutari & affici. Non ita ſi in temperamento eſſe habeat, ad cuius conſeruationem animal proſpera valetudine gaudet, ad alterationem ęgrotat, atque ad corruptionem tandem emoritur.

Narrata Galeni opinio enodatiùs exponitur, attinentia ad illius vel remota fundamenta firmantur, & ſimul quibuſdam occurritur obiectionibus.

CAP. XIV.

His determinatis, ne quidpiam deſideretur, quod ad rei, qua de agitur, confirmationem & dilucidationem faciat, opportunè examinandum proponitur, quomodo temperies (id enim aſsumebatur probatione & declaratione indigens) ſimilaris particulæ forma, & quid vnum, quale anima, à formis temperatis elementorum diuerſum ſit, cùm alioqui elementorum κρᾶσις ſeu temperatura nihil eſse aliud appareat, quàm terminus cuiuſdam mediocritatis, quo elementa ſe tota per tota, citra corruptionem totalem, intercedente actione, & affectione mutata, in vnam eſsentiam conſpirantia iunguntur: quapropter meritò eadem ſubiecto cenſeatur cum ipſis elementorum ſubſtantijs, refractis atque commixtis. Quando igitur ſententiæ huic, quam ego recipio, obiectiones quædam videntur officere, hæ ſunt nunc temporis diluendę, ſecùs nutaret propoſitum Galeni dogma, vtpote quod eſſet controuerſo fundamento innixum.

Primùm, nulli dubium, alias eſse mixtorum operationes ab operationibus elementorum, atque idcirco elementis temperatis formam eſse diuerſam ſuperaddendam: ſed hoc repugnat ſuppoſitioni nupertactæ, quæ ſolam temperiem, in ipſis elementorum naturis fundatam, ſuſtinet mixti formam eſse. Dico ego, non repugnare, niſi ponatur, temperiem in ipſis elementis ſeorſim acceptis fundari. At alia eſt ratio, ſi ea temperata (quæ mixti conditio eſt) & vnita cõſtituas, pro cuius temperiei & vnionis ratione ac modo, variæ mixtorum ex elementis reſultantium operationes fiunt. Poſset opponi, fore

fore sic, vt forma consistat in habitudine. Verùm temperies non dicit solum & simplicem respectum, qui nihil sit aliud, quàm eorum habitudo & ratio, quibus vt Aristoteles, Andronicus, Achaicus, & Aristo putant, † non est aliud esse, quàm ad alterum se habere, quod de se purum accidens, & minimæ creditur entitatis; vnde meritò, † Apud Ammonio & Simplicio referentibus, a ijs quæ adnascuntur, assimilatur: sed causam etiam intrinsecam & terminum denotat, quo miscibilia in vnam essentiam conspirantia nectuntur; sic scientia non simplicem & solum respectum dicit ad scibile, sed etiam quid absolutum de genere qualitatis, quod habitum dicimus: quam esse aliorum etiam entium quàm plurimorum conditionem, cum grauissimis Philosophis supra notabam. b Et inde fit, vt temperies intensionis & remissionis capax sit, quod sanè haud contingeret, si habitudinem simplicem importaret, quando ea, quæ sunt ad aliquid, vt rectè Simplicius animaduertit, c similiter semper ad alterum se habent.

† Apud Simpl. in prædicam. cap de his quæ ad aliquid.
a Ibidem.
b Sec. 2. cap. 12.
c loc. cit.

Si formam, ex Aristotele, d latitudinis expertem autumas, ideoq; sequuturum, quod opponit Fern. e scilicet quomodocumque dimoto temperamento (vt sæpenumero ad læsionem vsque operationum vitiatur) animam aboleri. Respondeo, Aristotelem f ratione subiecti, quod plùs minusuè exornationi paratum sit, formarum materialium latitudinem non negasse; & Ammonium g non dubitasse, quin contraria omnia, quæcumque natura misceri inuicem apta sunt, magis minusque suscipiant, neque solùm per contrarij admixtionem formas minoris rationem subire, sed per quandam etiam remissionem, aut degenerationem, quæ (ni ego fallor) non aliunde prouenit, quàm ab ipsa materiæ præparatione & captu. Porrò autem ad temperamentum quod attinet, licet. v. g. plus minus calidum sit, in hac tamen latitudine, ex Galeno, h terminus est præfixus, quem vltra citraque mixti substantia & natura, ipsiusque temperamenti substantialis ratio nequeat conseruari: ad quem modum apud Græcorum Aristotelis interpretum studiosos, primę elementorum qualitates, quæ magis atque minus sustinent, quando à determinata illa mensura recedunt, secundum quam per se subsistētia elementa constituunt, & accidentis naturam subeunt, & substantiæ corruptionem inducunt. Quapropter neque officit, quod Aristoteles & i Galenus k latitudinem temperamento tribuant; omnino autem in proposito tenendum puto, eandemmet qualitatem considerari posse, vel vt terminum rei vltimùm, determinatum, & completum constituit; vel vt subiecto sub quadam indefinita ratione, seu indeterminato quodam essendi modo potest inesse: Priore intellectu tam tempera-

d 8. Meth. Tex 10.
e 1. f abd. re. ca. cap. 3.
f loc. Met. cit.
g in præd. ca. de sub.
h Aduer. Lycum ca. 2. sub. in.
i 2. de GT. & cor. te. 48. in fin.
k 1. de sā. tu. cap. 5.

mentum, quàm primæ qualitates elementorum, naturam substantialium formarum subire valent, atque subiectorum, quibus insũt, constitutiuæ esse: Secundo verò modo & accidentis conditionem induunt, & si degenerando præscripti termini limites excesserint, subiectum ampliùs informare non possunt, quæ substantiæ corruptio meritò appellatur, & est.

Quomodo autem temperamentum, quod idem subiecto cum elementis sustinui, ex altera parte naturam vnam atque absolutam importet, cuius merito nouum ab elementis generetur compositum, ex eo, quod docent Philosophi Clarifs., [l] intelligere licet; quippe temperamentum, inquiunt, formam esse ipsam, quæ de nouo producitur, formaliter ab elementorum formis distinctam, tametsi cum eisdem subiecto & fundamento sit idem. Hanc isti doctrinam Baconi [m] tribuunt, qui asseruerit realitatem eandem formarum elementarium esse in elementis & in mixto, sed diuersas formalitates, prout varias species constituunt. Ego autem reperio, Ioannem Grammaticum [n] totius & partium, nec non concentus exemplo, rem ad hunc modum, licet in diuerso proposito, apposite declarauisse: „ [Sciendum itaque (ait) est, totum partim idem esse partibus, „ partim verò diuersum. Alterum enim est à partibus, tanquam id, „ quod omniũ constitutione fit, & eorũ affectus est. Rursus idẽ parti„ bus est, tãquã nihil sit à partibus extraneũ, vt existat. e.g. quoniã si „ citharæ vnãquamq; chordam adeo intenderis, vt Lydium quæuis „ concentum simul attingat & conficiat; deinde omnes diuisis ictibus „ separentur, & minimè in vnam consonent, vnaquęque *diuisim* „ propriam vocem profectò exhibebit. At qui concentus, qui post „ omnium chordarum synodum ex omnium voce conficitur, alter „ est, videlicet à voce omnium priusquàm conuenirent: Nam omnium „ concursus aliquam speciem conficiet, quæ non erat in singulis „ sigillatim, nondum in vnum conuenientibus; sic igitur concentus „ vniuersitas altera est, ab omnibus vocibus diuisim, & si inuicem „ interuallo disiunctæ simul sonent, eadem etiam est, eò quòd „ nihil alterum, præter particulares sonorum ictus, emergit ad constituendam „ concentus speciem. Sic etiam de homine dicendum „ est, si intellexeris partes eius separatas, quarum vnaquæque pro„ prium opus retinet, ceu oculus videt, & manus similiter suum, & „ reliquæ partes habẽt: cùm autem omnes fuerint diuisæ, ea species, „ quæ ex earum concursu perficitur, altera est; quæ rursus diceretur „ eadem, quoniam nihil, præter vnamquamque partem, & peculia„ res earum operationes, conuenit ad perficiendam diuersitatem „ spe-

[l] Zab. de Mist. cap. 7. & 8.

[m] 3. Sent. distin. 16.

[n] 1. Phys. com. 26.

„ ſpeciei.] Facit difficultatem, quod ex iam determinatis appareat, in mixtis generationem ſimpliciter ex elementis non corruptis vix aut ne vix quidem poſſe ſaluari, id quod non ab re animos quorũdam Latinorum ſuſpenſos tenet, qui ſuperueniente noua forma, tanquam termino ad quem, aliam, quæ ſit terminus à quo, neceſſariò abolendam exiſtimant. Ego in ardua hac difficultate, quid pro reſponſione probabile cenſeam, ſequutus clari nominis Peripateticos, donec meliora ſuccurrant, in medium proferam.

Procul dubio, ſi elementa, quæ reperiuntur in mixto, nihil mutẽt quod ad eorum naturam & eſsentiam pertineat, mixtumque abſolutè nihil ſit aliud, quàm elementa ipſa confuſa, quemadmodum tenuiſſe Stoicos legimus apud Alexandrum,[o] & præter hos Auicenã,[p] Fern.[q] omniumque primum Empedoclem, meritò obijcietur Lucretianum illud:[r]

„ Sin ita fortè putas, ignis, terręque coire
„ Corpus, & aerias auras, roremque liquorum,
„ Nil in concilio naturam vt mutet eorum;
„ Nulla tibi ex illis poterit res eſſe creata.

Inde cum alio Pythagoricè perſonato concludere poteris,

„ Non perit in toto quidquam (mihi credite) mundo.

Cuius ſententiæ abſurditatem alia, quæ hanc præcedere debuerat, diſputatione manifeſtabam. Verùm enimuerò memoria tenendum, attentèque quod ſupra tetigi cogitandum, elementa ſcilicet, cùm miſcentur, vſque adeo frangi & remitti, proprijſque viribus, quibus per ſe ſubſiſtebant, ita expoliari, vt vix aliquid ſubſtantiæ proprię retineant, hocque ipſis pro interitu eſſe; interim ad generationem iſtam faciendam, quam dimidiatam Alexander,[ſ] alij ex generatione & alteratione complicatam mutationem vocarent, ſuccedere nouam formam, quæ in craſi & temperie iam firmata conſiſtit. Talis ſiquidẽ conſtitutio & diſpoſitio, licet quid à formis temperatis omnino diuerſum nequaquam importet, tamen neque prorſus idem, quod illæ, dici poterit: Nam illæ vix ſubſiſtunt, & ipſa antedicta conſtitutio cauſa intrinſeca eſt & terminus, quo miſcibilia in vnam eſſentiam conſpirantia iunguntur. Neque enim tanquam accidens (ſicuti ex antea diſcuſſis colligere licet) adaptatis aduenit, qualis diſpoſitio elementorum ſeparatorum, & integrè ſubſiſtentium in mundo; vel quæ Arithmeticarum, ſeu Geometricarum quantitatum concinna proportio eſt, ſed eam ob cauſam forma fit ſubſtantialis, quia mediante affectione, miſcibilium formas ferè ad interitum frangente producitur, & producta alteratorum, atque in naturam vnam con-

o de Mistione.
p 1. ſuf. ca. 10. & 5. Meta. & in. cãt. & apud Auuer. 3. de cęlo. com. 67.
q 1. Fald. re. ca. c. 2. & 3. phyſ. cap. 2.
r 1. de Re. Nat.
ſ de Miſt.

conſpirantium ratio eſt contentiua.

t Zab. de Miſt. c. 10 Sunt, qui perfectum in mixtione interitum ſuſtineant, t profitentes elementorum formalitates corrumpi, nouamque aliam formalitatem, quæ mixti eſt, generari, hâcq; eâdẽ mixto intereũte corrũpi, & elemẽtorũ priſtinas generari. Quod ſi realitatem tantummodò reſpiciamus, mixtio, ex eorum ſententia, neque perfecta generatio eſt, neque mixti interitus perfecta corruptio. Omnino autem (ni ego fallor) quo miſcibilium tranſmutatio ad corruptionis reducatur ideam, videtur ſufficere, ſi, quemadmodum nuper dixi, ex ſummitatum deperditione ad eum terminum deducantur, quòd à proprio eſſe deficiant, quantum ſat eſt, vt priores formæ in nouam aliam degenerent ſingulas complectentem, totumque aggregatum perficientem, ſubeantque propterea rationem rei non amplius exiſtentis. Atque vno verbo, eam eſſe conditionẽ formarum elementorũ exiſtimo, vt cùm ex ipſis temperatis fit mixtum, remaneãt quidem, verùm non ſolùm refractæ, ſed ſub modo etiam eſſendi formæ minimè congruo, quippe quæ conſuetarum elementis operationum nõ ſint omnino expreſſa principia; tametſi eſſe rurſus poſſint, ſi elementa ſeparentur, ita ut à priuatione, per quam ferme obliteratæ deliteſcebant, ipſis regreſſus non denegetur ad habitum.

Vbi igitur mixtum ex elementis producitur vnum quid ex alterius corruptione, licet non vſquequaque integra & abſoluta, videtur produci; pariter quando per putredinem, aut quouis alio modo diſſoluitur, à priori temperatura deficit, quæ ipſi cauſa intrinſeca erat eſſendi, totumque, aut quid tertium, à contrarioque & in contrariũ videtur corrumpi, haud ſecus ac totum corrumpatur, cùm deſtruitur & aboletur cõpoſitum, ex prima rerũ materia ac forma ipſa, primauè elementi qualitate conſtitutum: quæ quomodo materia, vt

u 2. ſ par. ani. ca. 1. decernebat Philoſophus, u tenenda ſit eorum, quæ ex virtutibus elementorum conſtituuntur, per hactenus diſcuſſa, quantum in me fuit, eſt declaratum. Non poſſe autem primas has qualitates elementares eſſe mixti materiam, niſi formæ ſint ſubſtantiales, abundè ab alijs probatum fuit. Conſtat pariter ex aliorum Phyſicorum doctiſſimis conſiderationibus, neque elementa ipſa miſcibilia & commixta poſſe materiæ rationem ſubire, niſi quoquo pacto remaneant, vt ſenſuum fide reuerà ſeruantur. Quod ſi ſeruantur, negari haud poteſt, eorum vires ex mutua actione & paſſione refringi, modò corpora non ſint penitus impatibilia.

Porrò autem tempeſtiuo contrariorum conflictu non natura ſola vtitur, ſed ars quoque, &, vt probatur nonnullis, Deus ipſe, qui prope-

pterea harmonicus appellatur, non quia ſonos graues & acutos, ſed quia contrarias elementorum qualitates moderari creditur, atque in officio, quantum cuiuſque mixti naturam decet, continere. Vt verò, dum ſe certis quibuſdam menſuris quatuor prima corpora tẽperata excipiunt, cuncta gignantur, naturæ decretum ex Hippocrate x videtur exigere:

x De Nat. humana.

„ Res ſic quæque ſuo ritu procedit, & omnes
„ Fœdera naturæ certo diſcrimine ſeruant.

Hinc non malè Heraclitus & Empedocles decreuiſſent, immò ſufficienter materialium cauſas aſſignauiſſent, ſi Hippocratis, & vetuſtiorum, qui y ante Anaxagoram & Democritum philoſophati ſunt, κρᾶσιν z agnouiſſent, ille quidem aſſerendo, † generationem eſſe ex contrarijs in idem conuenientibus, inſtar arcus & lyræ. Hic verò Siculis (vt Plato inquit) & remiſſioribus Muſis de quatuor diſſidentibus elementis canendo, a

y Vid Plu. 1. de plac. cap. 17.
z vid Gal. 1 nat. hu. com 12.
† Apud Simpl. 1. phyſ. com. 3. & 10.
a Apud Simpl. 1. phyſ. com. 3. & 30.

„ Coeunt ſed amore viciſſim,
„ Et ſeſe cupiunt, ex his namque omnia, quæ ſunt,
„ Atque fuere, & erunt; ex his producitur arbos,
„ Fœmina, vir, feræ, aues, & qui paſcuntur in vndis
„ Piſces, longæuique Dei quis maximi honores.

At verò quanquam ex hac, quam hucuſque expoſui & confirmaui, primorum ſimplicium corporum, eorumque facultatum vnione & temperatura omnia, quæcumque ſupra elementa ſunt mixta corpora componantur & generentur; in quibuſdam tamen ob diſpoſitiones multiplices, quas requirit materia, hoc fieri nequit, niſi (vt adnotauit Hippocrates b) quæ eiuſdem generis ſunt, quæque eandem vim habent, miſceantur. Hinc ſexuum, ſeminum, temperamentorum, non quidem omnium, ſed proportionatorum, quæ ad alios vſus ſeparauit natura, c neceſsaria commixtio eſt.

b de Nat. hum. tex. 10.
c Ariſt. 1. de Gẽ. ani. c. 20.

Pla-

Platonis circa propositam Galeni opinionem enucleatur doctrina.

CAP. XV.

DE anima difficilem esse contemplationem, signum hoc euidenter ostendit, quòd in ipsa magni dissentiant Philosophi, quòdque interdum vnius auctoritas partibus cōtradicentibus faueat; ab istis vt explicemur, quantum nostro conuenit instituto, danda nunc opera est. Volunt nonnulli, antea receptum Galeni dogma contrarios habuisse Aristotelem † & Platonem,[a] vbi illorum sententiam reprobarunt, qui animam esse harmoniam sustinuerunt; quos nominatim haudquaquam expressos, non ausim ego affirmare, an Pythagoræi fuerint, aut Empedocles, Aristoxenusuè ille, quem ętatem in musicis consumpsisse notauit Cicero,[b] atque ex corporis totius natura & figura varios modos cieri censuit, veluti in cantu sonos; quamquam Suidas hunc & in omni disciplinarum genere versatum, & ipsius Aristotelis auditorem fuisse memoret, qui huic morienti conuitium dixerit, quòd sibi in Scholę successione Theophrastum pręposuisset, cum quo de eruditione atque auctoritate certabat: vt proinde ipsum neque purum fuisse musicum, credibile sit, neque admodum verisimile, Aristotelem aut Platonem aduersus eum disputauisse, sed potiùs aduersus patrem illius Mnęsiam aut Lamprium Erythręum, aut Xenophilum Pythagoricum, quos omnes ante Aristotelem Aristoxenus habuerat pręceptores, & à quibus hanc poterat hausisse sententiam. Fortè etiam apud Peripateticum valuisse potuit discipuli vetustioris existimatio & ingenium, quapropter illius opinionem suppresso nomine non dedignatus fuerit impugnare. Vtcumque res habeat, & quicumq; istius placiti assertores fuerint, hos licet Platonis Simias, ipseq; Aristoteles, vt satis probabilia & rationi consona loquutos, non dānent, tamen quoquo pacto à veritate alienos fuisse, arbitrati sunt.

Platonis ex Phędone rationes recensent Philoponus & Themistius,[c] quarum prima est. Harmonia adaptatis aduenit: anima, si eius disciplinę reminiscentiæ sint, ante adaptatum corpus existit; anima ergo harmonia iudicanda non est. Secunda ratio. Anima corpori impe-

† 1. de an. Tex. 54. ad 61.

a In Phæd.

b 1. Tusc.

c ad locum Arist. de ani. cit.

imperat, atque imperando repugnat: harmonia autem corpori temperato, vel harmonicè dispoſito non reluctatur, argumento certiſſimo, quoniam ſi in eo habet eſſe, dubio procul corpori faciens vim, ſecum ipſa pugnaret; ergo animæ natura harmonia non eſt. Verùm præter quàm quòd duo hæc argumenta dialectica ſunt, fortè etiam manifeſtè falſis & captioſis fundamentis innixa, quippe quæ animã ante corpus fabricatam ſupponant, ad ſolam etiam pertinent rationalem, de qua præſens non eſt diſputatio, & de qua nihil determinauit Galenus, profitendo, iſtius eſſentiam, vt antea tetigi, d ſibi ſatis non eſſe perſpectam. Quapropter in horum diſcuſſione & reſolutione non expedit verba conſumere. d Sect. 1. cap. 12.

Vbi verò accipiunt harmoniam magis minuſque ſuſcipere, quod planè de anima poſſe dici, minimè creditur, hoc ex ijs, quæ de formarum materialium latitudine & remiſſione, iam ex meliorum Ariſtotelis interpretum doctrina fuere determinata, paratam habet reſponſionem. Non fuiſſe autem apud Platonem abſurdum, animam harmoniam vel concentum dicere, niſi in quantum aliorum eſſe harmoniam ipſius ſeparabilitati repugnat; indeque Viri diuini placitum nullatenus Galeni poſitionẽ labefactare, quando is neque animam omnino aliorum à ſe temperiem eſſe conſtituit, & quam temperiem vel animam dicit, inſeparabilem eſſe ſupponit: Totum, inquam, hoc ex Procli e interpretatione colligere licet: [Harmonia (inquit) & ipſa ſubſtantialis eſt, continens & ſpecificam reddens ipſam ſubſtantiam, à qua demonſtratur, quomodo anima harmonia ſit, & quomodo non; ne Plato videlicet ſibi ipſi contraria dixiſſe videatur, cùm hic harmoniam ipſam animam dicat, in Phædone autem illos, qui hoc aſſerunt, reprehendat. Aliud enim eſt, quippiã harmoniam eſſe ſui ipſius & aliorum, aliud eſse harmoniam aliorum tantùm: Hoc enim vltimum cogit harmoniam in ſubiecto eſſe, & inſeparabilem ab ijs, quorum eſt harmonia, tanquam in aliena ſede firmatam. Illud autem primum ſeparatum reddit harmoniam, & ſui ipſius compotem, & dominam, & ad ſe ipſam conuerſam.] Hæc Proclus; ex quibus palàm eſt, non diſplicuiſſe Platoni, ſubſtantialium partium concinnam conſpirationem ſubſtantiam, ſubſtantialemuè formam, & animam eſſe; tametſi altera ex parte harmoniam ab animæ conditione alienam exiſtimet, nimirum ſi ad diſtinctum à ſe referatur ſubiectum. e In Tim. de ani. ge.

At verò temperiem, animamque ipſam diuerſam eſſe poſſe, & eandem cum temperatis à ſe contentis, non ſecùs (ſi materiata immateriatis proportione aliqua comparanda ſunt) ac Platonis anima

eiusdem, & alterius esse particeps dicitur, atque ex vtrorumque conspiratione conflata; nemo inficiabitur, qui animæ naturam & generationem à Platone traditam *f* rectè perpenderit. Contineri autem ab anima, quamuis indiuidua, harmonicam sui met partium multitudinem, vnde harmonia meritò dicatur & sit, ex Porphyrij doctrina in promptu est patefacere: *g*[Etenim (inquit) si verè non solùm indiuidua est, sed diuidua, etiam ipsius substantiam non solùm vnam esse, sed multiplicatam oportet: quòd si multiplicata est, aut innumerabilis existet, aut quæ connumerari possit. Sed innumerabilem esse impossibile est, innumerabilis enim multitudo incomposita, inordinataque est: Numerabilis igitur. Quòd si numerabilis, vel ex incompositis, inconcinnisque erit partibus; vel ex compositis, harmoniaque coniunctis: sed ex incompositis, inconcinnisque esse impossibile est; nullum enim tale secundum naturam se habet; ex concinnis igitur omnino erit. &c.] Ergo ex harmonicis partibus anima constat.

f In Timao.

g Apud Proclum loco cit.

Modò dicam quid ampliùs, neque hoc fortasse fuerit paradoxum: Si immaterialium substantia in harmonia commixtarum partium posita est, hac longè magis materialium κρᾶσιν vnius & substantiæ participem dicere oportet. Rationem ex Proclo *h* ipso Platonis expositore depromere licet, hisce verbis comprehensam: [Proprium autem (inquit) est immaterialis commixtionis, vt ea, quæ commixta esse dicuntur, vnita simul maneant & diuisa, nec non commixta & incommixta esse censeantur. Quemadmodum è diuerso in materiali commixtione ea, quæ commixta sunt, confusa, indiscretaque à se inuicem esse dicuntur; est enim per computrefactionem, corruptionemque mixtio illa.] Iam verò cùm nulli sit dubium, fieri magis vnum ex non manentibus & corruptis, quàm ex manentibus & non corruptis, consequens necessariò est, ex materialium harmonia longè verius fieri vnum per se, quàm ex immaterialium mixtione. Scio, dicturos esse Platonicos, materialium, & immaterialium mixtiones æquiuocas esse, ac talem immaterialium naturam existimari, vt, etiamsi integra maneant, modo perfectiori & magis substantiali, haud confusa inuicem misceantur. Verùm hæc commenta sunt voluntaria, nihil habentia respondens in re, quod intellectum saltem per analogiam possit docere. Atque hucusque cum Platone, & sectatoribus disseruisse sufficiat.

h loco citato.

Non-

Nonnullis difficultatibus satisfit, quæ ex Aristotele & Recentioribus Galeni placito videntur incommodare.

CAP. XVI.

MOdò quod ad Aristotelem pertinet, ex illius Dialogo, qui Eudemus inscribebatur, à Simplicio etiam † citato, atque inter exoterica Philosophi scripta connumerato, Ioannes Grammaticus *a* duas collegit instantias, † Loco Arist. s an. cit. a Ibidem.
„ quarum primam his verbis explicauit: [Harmoniæ est quoddam
„ contrarium ipsa inconcinnitas: Animæ verò nihil est contrarium;
„ anima igitur non est harmonia.] At ab huius instantiæ resolutione nos statim subleuat, quod ipse subiungit Grammaticus scribens:
„ [Sed ad hoc fortasse quispiam diceret, quod harmoniæ cõtrarium
„ non est propriè contrarium, sed magis priuatio indefinita, atque
„ animæ, veluti cuidam speciei existenti, est aliquod oppositum in-
„ definitum: & quemadmodum ibi talem harmoniam in inconcin-
„ nitatem mutari, sic etiam in talem priuationem animam transire
„ dicimus.] Hæc Philoponus, qui ex eodem Dialogo mox secundum argumentum proponit, quod quoniam inter ea etiam habetur, quæ primo de Anima ab eodem Aristotele contra hanc opinionem formantur, posthac suo considerabitur loco, & vnde petenda sit resolutio manifestabitur. Primo igitur de Anima *b* his argumentis b Tex. 55.
„ Aristoteles hanc sententiam impugnat: [Ipsa quidem (inquit)
„ harmonia mixtorum quædam ratio est, vel compositio; animam
„ autem neutrum esse horum possibile est.] Sed cur hoc? An quia, vt censet Philoponus, *c* horum neutrum substantia est, sed accidens? c Ibidem
Verùm, vt temperamentum forma substantialis esse possit, abundè declaratum & demonstratum est suprà.

Neque vetustiores illi animam (vt ego credo) concentum existimarunt, quatenus (vt malè quidam intelligunt) melodiam, & secundum actum ex temperatorum dispositione productum importat; sed pro dispositione ipsa sumptum, & principio, causaue operationum, aut actu, quem primum appellant. Esse forsitan non poterit harmonia primus actus, quia esse mixtorum rationem huius simpli-

citati repugnet? At dicimus nos, temperamentum formaliter acceptum non esse quid multiplex, sed vnum & simplex. [Præterea „ (inquit) d mouere non est harmoniæ, animę verò hoc attribuunt „ omnes.] Sed ad hæc facilis est responsio, nimirum concludere argumentum, si sit ad hominem sustinentem actiones non compositi, sed animæ esse, vt Pythagoricis & Platonicis placebat, non autem contra eos, qui motum & actiones composito acceptas referunt; hi enim si dicant, animam esse harmoniam, seu temperiem elementorum, non hanc, sed tale temperatum asserent esse operationibus obeundis idoneum, ac in tantum temperiem actionum causam dicent, in quantum per ipsam compositum habet esse, à quo propriè & adæquatè operationes proueniunt. Esto autem, agere animam in proprium subiectum, cui inest tanquam perfectio, pellendo, trahendo, & omnino alterando spiritus & humores; negabo protinus, harmoniam pro primo actu, modo iam exposito sumptam, non esse, quæ isthæc omnia præstare valeat; quamobrem instantia nulla est.

„ Subiungit Philosophus: e [Conuenit autem magis de sanitate „ dicere harmoniam, atque omnino de corporeis virtutibus, quàm „ de anima.] Mihi de animæ differentia non est sermo, quæ virtus corporea non est: loquor de vegetali, quæ in semine reperitur non organizato. Cętera sunt illa eadem, quæ ex Eudemo Dialogo Grāmaticus transtulit, quęque Aphrodiseus Aristoxeno obijciebat; sed quoniam his abundè suprà est satisfactum, f pergamus ad reliqua.

„ Sequitur Philosophus: g [Manifestum autem si quis tentauerit „ reddere passiones & opera animæ harmonia quadam, difficile „ enim harmonicè coaptare.] Sensus ex quorundam sententia est: Si anima harmonia sit, haud facilè per ipsam de illius passionibus & operibus reddi poterit ratio. Cur? nimirum quia passiones potiùs sunt improportiones quàm harmonię. Secundò, quia affectus & operationes sensuum sępenumero dissonant. Dicunt alij, per harmoniam non posse de operationibus reddi causam, quia harmonia est pura relatio, quæ cùm substantia non sit, actionum causa haudquaquam potest constitui. Sed enim quomodo temperamentum non simplicem respectum importet, iam patefactum est suprà. Ad priorem autem interpretationem, quam magis probo, respondeo, tantum abesse, ne per harmoniam de affectibus ratio reddi possit, vt per ipsam potiùs ex Galenico intellectu accommodatissimam causam assignare facilè sit. Primùm enim negauerit Galeni defensor, passiones atque affectus, nisi concitatiores fuerint, esse improportiones, quandoquidem ex his moderatis plerunque perficitur anima. Vbi

verò

d Ibidem.

e Tex. 56.

f Sect. 1. cap. 13.

g Tex. eodem.

verò modum excesserint, habere pro causa alteratam complexionem profitebitur; vt hoc modo perturbatio ab humorum commotione dependeat, quæ tamen si constitutionis, in qua anima consistere creditur, limites non egreditur, tanta non est, vt viuentis naturam destruat. Operationes verò atque passiones contrarias à contrarijs temperaturę dispositionibus prodire, adeò physicis omnibus est perspectum, vt nihil minùs desideret probationem. Harum igitur omnium nulla verior causa poterit assignari, quàm harmonia humorum, & qualitatum constitutio, quę intra sui termini latitudinem ad hunc vel illum excessum inclinet.

Scio, quid exponendo verba hęc, Albertus, & alij dicant, sed quoniam talia sunt, quę & ex iam discussis, & ex ijs, quę proximè discutientur, facilem habeant solutionem, idcirco mihi in pręsentia lectores monuisse sufficiet, verba Gręca in Codicibus emendatioribus secùs posse etiam interpretari, & inter ipsa aduerbium illud, harmonicè, non inueniri, vt etiam in versionibus Argyropili & Perionij desideratur. Gręcum exemplar ita habet: φανερώτερον δὲ εἴ τις ἀποδιδόναι πειραθείη τὰ πάθη καὶ τὰ ἔργα τῆς ψυχῆς ἁρμονίᾳ τινι χαλεπὸν γὰρ
„ ἐφαρμόζειν. Quibus hęc Latina respondēt. [Appareret magis, vel
„ esset manifestius, si quis tradere, vel referre, aut comparare, aut
„ tribuere tentauerit passiones & opera animę harmonię cuidam,
„ vel harmonia quadam, difficile etenim, vel, sed difficile coaptare,
„ vel accommodare.] Ego ex Lemarij Codice satis emendato, vn-
„ de Gręca habui, hęc transferrem in hunc sensum: [Probabilius
„ autem, si quis reddere tentauerit passiones & opera animę harmo-
„ nię cuidam, sed difficile accommodare.] Ista autem & hunc sensum habere possunt: Non solùm, vt iam dictum, magis rationabiliter de sanitate harmonia diceretur, quàm de anima, sed probabiliùs etiam foret, si quis tentaret harmonię nomine & natura significare, & circumscribere passiones & opera animę; at difficile coaptare, vel congruere, intellige, harmonię conditionem affectibus & operationibus, quæ sæpęnumero inconcinnæ, & modum debitum excedentes. Ratio, ob quam magis esset probabile de actionibus harmoniam dicere, illa eadem est, quæ de sanitate, nimirum quia harmonia & concentus rei assimilatur, quæ accidat, & à substantiæ natura remota sit. Sed de hoc iam satis actum est suprà.

Post hæc Philosophus supponens, harmoniæ nomen analogum esse, quod priùs symmetriam illam denotat, quæ in magnitudinum sensibilium proportione consistit; secundò & posteriùs concentum, qui ex plurium contrariorum vel dissimilium apposita mixtione cō-

surgit.

ſurgit. Primò, non pertinere animam ad magnitudinum compoſitionem, probat, aut potiùs accipit pro comperto, quòd nemo dicturus ſit, intellectum aut ſenſitiuum, aut appetitiuum, eſſe compoſitionem. Mox rationem etiam mixtionis excludit. At verò quoniam ego animam non eſſe ſenſibilium magnitudinum propo rtionem concedo, hac parte poſthabita, alteram examinandam ſuſcipio.

h Tex. 58 „ [Similiter autem incōueniens (inquit) b & rationem mixtionis „ eſſe animam: Non enim eandem habet rationem mixtio elementorum, ſecundum quam caro, & ſecundum quam os. Accidet igitur & multas animas habere, & ſecundum totum corpus: ſiquidem omnia ex elementis commixtis ſunt. Commixtionis autem „ ratio harmonia eſt, & anima. & c.] Quibus verbis Ariſtoteles hunc in modum videtur argumentari: Mixtio elementorum pro partium diuerſitate, puta oſſis, carnis, nerui, varia eſt; ſi igitur anima mixtionis ratio ſit, in vno compoſito erunt plures animæ, quod abſurdiſſimum eſt. Vt verò irrationabile ſit in vno compoſito plures reperiri animas, fortiſſimo argumento contra Platonem & Pythagorā demōſtrat poſteriùs i. Hi enim animam partibilem, ſedibus diuiſam, ſpecieq; multiplicatam in vno eodemq, compoſito collocabant. [Quid igitur (inquit Philoſophus) continet animam, „ ſi partibilis eſt natura? Non enim vtiq; corpus. videtur enim cōtra magis anima corpus cōtinere. egrediente enim expirat & putreſcit. Si igitur aliquid aliud vnam ipſam facit, illud maximè vtique erit anima. Oportebit autem iterum & illud quęrere, vtrum „ vnum, an multarum partium ſit? ſi enim vnum eſt propter quid „ nō mox & animam vnum eſſe? Si verò partibile, iterum ratio quęrat quid eſt continens? & ſic vtiq; procedet in infinitum.] Hæc Ariſtoteles; cuius oratio hunc, vt apparet, continet ſenſum: ſi anima ſubiecto, ſuiq; natura & ſubſtantia in vno compoſito diuiſa eſt, quidnam erit, quod ita has contineat animas, vt per ipſas animatum ſit vnum? Hoc profectò non fuerit corpus, nam præterquam quòd omne quod eſt vnum, ſi Auerroi K credimus, per ſuam formam eſt vnum, conſtat etiam animam continere corpus; quippe quod ea priuatum diſſoluitur, putreſcit, corrumpitur, tantum abeſt, vt à corpore ipſa anima contineatur & copuletur. Si igitur aliud quidpiam animas continet, nihil remanet cogitandum, quod vniat, pręter animam. Modò hæc vel vna, vel plures; ſi vna, cur non primo loco vnica poſita eſt? ſi plures, quæritur denuò, vnde, & à quo copulentur? atq; ita in infinitnm.

i Tex. 90. & 91.

K Comm. tex. cit.

Hoc igitur pacto (ni ego fallor) procedit Philoſophi ratio, à qua

vt explicemur, animaduertere oportet, temperamentum apud Galenum operationum omnium causam iudicari, non sanè illud, quo partes simpliciter mixtæ sunt, sed quo mixtæ viuentes, siue, vt meliùs dicam, ad vitam ordinatæ: His enim hac acceptione consideratis, κρᾶσις comparatur ex copulatione spiritus, & seminalis humiditatis. Vnde fit, vt calidum, quo simpliciter mixtæ sunt, adeoq; ipsum temperamentum, præstantiorem conditionem adipiscatur. Hæc autem temperies à prædominanti, magisq; energetico nomen accipiens, calidum appellatur innatum, cui in debito cuique speciei gradu & modo mensurato & diposito, quædam competit natura communis, secundum quam omnibus corporis particulis indifferenter & communiter insitum temperamentum producit speciei congruum: Ipsi etiam competit natura particularis, in quantum huic, vel illi particulæ adest, ad singularum naturam contractum; vt sit natiua caliditas in hoc instar primæ omnium materiæ, quæ in se, vel in sui communi natura considerata, quid simplex repræsentat atq; vniforme, temperaturis verò adiuncta particularibus, multiformis euadit, proprium esse nihil immutans, sed potiùs modum essendi.

Ex hoc igitur formæ vnitas in animali potest rationabiliter sustineri Galenum tuendo, qui quanquam tres animæ species, easq; sedibus disiunctas secundum Hippocratem, & Platonem receperit, tamen nonnunquam affirmat, *l* calidum innatum esse facultatum essentiam, modò naturam animalium, modò nihil nos formare, nisi hoc, augere, nutrire, & alia id genus hanc sententiam habentia. Huic quoq; primo acceptum referre decet consensum illum vnum membrorum ad animæ functiones exercendas apprimè necessarium, „ de quo Hippocrates *m* à Galeno probatus: *n* [Confluxio (inquit) vna est, conspiratio vna, omnia omnibus consentiunt.] Huiusmodi autem omnium consensio, quæ harmonia quædam existit, & cuius muneris ex Proclo *o* est partes diuisas ad identitatem & communionem appellere, vnum ex sibi mutuò respondentibus facere nata est. Alia, quæ huic proposito inseruiunt alibi *p* scripsi, neq; sunt vlteriùs inculcanda.

Non desunt, qui alijs rationibus aduersus Galeni sententiam argumententur; *q* temperamentum, inquiunt, est materia, vt habetur apud Aristotelem 2. de parti. animal. cap. primo, & ex eiusdem primo de Anima, tex. 60. vbi asserit, quòd licet anima sit aliquid diuersum à mixtione, tamen, deficiente mixtione, deficit, quia temperamentum ipsum est subiectum, quod ab anima supponitur. Responsio

l Lib. de Trem. Rig. &c. cap. 6 & alijs in locis sup cit.

m De alimento.

n 1. de Nat. fa ca. 12. & 13. & 1. de Vsu par. ca. 8. & alibi.

o In Timæum de ani. gen.

p Vid. sup. Sect. 2 ca. 13. & de In. Cal. c. 5 & 9.

q Rud. suo libello de an. cap. 8.

ſponſio eſt, Ariſtotelem loco de partibus adducto, tale nihil, quale quod referunt, aſſeruiſſe, ſed ſolùm elementa atque eorum virtutes ſimilarium materiam eſſe. Primo autem de Anima, textu illo 60. fundamentum in medium producere, cui Empedoclis nitebatur ſententia, & tale erat: Id animam credere oportet, quo poſito & ablato, ponitur atque aufertur anima: huiuſmodi eſt elementorum concinnitas; quare. &c. Huius argumenti non habetur ſolutio apud Ariſtotelem, forſan quòd textui aliquid deficiat, fortè quòd ipſum ſpernat ceu futile, quantum ipſe credit, & parui roboris. Soluunt quidem expoſitores dicentes, harmoniam eſſe proximam materiam, & diſpoſitionem pro anima, attamen non eſſe animam, & idcirco talem mutuam ſuccedere animæ & complexionis poſitionem & ablationem. Sed ex hoc non debuerunt Neoterici doctiſſimi id tanquam ab Ariſtotele enunciatum accipere, quod neque expreſſit, neque forſan cogitauit exprimere. Omnino autem vt iſtis vndique ſatisfiat, dato, & Ariſtotelem (quod ipſi proferunt) voluiſſe, idque etiam eſſe, verùm dicere expedit, ſumi temperamentum vel pro elementis temperatis, vel pro harmonia, ex horum conſpiratione & vnione reſultante: primo modò habere locum materiæ, ſecundo formæ.

Addunt ex libro Nemeſij de Anima cap. 2. ſi temperamentum anima eſt, omne corpus temperatum erit anima prędìtum. Reſponſio eſt, animam & temperamentum non dici ad conuertentiam, ſed temperamentum, vt magis commune, de anima prædicari. Vbi hęc audiunt, quærunt ſtatim, qualis temperatio ſit, quæ animas efficit, & in animæ loco numeratur: Qualecumque enim temperamentum dixero, tale in inanimis quoque ſe reperire poſſe profitebuntur. Reſpondeo, animam in tantum à me temperamentum conſtitui, in quantum temperamentum accipitur non pro gradu qualitatum, ſimpliciter & quomodolibet dominantium vel ſubdominantium, puta in viuente calidum & humidum indeterminatè, cuiuſmodi innumera comperies ab animatis diuerſa; ſed pro tali gradu, ad congruam (vt nuper dixi) ſpeciei inſtitiam diſpoſito, ex quo omnia mixtorum temperamenta ab inuicem diſtincta ſunt. Si anima (inquiunt) fuerit temperamentum, temperamenta autem ætatibus, temporibus, victuque mutantur, efficitur mutari animam: ſi mutatur anima, hęc non eadem ſemper habetur. Solutio eſt, temperamentum ad iuſtitiam nunquam mutari, in reliquis intendi & remitti poſſe, terminis debitæ latitudinis non tranſgreſſis, antea eſt demonſtratum: inde fit, neque animam variari, neque temperamentum aliam formandi rationem induere. Adijciunt alia complura, quæ partim ex

iam

iam consideratis habent solutionem, partim sunt leuiora, quàm vt pluribus debeant confutari.

Sed antequam capiti huic finem impono, vt innotescat rationabiliter, vel etiam secundum Arabum sectatores, principium seminis animasticum, qualecunque tandem illud sit, ad temperamentum referri, proponam doctissimi Foroliuiensis r iudicium, qui cum eorum attulisset ac probabilibus rationibus defendisset sententiam, qui semen sustinent secundum partem spirituosam esse formaliter animatum, moxq; eam iustas & veriores ob causas damnasset, aliam magis probauit, existimantium semen prolificum esse virtualiter „ animatum [talemque virtutem esse temperamentum gignitiui „ spiritus, ab anima patris in gignitiuo spiritu derelictum, aut ali- „ quod aliud occultum qualitatiuum principium simul cum sub- „ stantiali forma gignitiui spiritus.] Hoc autem occultum, quid meo sensu esse valeat, iam alibi patefeci. s

r *Sup lib. de Gener. Emb. q.5.*

s *De In. Cal. ca. 5.*

Perfecta seminis colligitur definitio, causaque exponuntur, ob quas seminis facultas efficiens reddere possit similitudines genericas, specificas, sexus, indiuiduales parentum, aut etiam maiorum.

CAP. XVII.

SAtis meo iudicio ex Galeni sententia, quam cæteris probabiliorem existimo, aperta natura est principij effectiui, quod semine exceptum procreat animantia. Modò explicatis materia & forma seminis, cùm de fine nulla sit controuersia, haud difficile fuerit, exactam eius definitionem elicere, quam ex Recentioribus Andreas Laurentius, Vir egregiè doctus, atque admodum eruditus, † adductis priùs, & reiectis definitionibus Hippocratis, Pythagoræ, Platonis, Alcmeonis, Zenonis, veterumque aliorum quorumdam, postremò Aristotelis & Fernelij, ex sua tandem pro- „ fert sententia per hæc verba: [Semen corpus est humidum, „ spumosum, & album, ex reliquijs alimenti vltimi, & spirituum

† *2. Opp. an. quæst. 14.*

„ vbique oberrantium permixtione, vi sola testium excoctum,
„ elaboratumque, idque ad perfectam animalis generationem.] Ego verò, qui iam monstraui, semen prolificum non ex humido tantùm, sed ex calido etiam, immò ex hoc maximè, tale esse, ac praeterea ex spumositate non candicare; qui spiritus à toto confluentes reieci; qui crassitiem ac viscididatem materiae necessarias constitui; qui formam, vimque effectiuam principium esse animasticum, modo antea fusè explicato patefeci, hanc Clarissimi Viri definitionem ita corrigendam puto: Semen corpus est humidum, calidumque, album, crassum, & viscidum, ex reliquijs vltimi testium alimenti, & spiritibus vitalibus conflatum, vique animastica praeditum, ad perfectam animalis generationē. Hac definitione seminis ex iā traditis collecta, restat nunc, vt quod suprà de illius vi tactum fuit, exactiùs enucleetur, causas aperiendo, propter quas in natis variae similitudines reddantur.

Primùm igitur accipiam, quadruplicem pro instituto considerandam esse similitudinem, generis videlicet, speciei, sexus, & effigiei: Generis, quoniam animal generat animal; Speciei, quoniam homo hominem: Sexus, quia vel mas, vel fœmina: Effigiei, quia filij parentibus, aut maioribus, in quibusdam accidentibus indiuiduantibus plerumque similes fiunt.

a ex 4. de Gen. an. inini vit Auicen 8. de Nat. ani.

Accipiam secundò, a facultates in semine reperiri, quae antedictis similitudinibus correspondeant, communiores alias & priores, alias minùs communes & posteriores; ex quibus si posteriores vel resoluantur, vel supprimantur, priores valeant conseruari. Addam, sub his latentes maiorum etiam motiones potentia contineri, quae vbi actuales cedant, statim emergunt. Sunt, qui has seminis motiones, quae suscitantur & resoluuntur, longis ratiocinijs atque obiectionibus eliminare contendant, cùm tamen & consentaneae rationi sint, & maximè necessariae, si modò causae similitudinum semini, quod generanti subordinetur, acceptae sint referendae. Quid enim natum parte hac matrem referre faciet, altera patrem? Quid interdum auo similem, aut maioribus reddet, nisi quae in semine facultas aut motio, pro effigie singulari generantium limitata, seruetur, & saepenumero latens ad plures propagetur generationes? Id, si cunctis rationibus repugnet, effectus atque experimenta ita probant, vt nullus (ni ego fallor) relinquatur dubitationi locus.

Caeterùm vt ijs, quae magis ad propositum faciunt, & sunt maioris probabilitatis, satisfiat, sciri oportet, vegetalem animam, quae & plantis, & animalibus est communis, ad alterum genus contrahi ex dispo-

dispositione, qua ordinatur, vel non ordinatur ad sensitiuam; adhuc verò magis contrahi ad species, per temperamenti modificationem, & conditionem organizationis, quales postulat species; rursumque adhuc magis contrahi ad sexum, per genitalium structuram & temperiem; rursum autem adhuc magis ad indiuidua per aduentitios quosdam characteres, quibus signatur materia, & sine quibus indiuiduum, vt per materiam est particularizatum, esse non potest. Modò prout species, genusque, ac sexus, subsistere nequeunt, nisi in singularibus, semper vt singulare gignatur necesse est, idque quoquo pacto signatum, sicque vt in eo sit & specificum aliquid, & genericum, atq; ad sexum pertinens: si signatum vsquequaque cum generante conueniat, conueniet & sexuale (vt ita dicam) & specificum, & genericum: si non conueniet, alia necessariò signatio succedet, quæcunq; illa sit; atque ita delituisse indiuidualem impressionem dicemus, illam scilicet, quæ expectabatur parentis. Cum hac tamen suppressione stare adhuc poterit specifica & generica limitatio, nimirum indiuiduo semper supposito; potest etiam euanescere specifica, quæ scilicet generantis speciem debet repræsentare, sed non tamen ita, vt à singulari generante omne auferatur specificum; atque ad hunc modum specificam motionem fuisse sopitam dicemus, remanente quod maximè est commune. Danda autem hæc venia docendi modo, vt dicatur remansisse maximè commune, quia cùm communiora ordinentur ad minùs communia, his subtractis, ex peculiari ordinatione priora seruantur, non simpliciter, quia (vti dixi) per se stare nequeunt, sed ad talem ordinationem relata. Ex his patet quomodo harum motionum fieri possit obliteratio, sine formæ abolitione, nec non sine vniuersalis subsistentia seorsim à singularibus figurata, quæ Aristoteli objiciebant Neoterici.

Porrò autem ad maiorum motiones quod attinet, censere expedit, ita re ipsa docente, generantis impressionem, quæ particularem effigiem respicit, non ita deleri ex dissimilis præualentia, vt irreuocabilis sit, nisi ex alterius subrogatæ effigiationis materiali dispositione tantum materialis dispositio illa prior transmutetur, vt nihil amplius habeat respectus & conuenientiæ cum ipsa generantis figuratione iam suppressa; & hoc est quod dicimus, maiorum motiones posse potentia in seminibus, vel semen gignentibus conseruari, quæ si actualis particularis motio impediatur, vel ab alterius generantis semine forsan validiore, vel à matricis intemperie aliqua repugnante, aut quamcumque aliam ob causam, statim se pandunt, atque in actum erumpunt.

Qui autem opinantur, casu has maiorum similitudines reuerti, quia scilicet ex neutrius seminis præualentia conformatio resultet vtrisque parentibus dissimilis, quæ casu maiorum aliquem referre potest; considerare vtique tenebantur, ex millium hominum millibus vix, aut ne vix quidem posse duos inueniri, vel mediocriter statura, gestu, facie, incessu similes, & tamen casui in tanto numero magis esse locus deberet, quàm in vna duarum, vel quatuor ætatum serie descendente. Quid de Lepidis, interuulsa stirpe, oculo clauso nascentibus dicent? Quid de Spartitis? Quid de Æthiope ex alba matre, auo tamen Æthiope genito? Quid de morbis, vitijsque corporis quibusdam, qualia gibbositates, claudicationes, & similia complura, in nepotibus vel pronepotibus suscitatis? An esse fabulas ista omnia? vel casu reddita? Credat cui hoc probabile videatur, mihi equidem non videtur, vt neque eruditioribus alijs visum, quibus pædia est non vulgaris. Asserere, quod subiungunt, remanere ad multas ætates, actu subcute signa, puta næuos, cicatrices, & rerum quarumdam à generantibus concupitarum, aut imaginatarum stigmata, sed imperceptibilia, quæ tunc solùm prodeant, cùm alterum semen vel est longè imbecillius, vel nullatenus concurrit; dictum apparet penitus voluntarium, resque est, quæ cùm ad sensum pertineat, nullius alterius facultatis iudicio mensuranda est. Mitto, neque hæc obiectioni, de Æthiopis nigrore in matre alba seruato, satisfacere. Mitto, quòd ea, quæ de vitijs opponuntur, non resoluant, quoniam his fortasse narrationibus non subscribant; quanta id cum ratione viderint alij, quibus hæc fusiùs persequenda relinquo. Vbi verò tandem ab eorum calamo ista excidunt verba: [Dicere quin etiam possumus, quòd cùm semen anima præditum in vterum descendat suis cum potestatibus ijsdem cum procreantis potentijs, quæ easdem excitere cum virtutibus aui, & sic abaui, ataui, quemadmodum de animabus diximus, quid mirũ, quòd formatrix eadem specie, & quæ fuit eadem numero cum ijs, sicubi eius anima similitudinem aui, ataui, & similiter patrui & auunculi (aui, abauiuè similem) indat, & simulacra cęlet, potissimùm si subiecti propensio & dispositio adsit?] Nihil sanè aliud hoc esse videtur, quàm quod iam ego dixi, maiorum nimirum motiones quoquo pacto potentia in natorum & descendentum seminibus permanere.

Habeatur igitur pro comperto, antedictas motiones, modo iam exposito, potentia posse in seminibus conseruari, vt pro certo etiam credere oportet, ex primario naturę scopo eam intendi similitudinem, quę & perfectior est, & alias communiores comprehendit.

Circa

Circa quam & illam, quam ſexus vocamus, doctrina Galeni (vt mihi videtur) ſolidiſſima recipienda eſt, qui ſecundo de ſemine, *b* harum cauſas ſeminum temperies, & variam permixtionem, nec non formatricis prędualentiam eſſe putat, ad cuius rei euidentiam ipſiſſimum illius ſermonem lubet adijcere: [Licet (inquit) ſemen ſimilare fit, & virile cum fęmineo in vteris miſceatur, nihil obſtat, quin in fętuum formatione alterum alteri, in diuerſis tamen partibus, pręualere poſſit: quemadmodum in priori libro demonſtratum eſt, ex velamentis, quæ fœtum inuoluunt, inteſtinalem tunicam ex ſolo fęmineo ſemine procreari. Fieri etiam poteſt, vt ſemen, quamuis ſimilarem naturam habeat, eiuſmodi tamen ſit, vt omnia ex omnibus eius partibus animalis membra fabricari queant; in eo tamen differentia eſt, quòd illa ſeminis pars, quæ primò excidit, craſſior, quæ ſecunda vel tertia eiaculatione emittitur, tenuior, frigidior, & imbecillior eſt, ſubſtantiæque inſiti caloris minùs particeps; quemadmodum è contrario quæ primò exit, viribus, calore, & ſpiritu longè præcellit; cui ſcilicet contrarijs qualitatibus præditum eſſe conuenit, quod ſecunda, vel tertia, vel quarta emiſſione profunditur. Atque ita fit, vt in commixtione in quibuſdam partibus maris, in quibuſdam fęminæ ſemen præualeat, & qua præualuerit, ea pars fętus ei, cuius ſemen præualet, ſimilis euadat: quippe cùm in omni materiæ particula opifex vis inſit, non ſeparatim alibi id, quod mouet, alibi quod mouetur, ſed idem ſit quod mouet ac fingit, atque etiam attrahendo (vt ſuperiùs dictum eſt) à prægnantis venis alimentum, fœtum ipſum auget. Minimè igitur mirum eſſe debet, ſi ſoboles vtriſque parentibus ſimilis diuerſis in partibus efficitur. Nunquid igitur de genitalibus membris eadem ratio afferri poteſt, cur aliud fiat mas, aliud fœmina, & toto corpore mas à fœmina, non in hominum tantùm, ſed vniuerſorum animalium genere differat? Sed quis adeo perſpicax eſt, vt ſi è longinquo taurum aſpexerit, continuò priùs quam genitales partes exploret, marem eſſe cognoſcat? Nam ſicut leonem à leæna, gallum à gallina, capram ab hirco, ouem ab ariete: ita virum à muliere facilè diſcernimus, neque opus eſt, vt priùs veſtes exuamus, quò differentiam membrorum ſpeculemur, ſed indutos & opertos ſatis agnoſcimus, cùm & toto corpore inter ſe diſcrepent, & partes, quæ poſtgenitæ nuncupantur, aliæ nullæ ſint fœminis, aliæ diuerſæ conſpiciantur: Barbæ enim, criſtæ, calcaria, dentes exerti, partes animalium ſunt marium: cerui etiam longa cornua habent, vt in his quoque fœ-

b Cap. 5.

minæ

„ minæ à maribus superentur. Discrepant item fœminæ à maribus „ in eo, quòd læuiores hæ, illi hirsutiores sunt; hæ mollioribus pi- „ lis, illi durioribus integuntur; hæ latiores clunes, illi latiora ha- „ bent pectora, alijsque multis differentijs distant. Vt non absurdè „ videri possit Stratonicus Physicus existimasse, fœminam ex fœ- „ minæ, marem ex maris semine inualescente procreari: quamuis „ ille venis etiam & arterijs, perinde ac genitalibus membris eos dif- „ ferre, opinatus fuerit, id quod ex dissectionis imperitia euenit; „ in maribus enim & fœminis non numerus tantùm venarum & „ arteriarum, sed forma etiam, sed positura in toto corpore eadem „ conspicitur. Quocirca in hoc longè errasse Stratonicum existi- „ mandum est; quòd verò marem putarit gigni cùm maris, fœmi- „ nam cùm fœminæ semen præualet, illud quidem satis probabile „ fuit, nisi quòd aduersatur quod sæpe numero euenit, vt fœminæ „ patri, mares matri quàm simillimi nascantur. Vnde melius for- „ tasse erit, si dicamus, non absolutè ex seminis prædominio, sed ex „ diuersarum partium præeminentia marem & fœminam procreari. „ Sed huic etiam opinioni illud repugnat, quod non in membris ge- „ nitalibus solummodò, verùm in vniuerso etiam corpore differen- „ tia est. Inuestiganda igitur videtur causa, cur infans, licet mas „ nascatur, matri tamen quàm simillimus interdum fiat. In supe- „ riore quidem libro duplex natorum ad parentes posita fuit simi- „ litudo, prima ex totius substantiæ specie, cùm homo ex homine, „ equus ex equo procreatur; atque huius maiorem partem *mater* „ videtur exhibere; altera ex differentia eorum, quæ eadem specie „ sunt, vt hominis ad hominem, equi ad equum, in qua seminis prę- „ dominium vim obtinere demonstratum est. Sed nunc alia tertia „ inuenta est similitudo præter priores, in qua maris ad marem, fœ- „ minæ ad fœminam diuersitas consideratur: De qua, quomodo „ existat, in præsentia quæstio excutienda proposita est. Neque „ enim dici potest eam fieri vel cùm in genitalibus membris prædo- „ minium extiterit; nam toto etiam corpore mas à fœmina differt; „ vel cùm alterum semen prorsus pręualet, multi siquidem filij ma- „ res matri, fœminæ patri similes euadunt. Quæ igitur alia præter „ has causa est? Mihi quidem vna sola videtur superesse, quæ sci- „ licet effectricium qualitatum temperiem consequitur, ita autem „ caliditatem & frigiditatem appellare consueui.] Hęc Galenus, quem Fernelius, *e* excitatus (vt puto) à Foroliuiense repre- hendit, *d* quòd sexus similitudinem referat acceptam tempera- mento seminis calidiori, vel minùs calido, & cùm hoc eue-

e 7. phys. cap. 12.
d super ca. de Gene. Emb.

nire

nire posse concedat, vt mas nascatur effigie matri similis, fœmella patri: [Qui fiet (inquit) vt masculum semen temperamento sit potentius, fingentem autem facultatem habeat imbecilliorem? Aut vndenam accidere possit, vt tanta vis conformandi insit fœmineo semini, quod nihilominus constanter asseuerat crudum esse, frigidum, & aqueum, semperque masculo imbecillius?]

Sed pro resolutione notandum, quòd vt valida sit formatrix ad figuræ similitudinem repræsentandam, quæ est indiuidualis, requiritur vt temperamentum, in quo est formatrix, conueniat, & bene proportionetur cum temperamento partium generantis, quas debet repręsentare; si autem debeat generari mas, sufficit vt sit calidius: eiusmodi autem calidiorem complexionem semini euenire posse nō vna ex causa, apud Physicos in confesso est. Nam, vt omittam cordis, iecoris, ac testium vtrorumque temperaturas, hæc & à calidis alimentis induci solet, ex quibus sanguis gignitur, qui est materia seminis; necnon à quantitate & qualitate spirituum, & à testiculo dextro, si vel totum semen conferat, vel maiori ex parte, & ab ætate vigente, & à loco matricis dextro, & à dispositione ambientis ac ventorum siccante, viscerumque caliditatem roborante, qualis est serena, borealis, ac frigida, & demum à cœlestibus influentijs, quæ quantum in hoc negotio valeant, norunt, qui in Astrologiæ obseruationibus versati sunt. Cætera Galeni clara & conspicua cùm sint, non est vt in eorum dilucidatione sim multus, consultiùs forsan fuerit, & magis ex vsu, si ad id reuertatur disputatio, quod ab initio e supponebatur, potentiam nimirum similitudines imprimendi ad principium seminis effectiuum spectare: circa quam hypothesim duo adnotari vellem. e *Sect. 1. cap. 2.*

Primum est cap. secundum in Galeno secundi de semine, vbi docemur, causam specificæ similitudinis esse in materiam referendam, effigiei verò absolutè in ipsum efficiens. Rationem ego illam existimo, quam suprà loco citato f luculenter explicaui, & nunc etiam breuiter repeto, quoniam scilicet speciei similitudo ex substantiali forma dependet, effigiei autem ex accidentali. Modò illa educitur potiùs, quàm inducatur. Dico potiùs, quoniam actio efficientis absolutè excludenda non est, quæ si materiam disponit, necessariò etiā ad formam tradendam concurrit. At quæ est effigiei similitudo, absolutè inducitur, non educitur; quare illa potiùs ex materia, ista autē simpliciter ab efficiente. Potuit autē fortasse Galenus in hoc suo placito adstruendo & ad id respexisse, quòd quotidiana experimenta nos docent; omnium scilicet animalium prolem, quò ad hanc specificam f *Vide & c. 12. eiusdem 1. sec.*

cificam similitudinem, matri magis attinere, quæ semper plus confert principij passiui & materialis.

De causis generationis monstrorum, & partus numerosi.

CAP. XVIII.

ALterum, quod animaduertere oportet, est, compertissimũ quidem esse, naturam semper quæ perfectissima sunt intendere, sed tamen hoc à plerisque sapientibus in dubium reuocari, an fœmina non sit ex præcipua intentione naturæ: inter quos vnum antea nominatum Laurentium † instar omnium propono, qui omnem rerum naturalium perfectionem ex fine petendam esse supponens, fęminamque ita necessariò formatam, ne animalium generatio deficiat, concludit, naturam non minùs fœminæ quàm maris procreationem intendere, indeque Aristotelem, *a* Galenum, *b* omnesque illos reprehendit, qui fœminam naturæ παρέβασιν, quasi prolapsum, & πάρεργα, primum monstrum, & animal πεπηρωμένον, idest, mutilum, occasionatum, atque accessorium appellant. Ego, quicquid eruditissimus iste Vir contra Aristotelem & Galenum fuerit opinatus, supponendum existimo vniuersaliter omnia quæcumque ab vniuoco generantur, aliquo modo esse generantibus similia, ea scilicet ratione communi. quia agens quodlibet debet assimilare sibi passum, ex eo sibi similem formam educendo, quod vt planè de intentione naturę est, ita præter eius scopum censere debemus omne id, quod quoquo pacto ab instituto fine euariat atque deflectit, ac demum in tantum genita esse monstrosa, in quantum à forma, quę à natura intenditur defecerint, vel quo ad esse formale simpliciter, vt quando mutatur species; vel quo ad modum essendi, vt quando in membrorum figura & complexione varietas succedit, specifico principio non mutato. Demus ergo masculinam formam esse perfectiorem & magis actiuam, procul dubio hęc agenti pręcipuo maximè assimilatur, proindeque, vt nuper tetigi, à natura intenditur. Demus hanc euariare, non quantum ad suum esse formale, sed quantum ad modum essendi, puta in quorundam principum membrorum complexione & conforma[illegible]bimus procul

† 1. Opp. ana. q. 12.
a 1. de ge. an. ca. 20.
2. de gen. an. cap. 3.
4. de gen. an. cap. 3. & 6.
b 14. de Vsu par. c. 6. & 7.
2. de sem. cap. 5.

dubio

dubio monstrum atque defectum. Vbi igitur video genitalia, ex quorum discrimine sexus diuersus efficitur, in fœminis mancam quandam structuram ac temperiem sortita esse, sicuti conspicuè, si non in vtero, in testibus saltem, vasisque semen præparantibus atque effundentibus, notare licet; tametsi hæc studuerit Natura, quantum fieri potuit, masculeis similia fabricare: cùm videam, plus materiæ à fœmina cum passibilitatis ingenio conferri, idque dilutius atque ineptius, contrà à mare plus effectiui principij: cùm videam, tardam conformationem, excrementa sanguinea, quibus scatet, sobolem cruditatis: Platonemque c & experientiam obseruem, docentes, non solùm corporis, sed animi viribus fœminas maribus semper esse imbecilliores, nec non in earum corpora degeneres animas relegari. Vbi animaduerto, Auicennam d non mentiri, qui scribit, fœminam & magis conuertibilem esse, & inuidiorem, & timidiorem, & inuerecundiorem, & magis stultam, mendacem, fraudulentam, pigram, resque viles recolentem, mollem, & vniuersaliter ad vitia omnia magis propensam. Vnde illud:

„ Cuncta sub astrigero regnantia crimina cœlo,
„ Nutrit in æternos fœmina nata dolos.

Hæc, inquam, omnia vbi mente recolo, facilè inclino vt existimem, fœminam esse defectum ratione finis formatricis, particularisque efficientis; quanquam non ratione intentionis naturæ vniuersalis, quæ hoc peccato ad speciei conseruationem, ad vitæ solatium, & mundi ornamentum probè vtitur, quò respiciens, ego quoque aduersarijs e non negauerim, matricem esse nobilissimam ac propemodum diuinam Fauissam, in qua Naturæ thesauri conditi, vbi fuerit opus, depromantur: & quæ iure optimo merita sit vt alterum animal appelletur. Sed ad potentiam seminis quod attinet, similis procreatricem hanc posse, vt plerumque accidit, à proposito exturbari, ob ineptam materiæ dispositionem, quæ ad vnguem opifici non obtemperet, pariterque ob defectum, eiusdem aut excessum, rationi consonum est; interdum etiam ob propriam efficientis imbecillitatem, quoniam scilicet eo destituatur vigore, vt perfectè dominetur materiæ; aut etiam ex Aristotele f ob excessum seminalis calidi, crassamento admodum improportionati; interdum quia cælitus, aut à generantium imaginatione vis formatrix alteretur atque flectatur.

c 5. de Rep. & 1 sine Timæi.
d 8 de Nat. an. c. 3.
e Scalig. exerci. 139 dist. 4.
f 2 de gen. an. cap. 4.

Dixi, materiam esse dissimilitudinis causam, non sanè quia sua vi ad hanc potiùs, quàm ad illam similitudinem imprimendam agentis operationem dirigat & impellat; materia enim, licet propter dispositiones ad specificam formam ordinetur & gliscat, non tamen

Dd quatenus

quatenus formanda determinatum quidpiam est, sed potius incircumscriptum illud nudæ materiæ non ens, atque infinitatem, quam Græci ἀοριστίαν dicunt, repræsentat, ac propterea nihil ex se agit, sed solummodò patitur & formatur, quod multò magis materiæ conuenit, si ad effigiei formam accidentalem, vt ab initio f fuit expositum, referatur. Proinde hanc similitudinis causam dicimus, quia disposita actui efficientis bene respondet, secùs verò se habens impedimento est.

f Sect. 1. cap. 2.

Est igitur idonea materiæ præparatio pro quacumque similitudine apprimè necessaria, & primùm pro similitudine generis, de qua „ dicebat Philoponus: g [Semper homo ex homine prodit; quæ si „ aliquando ob prauam materiæ dispositionem aptitudinem, quæ ho„ minem procreando aberrat, animal profectò producit, & non „ plantam, vel lapidem: quæ si etiam animal procreare non pote„ rit, animali affinem, proximamque efficiet carnem ipsam. &c.] „ Quapropter & Aristoteles h de mola verba faciens: [Cum igitur „ (inquit) ex humore concoctu difficili conceptus consistit, tunc „ gignitur quod mola vocatur, idque in mulieribus meritò aut so„ lis, aut maximè.] Non potest igitur materia actionem generantis recipere, nisi saltem dispositionem ad generis formam obtineat. „ Quod perpensè Albertus etiam animaduertit, vbi scripsit: i [De „ monstris ergo, & causis eorum, hic primùm aduertendum est, „ quòd quando principia mouentia, & motus ipsorum, qui in sper„ mate sunt, ex natura speciei, & ex materia indiuidui destruuntur, „ per aliquam causam fortiter in oppositum agentem, non remane„ bit, nisi virtus vniuersalis generis, quæ tolli non potest, materia „ saluata; aliter enim nihil generaretur ex tali materia.] Cur nihil generaretur? sanè quia, vt Arist. docuit, K non ex quolibet quodlibet fit, sed ex eo, quod habet priuationem connotantem formæ contrarietatem, quæ sub eo genere sit, sub quo etiam terminus ad quẽ, & forma ipsa, quæ est introducenda: sic ex non musico musicum fit, ex non albo album, & non nisi per accidens ex non musico album, & ex non albo musicum.

g 1. physi. com. tex. 82. secūdū sect. Auer. Vide etiā Them. ibidem, & iterum Ioan. Gram ad tex. 62. vbi excludere videtur efficiens.

h 4. de ge. an cap. 7.

i 18 de animal. Tract. 1. cap. 6.

K 1. phys.

Manente igitur hac vniuersali dispositione, ex Alberti doctrina, resolutis specifica atque indiuiduali, quæ monstra vocamus, solent „ generari. Dat causam: [Quoniam virtus generis vniuersalis mo„ uet ad vitam, & causa specialis in oppositum speciei agens, indu„ cit aliam formam.] Quòd si pro similitudine generis necessaria promptitudo materiæ est, multò certe magis pro specifica, magisq; adhuc pro ea, quam diximus sexus, & effigiei. Formæ enim, quæ

priores

priores alias præſupponunt, longè (vt norunt omnes) paratius ſubiectum expoſtulant; plurimùm igitur in hoc negotio tribuendum materiæ. Sed propterea (quod nonnulli faciunt) non eſt excludendum efficiens, de quo illud Galeni *l* enunciatum puto [Ebrij enim cum ebrijs coeunt, & qui præ crapula, vbi terrarum ſint, neſciunt, cum mulieribus ita affectis conſueſcunt. Quo fit, vt genituræ principium ſtatim eo modo ſit vitioſum: quod & mulieris vtero geſtantis peccata ſequuntur &c.] Et ſanè quid abſurdius, quàm non poſſe agens malè diſponi, vel malè diſpoſito non interdici rectè opus vniuerſaliter à natura intentum abſoluere, aut diminutè agendo, aut etiam deprauatè? Diminutè, quia ex Ariſtotele, *m* [ineſt calor in excremēto ſeminali, tantam, talemque habens motionem & actionem, quanta modicè ad quamuis corporis partem accommodetur. Quòd ſi vel deficit, vel excedit, rem, quæ fit, aut deteriorem efficit, aut læſam, & mancam.] Et apertiùs iterum: *n* [Degenerat quod patitur, nec ſuperatur, aut defectu facultatis eius, quod coquit & mouet; aut copia frigiditateque eius, quod coquitur & diſtinguitur: cùm enim partim ſuperet, partim non ſuperet, facit multiforme, quod conſtituitur.] Deprauatè etiam agere poteſt principium effectiuum ſemini inſitum, quoniam eſto, quantumuis materia ex ipſo Ariſtotele *o* cauſa, quæ ſeminis motiones interdum ita diſſoluat, vt vix in eo generis facultas, maximè omnium vniuerſalis remaneat, qua occaſione monſtroſum effingi corpus videtur aliquando voluiſſe. Quid, quæſo, eſt in materia, quod fabricam moliatur. g. e. hominis potiùs cum capite arietis, quàm leonis, aut canis? certè hoc eſſe efficientis opus, in dubium à nemine reuocabitur, qui rectè antea diſcuſſa & determinata perpenderit, iſque haud facilè ſubſcribet Recentioribus, qui nuper fusè atque eruditè de monſtris ſcripſerunt; vbi adſtruunt, eſſe hunc puræ imbecillitatis effectum, ſcilicet reſolutionis virtutis ſpecificæ, quapropter actuoſa ſeminis vis ſimile tantùm in genere valeat procreare, idque pro multo vel pauco robore nobilius vel ignobilius. Nam in conceptus efformatione ſeminis vis actiua ad huius, vel illius figuram imprimendam non mouetur, niſi à principio quod eiuſdem ſpeciei, ſiue ex temperamento, ſiue alia quacumq; de cauſa, ideam contineat. Quid enim aliud ſit, quod formatiuam dirigat, & formationem præſcribat? Magis & minus robuſtum citra ſpecificum character aut ſigillum eſt quid pro ſpeciali figuratione incircumſcriptum atque indifferens, quod niſi à principio aliquo ſpecifico coarctetur, non magis hanc figuram, quàm aliam reſpiciet. Quamobrem ſatiùs (ni ego fallor)

l 11. *de Vſu par. cap. 10. in fine.*

m 2. *de ge. an. cap.* 4.

n 4. *de ge. an. cap.* 3.

o 4. *de ge. an. cap.* 3. & 4.

fuiſſet acquieſcere in degeneratione ſpermatis, quæ ad alienam fiat ſpeciem determinatam, vt frumenti ad lolium, lolij ad hordeum, & complurium aliorum conſimilium.

[p 2. phyſi. ad tex. 64]

Neque eſt, vt Themiſtium p quis obijciat, caſu monſtra facta aſſerentem, haud ſecùs ac percuſſionem tranſeuntis à cadente lapide, in quo licet grauitas ſit, quæ deſcenſionis eſt cauſa, non tamen iſtam percuſſionis cauſam dixeris. Reſpondebo enim, quòd etſi monſtra eatenus caſu fieri, negari non debeat, quatenus rarò, & præter vniuerſalem naturæ intentionem eueniunt, quando tamen proximus ille finis non deſideratur, qui id, quod deprauatè agit, neceſſariò conſequitur, potiùs caſu ſecundum quid, quàm ſimpliciter eſſe credenda ſunt. Quod autem de lapidis deſcenſu affert Themiſtius, nullius deprehendes eſſe momenti, ſi conſideraueris, lapidi nullum eſſe alium propoſitum finem, quàm deſcenſionem ad centrum; naturæ autem caliditatis natiuę, ſeu formatrici facultati, dum vel ab imaginatione gignentis, vel à cœlorum influxibus, quorum in propoſito vim admittit Albertus, & cum eo plerique alij Philoſophi eruditiſſimi; vel ab alia quapiam cauſa præter naturam diſponitur, peculiarem finem poſse proponi, ab vniuerſali naturę inſtituto remotum, à quo determinatè moueri agens, ille non ibit inficias, qui Peripateticè ſuſtinuerit, in tantum à naturali agente propoſitum effectum intendi, inquantum illud virtutem habet productiuam eius, quod mediante aliarum cauſarum concurſu ſine cognitione efficitur. Et idcirco Simplicius q magis circumſpectè videtur egiſse, vbi exponit verba illa Ariſtotelis, r [Ergo & in conſtitutionibus, quę ſunt ab initio bouigena, ſi non ad aliquem terminum & finem perueniſsent, intereunte aliquo principio, facta eſsent, quemadmodum nunc ſemine.] Circumſpectiùs, inquam, Simplicius hoc loco ſcribens ad verbum: [Cùm autem dixerit, monſtra ſimiliter fieri ac ea, quę peccantur in artibus, adnotat, quòd etiam quę ſunt apud Empedoclem taurigena, & humano vultu prędita, taurigena ſi facta eſsent, talia facta eſsent ex peccato principiorum, ex quibus eſt generatio tam efficientium, quàm materialium; quemadmodum nunc quoque monſtra eueniunt ex peccato ſeminis, cùm ſemen reddatur imbecillum, & corrumpatur principium.]

[q 2. phyſi. com. 63. vide etiã com. 50. r In calce. tex 82. 2. phyſi.]

Hanc eandem principij effectiui prauam diſpoſitionem in molæ generatione Hippocrates ſ viſus eſt recepiſse, vbi habet: [Cæterùm molæ conceptus hæc cauſa eſt, quia multi menſes modicum, & morboſum ſemen conceperint.] Quod & alibi t repetit. Nec longè ab eo Ariſtoteles, u qui cauſam huius vitioſi conceptus eſse vult humo-

[ſ 1. de morb. mul. t Lib. de ſterilibus. u 4 de ge. an. cap 7.]

humorem concoctu difficilem, & comparatiuè ad calorem, qui etiamsi nactus esset menstruum qualitate & quantitate moderatum, non concoqueret; & simpliciter, quia ex sui mala qualitate, & nimia copia coctionem non pateretur à calore, alioqui pro naturę lege sufficienter robusto. Ita etiam Auerroes [y] eiusmodi vitiati conceptus causam retulit in debilitatem coquentis, & malā digestionem, immò etiam expresse [z] in defectum virtutis formatiuæ. Ita pleriq; alij Medici, qui de hoc affectu tractarunt. Ex priscis Physicis nonnulli crediderunt, ob permixtionem seminum diuersarum specierum generari monstra. Sed hos reijcit Albertus, [a] ea motus ratione, quia dantur quædam monstra, quæ figuras gerunt differentium specierum, quibus vtero gestandi & pariendi tempora longè diuersissima præscripta sunt; ex quo sequeretur, semina ante conceptionem opportunam corruptum iri. Atque hactenus de monstris.

y Ad c. 7. 4. de gen. an.
z 3. col. c. 29.
a 18 de animal. Trac. 1. cap. 6.

Ad numerosos partus quod attinet, horum causam esse seminis diuisionē, cum Hippocrate [b] & Aristotele [c] constanter credo. Qui enim aliter fieri potest? Sed vnde diuisio? Sunt, qui dicant, ex multiplicitate conceptaculorum vteri: cui sententiæ visus est Aristoteles [d] subscripsisse contra quam de Generatione anim. [e] vt ex hoc eorum sententia confirmetur, qui putant, aut nullas, aut paucas problematum Sectiones, quæ sub nomine Aristotelis circumferuntur, illius legitimas esse. Censent alij, seminis hanc diuisionem succedere, quia vel per plures effundatur eiaculationes, vel quia per plures attractiones recipiatur in matricem, aut etiam ob diuersas cauitates ex rugositatibus vteri, aut propter hæc tria simul.

b 1. de Diæta.
c 4. de ge. anim. c. 4.
d 10. Proble. 16.
e lib. 4 c. 4

Ego Alberti [f] sententiam amplector, quam ipse hausit ab Aristotele, atque vt summatim dicam, non inficior, hasce tres causas adiuuare posse, sed potiores esse puto, & magis necessarias, quantitatem & qualitatem seminis. Quantitatem, quia magnitudini corporis cuiuslibet speciei, ex Aristotele, [g] limitata est quantitas geniture, & sanguinis menstrui. Qualitatem, quia si sperma densius, quale est, quod per multam coctionem, & ex sicciori dispositione habet quasdam veluti grandines, aut chalazias, inde fit, vt non facilè, quod secunda eiaculatione emittitur, id cum prima commisceatur; & præterea, vt eius valida formatio fit, quæ pro duobus sufficiat. Et quoniam rarò euenit, vt ex æquo diuisi seminis portiones robustæ sint, idcirco fermè semper ex gemellis altero alter est imbecillior. Quod si semen diuidatur in plures partes, quarum singulæ non sint tantæ quantitatis, quæ pro vno fœtu ordinariæ magnitudinis sufficiat, tunc poterunt plures partus generari, sed parui admodum, & non vitales.

f lib. 18. de ani. Trac. 2. cap. 2.
g 4. de ge. ani cap 4

Ad

h loco de animal. proxime citato. Ad hæc copia ſeminis vt eſt cauſa partus multiplicis, ita ex Alberto h eſſe poteſt cauſa membri vel numero, vel magnitudine aucti. Numero, ſi contingat illam diuidi materiam à robuſta formatrice. Mole, ſi continua, & non diuiſa remanſerit ab eiuſdem formatricis minori vi. Tandem ſi materia, ex qua genitalia formari debent, diuidatur, atque in vna portione vis fœminea præpolleat, in altera maſculea, inde Hermaphroditi monſtroſitas poterit cauſari, in qua illa præualebit ſexus, cuius genitalia exactiùs fuerint conformata, quæ ſi æquè perfecta habeantur, vt aliquando contigiſſe memorant Viri fide digniſſimi; Tunc pro temperatura cordis calidiore, vel minus calida, ſexus præualentia regulabitur. Viſi ſunt barbati Hermaphroditi, & qui omnino virilem habitum præſeferrent, grauidati & grauidantes, quos tamen ad virilem ſexum magis propendere rationabile eſt; vt rationabile, propendere magis ad fœmineum alios, qui cum ex totius corporis habitu muliebris ſexus crediti eſſent, viriſque nupſiſſent, & ex ijs filios ſuſcepiſſent; ſuas tamen ancillas comprimere potuerunt, atque in jis generare.

Imaginationis vires in reddendis ſimilitudinibus, ijſdemque impediendis, aut deprauandis.

CAP. XIX.

Concludatur igitur, facultatem ſeminis effectiuam, ſi rectè diſpoſita ſit, & quantum opus eſt materiæ dominetur, eſſe cauſam ſimilitudinis; contrà vel imbecillam, vel malè diſpoſitam, degenerationis & monſtrorum: qua in re poſse plu-

† 10. Sect. proble. 12. rimum ipſam parentum imaginationem, teſtatur Philoſophus, † vbi quærens, quam ob cauſam cęterorum animantium proles magis quàm hominis parentibus ſimilem gerat naturam? reſpondet:
„ [An quòd homo vago varioque plurimùm animo eſt; prout au-
„ tem pater, materque in conceptu affecti fuerunt, ita partus eua-
„ riant. Cætera verò animantia omnia, aut certè plurima, rei tan-
„ tùm ipſi intendunt, totaque ſeſe Veneri dedunt.] Ex quo loco il-
a 7. Nat. Hiſt. c. 12 „ la Plinij videntur a deprompta: [Similitudinum quidem in mente
„ reputatio eſt, & in qua credantur multa fortuita pollere, viſus, au-

ditus,

„ ditus, memoria, haustæque imagines sub ipso conceptu. Cogitatio
„ etiam vtriuslibet animum subitò transuolans, effingere similitu-
„ dinem aut miscere existimatur. Ideoque plures in homine,
„ quàm in cæteris omnibus animalibus differentiæ, quoniam velo-
„ citas cogitationum, animique celeritas, & ingenij varietas multi-
„ formes notas imprimit: cùm cęteris animantibus immobiles sint
„ animi, & similes omnibus, singulisque in suo cuique genere.]

Quàm miræ autem alterationes tū in nobis, tum in fętu ipso excitentur imaginationis vi, quæ non modò ea, quę nobis insunt, sed externa etiam aliquando vehementer afficit, nemo nescit. Nam quod attinet ad ipsius imaginantis alterationes, notant Viri celebres, somniantium lasciua phantasmata, immò & vigilantium, quorum efficacia non sine virium iactura seminis promoueatur expulsio, id expresse indicare. Sic qui se alligatos per fascinum seriò credunt, ad concumbendum ineptos reddi: Medicineq; purgatorię solum aspectum quandoq; aluum mouisse, perinde ac si fuisset in corpus recepta: oscitandi imaginatio, & meiendi, ad oscitandum sępenumero, & meiendum impellere: cibaria fœda, & excrementa graue olentia vel si nominari tantùm audiantur, nauseam excitare consueuisse: acida ab alijs commanducata nostris dentibus stuporem indere: & dentium stridorem quosdam homines grauiter afficere. Vnde Aristo-
„ teles [b] [Alterant autem imaginationes & sensus, & Intellectus; b De com. an mo. c. 5
„ sensus enim statim sunt alterationes quędam, imaginatio verò &
„ intellectio rerum habent virtutem] Hęc Philosophus, quæ eo sensu recipiuntur ab interpretibus, vt phantasia in actu talis sit in virtute, qualia ipsa externorum sensuum sensibilia sunt in virtute in actu; quia nimirum phantasia sit aliquid simile sensui. Et sanè hoc perpetuę veritatis apparet, quòd quando aliqua sunt ordinata essentialiter, ita vt vnum agat in virtute alterius, secundum retinet virtutem primi, non secùs ac sapor pabuli in lacte, vini facultas in aceto & vis generantis in semine conseruantur. Atq; ad hunc modum si res (inquiunt) agat in sensum, phantasiam, & intellectum; sensus, phantasia, & intellectus retinebunt virtutem rerum. Modò si phantasia hisce rerum virtutibus prædita alterat corpus, atq; immutat pro rei imaginatæ, atq; illius virtutis natura, dubio procul Aristoteli imaginationis facultatem immediatè alterandi, adeoq; hoc pacto eminenter operandi, persuasam credere oportet, ac propterea modum hunc perperam ab eruditissimis Recentioribus [c] damnari, putantibus, ideo similes ex imaginatione affectus excitari, quia à facultate naturali, quæ spiritus mouet, isti imaginatione dirigente

c Fien. de viri ima. quæst. 5.

ad

ad palatum mittantur, ad colem &c.

At quomodo dirigit imaginatio? forsan trahendo? alterando? cognita ab inferiori naturali aut persentita? ridiculè omnia, & vehementer absurda. Quos, amabo, censent spiritus confluere? Naturales forsan? hos nullos esse, latè alibi [d] est patefactũ. Forsan animales, qui neque motiuæ naturali inseruiunt, neq; neruos haud perforatos possunt permeare? Forsan vitales, qui neq; oscitationem efficiunt, neq; excitant expultricem, aut appetitricem, neq; ad stupefactos dẽtes perueniunt? Longè igitur circumspectiùs Aristoteles[e] hęc imaginationi tribuere visus est, decernens, imaginationem alterare, non humores & spiritus mouendo, sed (vti dixi) eminenter atq; immediatè, quòd rerum virtutes habeat.

[d] Disp. de in nat. & nat. spi.

[e] loco cit. de com. an. mo.

Asserunt, ab imaginatione suscitari passiones, & harum vi ac medio alterari corpora, temperamenta, &c. Dicunt, per sympathiam inferiorum facultatum cum phantasia, excrementa parata & redundantia nonnunquam moueri: sed cur non semper paratis & redundantibus excrementis hoc accidit, aut saltem non facere tentat natura? Vndenam est consensus, nisi à virtuali impressione, adeoq; ab alteratione & commotione, apta fieri ab imaginatrice in temperamentum, à quo inferiores facultates emanant & dependent? Fateor ego quoq;, aliquando, sed non semper, ab imaginatione, vbi ex re imaginata alteratio succedit, excitari passiones. Verùm affectus ad quædam mirabilia limitare, quis acceptum non referat occulto atq; efficacissimo facultatis influxui eminenter causanti?

Exemplo Musica esse potest: hæc enim res est, quę in anima recepta primò imaginationem firmat, & hæc firmata mouet affectus, adeoq; limitat mirabiliter, vt supra naturaliter agere in nobis, ac mutationes captum excedentes inducere videatur; quod planè comprobant non solùm Cassiodori testimonia, sed Plutarchi etiam, atq; Platonis, vt complures alios prętermittam. Cassiodori hæc est Oratio: [f] [Vnde claret, quoniam Hyperlydius tonus omnium acutissimus, septem tonis præcedit Hypodorium omnium grauissimum, in quibus, vt Varo meminit, tantæ vtilitatis virtus extensa est, vt excitatos animos sedaret, ipsas quoq; bestias, nec non & serpentes, volucres, atq; delphinas ad auditum suæ modulationis attraheret. Nam vt Orphei Lyram, Sirenarum cantus, tanquam fabulosa taceamus; quid de Dauid dicimus, qui à spiritibus immundis Saulem disciplina saluberrimæ modulationis eripuit, nouoq; modo per auditum sanitatem contulit Regi, quam Medici non poterant herbarum potestatibus operari? Asclepiades quoque Medicus

[f] de Musica.

„ dicus maiorum attestatione doctiss. Phreneticum quendam per
„ symphoniam naturæ suæ reddidisse memoratur. Multa sunt au-
„ tem in ægris hominibus per hanc disciplinam facta miracula &c.] Musica Ionia, Lydiaq; , Plat. g primùm, deinde etiam Plutarcho h referentibus, molles animos atq; eneruatos reddebat, ex phantasia, vt credere par est, deiecta, contrà Dorica & Phrygia graues ac moderatos ob eandem firmatam faciebant, quę vlteriùs ad sui quęmdā excessum ab eisdē musices generib. elata fortitudinē & vehemētiā inducebat, quo modo aliquādo Alex. ille Macedo, i olim Antigenide tibicine ἁρμάτειον νόμον modulante, vsque adeo mente motus, atque ex genere cantus incitatus exarsit, vt concussis armis proripiens se se manus in adstantes intenderit; & talis affectus, ex elata imaginatione & commota mente prouenientis ac limitati, vsque adeò miranda cernuntur opera, vt qui huic obnoxij dispositioni sunt, & audire credantur cœlestes sonos, & futura præsagire, interdumque nutu animi in corpora naturalia efficacissimè agere, ita vt supra humanam conditionem credantur euecti. Quapropter Auicennas K summi iudicij Philosophus, atque in physicis contemplationibus versatissimus, arbitrabatur hominis animam valde imaginationibus affixam, quoniam nobilior est, & maximè à corporeis passionibus secreta, quippe quæ sapiat causarum superiorum naturam, ad eum perfectionis & excellentiæ gradum accedere posse, vt illius iussu exteriora corpora permutentur.

g 3. de Rep. h lib. de Musica. i Apud Plutarchum 2. de Fort. & vir. Alex. K 4. de an. cap. 4.

Est etiam communis opinio, phantasiam, si intenta sit, fascinum inferre, non cuiuscumque sanè hominis, sed nonnullorum solummodò, quorum spiritus & humores, vt quibusdam l placet, adeò malè afficit imaginatio, aut naturalis discrasia, vt propè ad veneni naturam accedant. Vnde illud Poetæ ex horum sententia posset ad spiritus transferri:

„ Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Et Sereni aliud ad ipsos humores:

„ Præterea si fortè premit Strix atra puellos,
„ Virosa immulgens exertis vbera labris.

„ [In Africa, (inquit Plinius, m) familias quasdam effascinantium,
„ Isigonus & Nymphodorus tradunt, quarum laudatione intereant
„ probata, arescant arbores, emoriantur infantes. Esse eiusdem
„ generis in Triballis & Illyrijs, adijcit Isigonus, qui visu quoque
„ effascinent, interimantque quos diutiùs intueantur, iratis præci-
„ puè oculis: quod eorum malum faciliùs sentire puberes.] Ij igitur, concepto in infantem odio, intensissimè intuentes, teneras re-

l Vid. Vairū De fasci. lib. 1. ca. 3. & 4. Vide proble. Alex. sect. 2 proble. 54. & Fracasto. de Symp. & Antipa. cap. 23. m 7. Nat. Hist. ca. 2.

Ee cen-

centesque carnes coinquinant, & sensim absumunt. Censuit Lucretius, semina ex oculis, vel etiam à toto ambitu corporis quibusdam peculiariter aduersantia prodire, quapropter cecinit: [n]

n lib. 4.

„ Quin etiam gallum nocte explaudentibus alis
„ Auroram clara consuetum voce vocare,
„ Hunc nequeunt rapidi contra constare leones,
„ Inque tueri; ita continuò meminere fugai:
„ Nimirum, quia sunt gallorum in corpore quædam
„ Semina, quæ, cùm sunt oculis immissa leonum,
„ Pupillas interfodiunt, acremque dolorem
„ Præbent, vt nequeant contrà durare feroces:
„ Cùm tamen hæc nostras acies nil lædere possint;
„ Aut quia non penetrant, aut quòd penetrantibus illis,
„ Exitus ex oculis liber datur, in remeando
„ Lædere ne possint ex vlla lumina parte.

Id ipsum fortasse statuent alij de luporum intuitu, qui si primi obuiū hominem aspexerint, ei auferunt vocis vsum; ex quo illud Poetæ, [o]

o Ecloga 9.

„ Vox quoque Mœrim
„ Iam fugit ipsa: lupi Mœrim videre priores.

Sic de Basilisci aspectu, & similibus.

Ego, quicquid alijs videatur sustinēdum animæ, & phantasiæ eminenter agenti, aut occultis naturarum antipathijs opera ista, modò vera sint, crediderim tribuēda; neque spirituum ab oculis, similesuè alias defluxiones probo, quæ iamdiu meliorum physicorum iudicijs & communiter receptis demonstrationibus sunt explosæ. Narrat Iulius Cæsar Scaliger [p] iocosam historiam, mirabilem tamen, Reguli Vasconis equitis, qui audito phormingis sono vrinam illico facere cogebatur. Quid hic subsit causæ, quod citra absurditatem euidentem liceat cogitare, præter commotam imaginationem ex peculiari Sympathia, mihi planè in occulto est. Si ex horrore, vt ipse censet Scaliger, succutiebantur musculi; cur non & fęces reddebat? cur non horripilatio, & totius corporis manifesta concussio tremorque succedebant? cur non pallor, non metus, non fuga, aut saltem concitata auersatio notabantur? Quomodo terror ex harmonia placidissima instrumenti quod fortasse fuerit instar omnium musicalium, iuxta illud Virgilianum,

p contra Card. exerc. 344. cap. 6.

„ Augurium, citharamque dabat, celeresque sagittas?

& si hoc sit terrificum, qua, amabo, ratione tanti esse valeat, quanti certè non est tympanorum pulsatio, pyriuè pulueris vel ex ingenti tormento bombus feriens aures, & perterrefaciens.

„ Qualiter

„ Qualiter expressum ventis per nubila fulmen
„ Aetheris impulsi sonitu,mundique fragore ?

Quid ergo aliud præter imaginationem limitauerat eiusmodi affectum,qualiscumque ille esset,tali euentui ? Quæ autem sit causa,propter quam huius hominis imaginatrix magis eminenter,altera minùs agere nata sit, altiorem habet indaginem, quàm vt nostri captus valeant dignoscere & explicare, tametsi nonnihil tangam paulò posteriùs, quod ad hanc contemplationem pertineat, alibi forsan enucleatiùs, quæ hoc loco dimittuntur, atque opportuniùs discussurus.

Nunc ad Auicennam reuertor, qui in proposito ita scribit ad verbum : q [Multoties autem anima operatur in corpore alieno, sicut in proprio ; quemadmodum est opus oculi fascinantis. Immò cùm anima fuerit constans, nobilis, similis principijs, obediet ei natura, quæ est in mundo, & patietur ex ea, & inuenietur in materia, quicquid formabitur in illa.] Hæc & similia Auicennæ placita animaduertentes, qui de imaginationis viribus scribunt Recentiores, r dicunt fuisse ipsum in extollendis imaginationis facultatibus superstitiosum & nimis effusum, ideoque minùs fidei ei adhibendum esse, quod & de Magno Alberto asserunt. / Narrant s Thomam à Vega, Virum fide dignissimum, scripsisse, quemdam ex suis decumbentem causo, frequenter in delirio obnixissimè Medicos rogasse, vt liceret sibi in illo stagno (pauimentum monstrabat) natare, dicendo, quòd ex inde esset conualiturus, & Medicos id ei tandem concessisse : Illum tum se in pauimentum mox deiecisse, & cùm in eo aliquanto tempore fuisset volutatus, cum summa lætitia dixisse, aquam nunc ad genua, & paulò altiùs ascendisse, & cùm vltimò sibi persuaderet, eam iam vsque ad guttur peruenisse, dixisse, se iam sanum esse, & reuera sanum euasisse. t Asserunt, hoc fuisse casuale, neq; quomodo acciderit, posse sciri, vel potuisse ex frigiditate pauimenti febrem extingui. Sed quo numero eiusmodi pronunciata aduersus opiniones summorum philosophorum experientia comprobatas, habenda sint, studiosis iudicandum relinquo.

Censent, u penitus impossibile, vt narratæ corporum alterationes ab imaginatione eminenter causentur, rationibus à conditione humanæ animæ materiæ implexæ petitis, & experimentis partim negatis, partim magorum ac Dæmonum illusionibus adscriptis. Hoc quoque loco parum accuratè (ni ego fallor) pensitantes excellentiam humanæ phantasiæ, formis immaterialibus propinquissimæ, vtpote quæ, ex memorato Auicennæ iudicio, sapiat naturam abstractorum ; & ex Themistio, x sit in confinio sensus & intellectus. Culpandi quin

q loco proximè cit.

r Vien. de Vir. Imag.

s sup. cit. sq. 18.

t Ibidem.

u Vid. Leonar. Vair lib. 2 de Fasci. & Fie. de viri Imag.

x 3 de anim. tex. 152.

etiam, quòd non obseruent, cuius momenti sint voluntaria hæc aduersus effectus iam relatos, quibus fidem abrogare, hominis esset historia, testimonioque & iudicio ingenuorum scriptorum abutentis. Inuenies, si diligenter naturæ librum euoluas, dari virtutum quarundam eminentes influxus, à rebus humana phantasia longè ignobilioribus promanantes, quorum causæ, rationesuè, aut modi penitus imperceptibiles sint. Consultò Pyrrhi Regis digitum prætereo, Sampsonis capillitium, Vespasiani, & Regum Galliæ contactus mirificos, & similium complures alias Historias, nullatenus nostrorum Physiologorum hypothesibus consentaneas. Mitto terrarum halitus, quorum vires aut non credunt, aut etiam derident. Stulte Lucane, qui cecinisti, y

y 5. Phar. vide etiã Cic. 1. de Diuin. & Plutar. de oracu. Defec.

„ Vt vidit Pean vastos Telluris hiatus
„ Diuinam spirare fidem, ventosque loquaces
„ Exhalare solum, sacris se condidit antris,
„ Incubuitque adyto, Vates ibi factus Apollo.

Et si effectus omnes, quos non aduertimus, corporum naturalium tam sensibiles, quàm insensibiles nobis essent explorati, fortasse frequenti vsu disceremus & communium scientiarum tenuitatem agnoscere, & esse verissimum Manilij Carmen,

„ In nobis culpa est, nescimus credere cœlo.

Cui eminentiam influxuum conuenire, & in similibus operib. subordinari phãtasiam, valde mihi probabile est, tum propter alias causas, quas opportuniore loco pleniùs patefaciam; tum quia reperio Viros eruditissimos, ingenuosque veritatis amatores, in hac fuisse sententia; inter quos nunc mihi vnus sit instar omnium D. Thomas, doctrinæ profunditate, morum candore, & pietate incomparabilis; qui hac proposito inseruientia scribit ad verbum: z [Manifestũ est enim quòd etiam inanimata corpora quasdam vires, & efficacias à cœlestibus corporibus consequuntur; & etiam præter eas, quæ ad qualitates actiuas, & passiuas elementorum consequuntur; quas etiam non est dubium cœlestibus corporibus esse subiectas, sicut quòd magnes attrahit ferrum, habet ex virtute cœlestis corporis; & lapides quidam, & herbæ alias occultas virtutes. Vnde nihil prohibet, quòd etiam aliquis homo habeat ex impressione corporis cœlestis aliquam efficaciam in aliquibus corporibus faciendis, quas alius non habet, puta Medicus in sanando, & agricola in plantando, & miles in expugnando.] Cætera, pereant ego si quæ aduersarij contra hanc sententiam proferre solent sophismata, ipsi satis intelligunt, & tamen horum apparatu rudioribus, qui quàm plurimi sunt, facilè imponunt.

z 3 Cõtra Gent. c. 92

nunt. Mirum, atque intolerabile, eos, qui minùs de rebus ſciunt, inque artibus verſati ſunt, has magis acriter inſectari, ac de illis definitiua ferre iudicia. Detur mihi venia, ſi coactè indignabundus erumpo, quòd videam quoſdam ſciolos cenſere, alios ſe ad ignorantiæ aſylum recepiſse, qui vel rerum naturalium occultas proprietates, vel cœlorum influentias admittunt, turpeque eſse, ſi aliquando de naturę arcanis ingenuè verbum hoc proferatur, Ignoro, ipſis interim nihilo plus docentibus, vel abſurdiſſima & ridicula confingentibus.

Sed ad rem: Eminentes igitur cùm ſint rerum naturalium, vel humana phantaſia ignobiliorum operandi modi, mirifici, & ſupra captum, quid eſt, quod non probabile faciat, hanc noſtram imaginatricem eminenter de ſe atq; immediate ſimiles poſſe producere effectus, adeoq; & in ſemen, & in fętum, qui pars matris quodammodò eſt, rerum imaginatarum figuras imprimere, formatricemq; ipsā diuertere? Dico, humanam imaginatricem poſſe formatricem diuertere; non ſic fortaſſe, aut ſaltem non tam facili negotio aliorum animalium minùs nobilitate præſtantium. Dico, formatricem diſtrahi in humana ſpecie non ſemper, ſed cùm fuerit imbecilla; nam ſi fortis ſit, haud facilè dimouetur, neq; cedit phantaſiæ; quod eorum gratia dictum ſit, qui ſibi eoſdem imaginationis effectus & ſemper, & in omnibus monſtrari poſtulant, in eo etiam deficientes, quòd patientis diſpoſitiones neceſſarias eſſe non animaduertant.

Ex fixa imaginatione non ſolùm pulchriores, aut magis deformes reddi natos, qualis ille, cuius meminit Gal. de Theri. ad Piſ. z ſed aliquando etiam portentosè efformatos fętus viſos fuiſſe, & antiquiores, inter quos Emped. † & Recentiores pleriq; ſcriptis memoriæq; mandarunt. Hancq; ego fuiſſe cauſam exiſtimo, cur Seleuco anchoræ ſignum, materno annulo inſculptum, tam altè fuerit impreſſum, vt id per multas ſucceſſiones humero affixum nepotes geſtauerint. Quapropter meritò annulus ille fatalis ab Alexandro Neapolitano a vocatus eſt, b qui num fabula fuerit, aut adiectum fabulæ, quod ferunt de poſteritate Seleuci, Sabellicus c animi anceps, fidem apud lectorem cenſuit relinquendam. Ego non auſim negare, quod ex naturalium cauſarum diſpoſitione non eſt penitus impoſſibile, & quod tamdiu fuit in opinione hominum, non ſolùm vulgarium, ſed etiam eruditorum.

Vtut ſe res habeat, frequens experientia docet, ad hunc modum ſtigmata, immò interdum etiam prominentes ex carne formatas imagines quaſdam eorum, quæ à prægnātibus intenſiùs appetuntur, fętibus ipſis adnaſci. Cauſam & modum aſſignant nonnulli, d quòd

z Cap. 11.
† Apud Plutarc. 5. de plac. vt ph c. 12
a 2. Geni. cap 19.
b vid. Iuſt. lib. 15. Fulg lib. 1 cap 6.
c Aen. 4. lib. 7.
d Fracaſt. Laur. & alij.

ex magna phantasia moueantur spiritus & humores, rebus imaginatis proportionati, ex quibus, cùm tenellus embryo facilè à quacumq; vel leui alteratione mutabilis, nutriatur, alimenti ita affecti in summa cute vestigium contractum remanet. Censent alij, imagines in spiritibus, haud secus quàm in aere, medijsuè consimilibus receptas, species sibi similes in fœtu posse producere, scilicet formatiua, quę viget in spiritibus seminis, ab harum imaginum præsentia alterata, atq; ad earum naturam conuersa & limitata.

Ego opiniones istas non probo, qui, vt antea dicebam, vias animalibus spiritibus peruias non agnosco, & si agnoscerem, haud facilè caperem, quo pacto spiritus ferre valeant Ideas, & tam mirabiliter ac determinatè membro insculpere, quod genitrix manu vel leuiter contrectauerit aut tetigerit. Exemplum Diaphani, species visibiles recipientis, & aliorum mediorum, quę cætera sensibilia recipiunt ac deportant, receptioni spirituum non bene respondet; aliter enim recipit organum ab anima regulatum, aliter medium nihil habens sensifici, aut vitaliter alteratiui. Quòd si idem etiam sit recipiendi, comportandi, & propagandi modus, difficile adhuc intellectu est, quomodo corpus aereum, aut simile aliud, imbuatur speciebus nihil habentibus reale præsens, quod ipsis respondeat in re; & si habeant, quomodo cùm sit spiritus, vasorum anfractibus implicitus, possit per tot gyros conceptas species integras deferre, quę nisi rectis quibusdam tractibus ad instar luminis diffunduntur. Equidem determinabam, phantasiam habere virtutem rerum, ex qua fortasse videbitur cuipiam, realem quandam non deesse phantasiæ in actu radicem propagationis & diffusionis specierum imaginatarum: sed ego intellexi, virtutem rerum eminenter agentem, non more naturæ vsitato, cum species sensibiles media & sensus peruadunt atque afficiunt. Intellexi, phantasiam cum sensu essentialiter ordinatam, non de se fingentem, & phantasmata fabricantem.

Obijciunt huic sententiæ Recentiores, nec malè, quòd alia præter imagines, puta terrores, ex rebus imaginatis fœtibus imprimantur, quib. euentibus per has causas non satis fit. Sed illis priorib. præterea non subscribo, quòd, vt alij quoq; notarunt, modū non habeāt, quo ex præsentia specierum in seminis spiritibus receptarum formatrix alteretur, aut dirigatur. Minùs subscribo illis, e qui à phantasia exemplariter formatiuam dirigi autumant. Ratio est, quòd hæc merè naturalis sit, solo instinctu operans, quapropter à nullo typo dirigi formariuè potest, potissimùm adeò particulariter, atq; ad amussim. Sufficere opinantur, si instinctu capiat aut persentiat. Sed

e Fien. de viri. ima. q. 15.

præ-

præterquam quòd captus eiusmodi vel persensio, res est prorsus imaginaria, quando instinctus naturalis nihil fortasse aliud sit, quàm insiti principij procliuitas. Non etiam satis perspicio, quid captus is commentitius purè naturalis facere habeat cum cognitione exemplariter mota, quę non solùm cognitione exemplaris fieri solet, sed ēt iudicio circa ipsum imitatiuo cum electione. Tribuunt hanc præeminentiam formatiuæ, propter illius Diuinitatem, & pleraq; alia confingunt, quibus nullatenus possum assentiri, quòd nullis sint probationibus innixa.

Reperiuntur, qui naturam haud temerè agentem, non cæcam prorsus existiment. Sed hos remittere oportet ad doctrinam Alexandri, *f* de qua fortasse alibi plura, atq; opportuniùs. Nunc vt ad propositum pertinet, crediderim potiùs ego, imaginationem vel ex se immediatè atq; eminenter agere, si res imagini conceptæ respondens, in iam formato fętu insculpatur, cuiusmodi sunt purę maculæ, puta vini, lactis, & similium; vel phantasiam formatrici cooperari, si, quod insuetum apparet, vnà cum reliquis membris efformetur, & ab his magnitudine, figura, & situ separatum existat, qualia sunt cerasa, vel pyra carnea, à collo, manuuè, aut parte alia propēdentia; vel etiam si membra ipsa monstrosè fuerint conformata, ad similitudinem rei sub tempus conceptionis vel conformationis à fœmina concupitæ. Mulierem plebeiam Patauij notissimam agnosco, quæ adhuc viuit, cùm hæc in vulgus profero; huic sub oculo sinistro prominet cerasum carneum, subtili & oblongo petiolo appensum, quod toto anni tempore album conspicitur, mense autem Maio & Iunio, quando maturescunt cerasa, nigrum euadit. Similis fructus propendebat ex labro fratris, quem cùm incisione leui, & dolore exiguo sustulisset, vlcus insanabile & cancrosum contraxit; quo exemplo exterrita mulier, nunquam voluit portentum sibi à facie diuelli. Vtrumque ex imaginatione matris, atque ex contactu partis, vbi signum apparuit, enatum refert, de tempore appetitus materni nihil elicere potui. Et quoniam certè scio fore, vt similium monstrositatum ex prægnantum imaginationibus quotidie obseruentur exempla, non laborabo, vt vlteriùs legentibus persuadeam, isthæc omnia fideliter intellecta & narrata fuisse. Interim qui contrarias partes defendunt, atque eminentem phantasiæ agendi modum reijciunt, his effectibus suas causas citra vehementes absurditates accommodent, & mihi sint Apollines & oracula. Veritatis autem ingenuos amatores, si Astrologiæ periti fuerint, rogabo, vt ne grauentur eorum genituras obseruare, qui ex appetitu materno enormes maculas

f Apud Simplicium 2. physic. com. 22.

las vel carneas appendices gestarunt: Has enim ego semper infęlices inueni, quales fermè monstrorum; sicuti è contra valde fœlices insignium quorundam Virorum, qui figuris insuetis quidem, sed regulatis fuere signati, quales extitisse memorant anchoram Seleuci, cuius antea memini, & Augusti notas genitiuas ad Vrsæ cęlestis similitudinem dispositas.

g Fien. de vir. imag. q. 16. Volunt, g nullam aliam imaginationem, præter eam, quæ fit cum assensu, & quam animi passiones sequuntur, posse signare. Objicientibus varia & multa in contrarium experimenta, partim falsa esse dicunt, partim supra naturam; vel tales notas non fuisse veras signaturas, sed tantùm deformitates monstrosas, casuales, & fortuitas, ab alia peculiari causa, & non ab imaginatione profectas: omnia voluntaria, & quæ sponte cum alijs consimilibus excogitatis concidant. Esto verum, quod profitentur, animi passiones turbare conformatricem, agitando spiritus & humores matris, & per consensum spiritus etiam ac humores in fœtu. Habeant, vt credunt, facultatem species ipsas phantasticas vigorandi. Quis, amabo, tandem

h quæst. 15 „ eam doctrinam amplectetur, qua decernunt, h [propter actum „ appetitus, & animi passiones, quæ phantasiæ coniung ntur, species in remotas partes irradiare? Quādo signatura (inquiunt) fit, „ ꝑpter imaginationē habitā in hora coitus, species irradiāt rectā per „ neruos in testes, & semini immediatè imprimuntur, quod semen „ cùm in vterum recipitur, secum defert species illas, & aliquanto „ tempore retinet, & cum formatrix incipit illud efformare, format „ ad similitudinem earum. Quando autem fit figurata propter ima- „ ginationem habitam post conceptum, tum per neruos, mediante „ actu appetitus. species communicantur cordi, ibidem sanguini & „ spiritibus vitalibus imprimuntur, & illis tanquam subiectis delatę, „ inde per arterias matris, & tandem per vmbilicales fœtui com- „ municantur.] Quis non reijciet hanc specierum deportationem per neruos non perforatos, & qui nihil pertinent ad semen in prostatis contentum? Quis non mirabitur transitum harum specierum, à neruo per solidam cordis substantiam disperso ad spiritus & sanguinem in ventriculis atque arterijs contentos?

Sunt, qui non intelligentes, quod nemo forsan intelligit, aut intelligere potest, quomodo phantasia esse tanti valeat, vt eiusmodi admirabilium euadat causa efficiens; alios comminiscuntur modos, nihil minùs (quantum ego arbitror) à consentaneo remotos, extrinsecam materialem causam stigmatum generationi adhibentes, hancque referentes ad rei concupitę substantiam tenuiorem, qua spectrum cōpor-

portetur; cùm tamen, vt magnas alias prætercam obiectiones, quod necessariò consequitur, longè absurdissimum sit, scilicet vel hanc substantiam vim obiecti formatricem habere, pyri, cerasi, & consimilium; vel saltem formam aut figuram eorumdem, instar defluxionum Democrito, & Epicuro probatarum. Cæterùm consensus mirabiles inter partes nostri corporis, cuiusmodi ferme sunt fœtus nondum separati, & phantasiam ex promiscua motione & actione, paucos esse puto prudentes, qui non aduerterint. Hos ego in me ipso sæpenumero expertus sum, qui obseruaui, ex malè affecto stomacho, nauseabunda somnia; lasciua, ex multiplicato ac diu retento semine excitata fuisse. Vt prætercam, in confesso esse, ab atra bile, aliqua in parte redundante funesta; à pituita, aquea; ignea & terribilia, à bile; à sanguine, læta semper repræsentari. Quam ob causam Medici elegantes, vt notabat Philosophus, [k] somnia ægrotantium attentè obseruare consueuerunt. Cùm igitur, vt modò dicebam, fœtus in vtero viuat quasi pars matris; hinc quantum ego perspicio, conformitas nascitur principiorum, affectuum & commotionum, vt proinde facilè mutuæ oriantur alterationes; quales iam dictæ inter partes ab humoribus affectas, & phantasiam; qualesque experimur inter duas citharas eodem tono temperatas, si vel super eadem tabula, vel contiguæ collocentur. Pulsatio enim vnius efficit vt altera non pulsata eundem concentum sonet.

[k] *De Diuin. per som.*

Dicam mirum quod ad partes affectas phantasiam mouentes pertinet, mihi nocte quadam rure meo dormienti mus pollicem sinistrum arrodebat, interim somniabam, me aspero cortice eiusdem digiti extremitatem inuoluere, indeque asperitatem, mox & abrasionem persentire, quæ cùm inualesceret, atque altiùs semper videretur infigi, somno excussus, digitum inueni ex profunda vna punctura cruentatum, cætera circumcirca leuiter arrosa. Inde statim recordatus sum mirabilis Historiæ Matthæi de Grado, [l] memorantis, Alexandrum Vicecomitem quoties somniasset se comedere, semper die sequenti renali dolore corripi consueuisse, & quò duriora apparuissent commansa, eò sæuiùs excruciatum. Mox legi apud Fienum [m] ex Fulgosio, [n] quod non minùs mirandum sit, Arnoldum Philosophum scripsisse, cùm nocte somniasset, se à cato in pede morderi, postridie mane in eodem pede vlcus vel anthracem contraxisse. Excitatur ergo ab affecto corpore phantasia & mouetur, ipsam autem vicissim posse mouere corpus, & fœtũ ipsum vtero prægnantis cõtentum, huncque mirabiliter, & supra humanum captum alterare & afficere, vt plerisque, ac ferè omnibus est persuasum, & nuper monstratum

[l] *In com. 9. Rasis cap. 14.*

[m] *De vir. ima q. 10.*

[n] *lib. 1. cap. 5.*

fuit, & monstrabo etiam, si ampliùs dixero, mores quoque animi atque affectus à phantasia parentum intenta, tam ordinarios, quàm extraordinarios fœtibus inseri; qualia enim assiduè & vehementer meditantur parentes, talia etiam non difficulter nati eligunt & recipiunt, vt non sit à consentaneo alienum dixisse,

„ Qui viret in folijs, venit ab radicibus humor,

„ Sic patrum in natos abeunt cum semine mores.

Referunt,[o] prægnantem mulierem exterritam ob cati seu felis casum ex alto, filiam peperisse, quæ in reliquis prudentissima, catos maximoperè auersabatur atque timebat. Hinc putant alij, non esse præceptum Hesiodi spernendum,[p]

„ Neque ab infami sepulcro reuersus

„ Seminato progeniem, sed Deorum à conuiuio.

Sunt admirabilium phantasiæ motionum ac impressionum sexcenta alia exempla, ab auctoribus fide dignis conscripta, quæ si huc transferre voluero, nunquam finem scribendi faciam. Qui plura videre cupit, adeat SchencKium[q] & Fienum,[r] qui longum historiarum ordinem recensent. Si quis verò hoc loco curiosiùs perquirat, vnde fit quòd signa in fętu exprimantur, & maneant, non in matre; respondebo, id accidere tum propter materiæ promptissimam passibilitatem, quæ ex mollitie prouenit; tum quia embryo motu increscente mouetur; & quæ format vis validissimè agere nata est; sic quò velociùs currunt nauigia, eò faciliùs temonis motu flectuntur vel leuissimo, nedum validiore.

Hæc ergo narrata, atque à Philosophis grauissimis recepta, si vera sint aut omnia, aut saltem illa, quæ ad fętuum figurationes ex phantasia generantium immutatas pertinent, videant eruditi, quàm apposite sapientem prudentemque organorum animæ opificem extrinsecus aduenientem, & vel propria actione immediatè, vel interuentu animę formantem induxerint Viri classici: etenim qua ratione probabile sit, summam prouidentiam & sapientiam cœlitus deductam, suapteque vi & conditione impatibilem, à leui phantasię motione seduci, & non solùm impediri, sed vitiari quoque, atque ita à proposito exturbari, vt nedum secundum formam ordinariam à parentibus dissimiles, sed omnino etiam monstrosos partus efficiat, in conformatione potissimùm & situ? Impeditur quidem Solis radius, quod est Philosophi non incelebris exemplum,[s] extrinsecus aëri aduenіens nebula obiecta, sed non commaculatur aut inficitur, ita vt consuetos effectus à propria forma prodeuntes diuersos & corruptos producat: quanto minùs forma immaterialis extrinsecus adueniens, & cum corpore

o Thom. Erastus de occul. pha. propo. cap. 34.

p lib. qui tit. opera & dies.

q Obser. lib. 4.

r De vir. ima. q. 13

s Bonamici 4 de alim. c. 38.

corpore nequaquam extensa vitiabitur, quantumuis, quòd materię alligata, illius actiones impediri posse concedas.

Sed hęc obiter, illud magis ad rem pertinet disseruisse, an tantum imaginatio valeat, vt pro fœmina paratam materiam, seu vt cum Hippocrate loquar, fęmineum semen masculeo sexu aliquando exornet, aut contrà fęmineo, quod paratum est pro masculeo? Huius profectò euentus cām esse solā calidiorē, vel minùs calidam seminis temperaturam, Galenus diceret, t à quo non diffidet Aristoteles, u cui ego subscribens adderem, x in vtroque sexu contineri principium: neque maris & fœmellę genitalia esse vt pyrum carneum, aut cerasum, nihil vltrà valens quàm caro simplex. Recentiores Conciliatoris fortasse iudicium y probantes, solam etiam imaginationem posse sexus differentiam pręstare contendunt: quod libenter ego quoque concederem, si cùm ex fixa imaginatione mas creditur generari, mihi esset perspectum, non potuisse etiam semen esse ex se masculeum, vel calidius. Fernelius z omnem causam similitudinis filiorum, quo ad effigiem parentum, imaginationi acceptam refert. Quanta id cum ratione, viderint illi, qui maiorum signa & effigies in fœtibus reuersa notauerint, quorum proximi generantes nunquam fuerint recordati.

t ex locis de sem. & de vsu pa. antea cit.
u 4. de ge. an. cap. 1. & 2.
x ex 1. de ge. an. c. 2. & ex 4. de ge. an. c. 1.
y Dif. 28.
z 7. Physi. cap. 12.

FINIS.

PATAVII
APVD PAVLVM FRAMBOTVM
MDCXXVII.
Superiorum Permissu.

centesque carnes coinquinant, & sensim absumunt. Censuit Lucretius, semina ex oculis, vel etiam à toto ambitu corporis quibusdam peculiariter aduersantia prodire, quapropter cecinit: n

n lib. 4.

„ Quin etiam gallum nocte explaudentibus alis
„ Auroram clara consuetum voce vocare,
„ Hunc nequeunt rapidi contra constare leones,
„ Inque tueri; ita continuò meminere fugai:
„ Nimirum, quia sunt gallorum in corpore quædam
„ Semina, quæ, cùm sunt oculis immissa leonum,
„ Pupillas interfodiunt, acremque dolorem
„ Præbent, vt nequeant contrà durare feroces:
„ Cùm tamen hæc nostras acies nil lædere possint;
„ Aut quia non penetrant, aut quòd penetrantibus illis,
„ Exitus ex oculis liber datur, in remeando
„ Lædere ne possint ex vlla lumina parte.

Id ipsum fortasse statuent alij de luporum intuitu, qui si primi obuiũ hominem aspexerint, ei auferunt vocis vsum; ex quo illud Poetæ, o

o Ecloga 9

„ Vox quoque Mœrim
„ Iam fugit ipsa: lupi Mœrim videre priores.

Sic de Basilisci aspectu, & similibus.

Ego, quicquid alijs videatur sustinēdum animæ, & phantasiæ eminenter agenti, aut occultis naturarum antipathijs opera ista, modò vera sint, crediderim tribuēda; neque spirituum ab oculis, similesuè alias defluxiones probo, quæ iamdiu meliorum physicorum *iudicijs* & communiter receptis demonstrationibus sunt explosæ. Narrat Iulius Cæsar Scaliger p iocosam historiam, mirabilem tamen, Reguli Vasconis equitis, qui audito phormingis sono vrinam illico facere cogebatur. Quid hic subsit causæ, quod citra absurditatem euidentem liceat cogitare, præter commotam imaginationem ex peculiari Sympathia, mihi planè in occulto est. Si ex horrore, vt ipse censet Scaliger, succutiebantur musculi; cur non & fęces reddebat? cur non horripilatio, & totius corporis manifesta concussio tremorque succedebant? cur non pallor, non metus, non fuga, aut saltem concitata auersatio notabantur? Quomodo terror ex harmonia placidissima instrumenti quod fortasse fuerit instar omnium musicalium, iuxta illud Virgilianum,

p contra Card. exerc. 344. cap. 6.

„ Augurium, citharamque dabat, celeresque sagittas?

& si hoc sit terrificum, qua, amabo, ratione tanti esse valeat, quanti certè non est tympanorum pulsatio, pyrijuè pulueris vel ex ingenti tormento bombus feriens aures, & perterrefaciens,

„ Qualiter

„ Qualiter expressum ventis per nubila fulmen
„ Aetheris impulsi sonitu, mundique fragore?

Quid ergo aliud præter imaginationem limitauerat eiusmodi affectum, qualiscumque ille esset, tali euentui? Quæ autem sit causa, propter quam huius hominis imaginatrix magis eminenter, altera minùs agere nata sit, altiorem habet indaginem, quàm vt nostri captus valeant dignoscere & explicare, tametsi nonnihil tangam paulò posteriùs, quod ad hanc contemplationem pertineat, alibi forsan enucleatiùs, quæ hoc loco dimittuntur, atque opportuniùs discussurus.

Nunc ad Auicennam reuertor, qui in proposito ita scribit ad verbum: q [Multoties autem anima operatur in corpore alieno, sicut in proprio; quemadmodum est opus oculi fascinantis. Immò cùm anima fuerit constans, nobilis, similis principijs, obediet ei natura, quæ est in mundo, & patietur ex ea, & inuenietur in materia, quicquid formabitur in illa.] Hæc & similia Auicennæ placita animaduertentes, qui de imaginationis viribus scribunt Recentiores, r dicunt fuisse ipsum in extollendis imaginationis facultatibus superstitiosum & nimis effusum, ideoque minùs fidei ei adhibendum esse, quod & de Magno Alberto asserunt. s Narrant t Thomam à Vega, Virum fide dignissimum, scripsisse, quemdam ex suis decumbentem causo, frequenter in delirio obnixissimè Medicos rogasse, vt liceret sibi in illo stagno (pauimentum monstrabat) natare, dicendo, quòd ex inde esset conualiturus, & Medicos id ei tandem concessisse: Illum tum se in pauimentum mox deiecisse, & cùm in eo aliquanto tempore fuisset volutatus, cum summa lætitia dixisse, aquam nunc ad genua, & paulò altiùs ascendisse, & cùm vltimò sibi persuaderet, eam iam vsque ad guttur peruenisse, dixisse, se iam sanum esse, & reuera sanum euasisse. Asserunt, hoc fuisse casuale, neq; quomodo acciderit, posse sciri, vel potuisse ex frigiditate pauimenti febrem extingui. Sed quo numero eiusmodi pronunciata aduersus opiniones summorum philosophorum experientia comprobatas, habenda sint, studiosis iudicandum relinquo.

Censent, u penitus impossibile, vt narratæ corporum alterationes ab imaginatione eminenter causentur, rationibus à conditione humanæ animæ materiæ implexæ petitis, & experimentis partim negatis, partim magorum ac Dæmonum illusionibus adscriptis. Hoc quoque loco parum accuratè (ni ego fallor) pensitantes excellentiam humanæ phantasiæ, formis immaterialibus propinquissimæ, vtpote quæ, ex memorato Auicennæ iudicio, sapiat naturam abstractorum; & ex Themistio, x sit in confinio sensus & intellectus. Culpandi quin

q loco proximè cit.
r Fien. de Vir. Imag.
s sup. cit. sq. 11.
t Ibidem.
u Vid. Leonar. Vair lib. 2 & Fasci. & Fie. de viri Imag.
x 3 de anim. tex. 152.

etiam, quòd non obseruent, cuius momenti sint voluntaria hæc aduersus effectus iam relatos, quibus fidem abrogare, hominis esset historia, testimonioque & iudicio ingenuorum scriptorum abutentis. Inuenies, si diligenter naturæ librum euoluas, dari virtutum quarundam eminentes influxus, à rebus humana phantasia longè ignobilioribus promanantes, quorum causæ, rationesuè, aut modi penitus imperceptibiles sint. Consultò Pyrrhi Regis digitum prætereo, Sampsonis capillitium, Vespasiani, & Regum Galliæ contactus mirificos, & similium complures alias Historias, nullatenus nostrorum Physiologorum hypothesibus consentaneas. Mitto terrarum halitus, quorum vires aut non credunt, aut etiam derident. Stulte Lucane, qui cecinisti, y

y 5. Phar. vide etiā Cic. 1. de Diuin. & Plutar. de oracu. Defec.

„ Vt vidit Pean vastos Telluris hiatus
„ Diuinam spirare fidem, ventosque loquaces
„ Exhalare solum, sacris se condidit antris,
„ Incubuitque adyto, Vates ibi factus Apollo.

Et si effectus omnes, quos non aduertimus, corporum naturalium tam sensibiles, quàm insensibiles nobis essent explorati, fortasse frequenti vsu disceremus & communium scientiarum tenuitatem agnoscere, & esse verissimum Manilij Carmen,

„ In nobis culpa est, nescimus credere cœlo.

Cui eminentiam influxuum conuenire, & in similibus operib. subordinari phātasiam, valde mihi probabile est, tum propter alias causas, quas opportuniore loco pleniùs patefaciam; tum quia reperio Viros eruditissimos, ingenuosque veritatis amatores, in hac fuisse sententia; inter quos nunc mihi vnus sit instar omnium D. Thomas, doctrinæ profunditate, morum candore, & pietate incomparabilis; qui hac proposito inseruientia scribit ad verbum z [Manifestū est enim quòd etiam inanimata corpora quasdam vires, & efficacias à cælestibus corporibus consequuntur; & etiam præter eas, quæ ad qualitates actiuas, & passiuas elementorum consequuntur; quas etiam non est dubium cęlestibus corporibus esse subiectas, sicut quòd magnes attrahit ferrum, habet ex virtute cęlestis corporis; & lapides quidam, & herbæ alias occultas virtutes. Vnde nihil prohibet, quòd etiam aliquis homo habeat ex impressione corporis cœlestis, aliquam efficaciam in aliquibus corporibus faciendis, quas alius non habet, puta Medicus in sanando, & agricola in plantando, & miles in expugnando.] Cætera, pereant ego si quæ aduersarij contra hanc sententiam proferre solent sophismata, ipsi satis intelligunt, & tamen horum apparatu rudioribus, qui quàm plurimi sunt, facilè imponunt.

z 3 Cōtra Gent. c. 92

nunt. Mirum, atque intolerabile, eos, qui minùs de rebus sciunt, inque artibus versati sunt, has magis acriter insectari, ac de illis definitiua ferre iudicia. Detur mihi venia, si coactè indignabundus erumpo, quòd videam quosdam sciolos censere, alios se ad ignorantiæ asylum recepisse, qui vel rerum naturalium occultas proprietates, vel cœlorum influentias admittunt, turpeque esse, si aliquando de naturę arcanis ingenuè verbum hoc proferatur, Ignoro, ipsis interim nihilo plus docentibus, vel absurdissima & ridicula confingentibus.

Sed ad rem: Eminentes igitur cùm sint rerum naturalium, vel humana phantasia ignobiliorum operandi modi, mirifici, & supra captum, quid est, quod non probabile faciat, hanc nostram imaginatricem eminenter de se atq; immediate similes posse producere effectus, adeoq; & in semen, & in fętum, qui pars matris quodammodò est, rerum imaginatarum figuras imprimere, formatricemq; ipsã diuertere? Dico, humanam imaginatricem posse formatricem diuertere; non sic fortasse, aut saltem non tam facili negotio aliorum animalium minùs nobilitate præstantium. Dico, formatricem distrahi in humana specie non semper, sed cùm fuerit imbecilla; nam si fortis sit, haud facilè dimouetur, neq; cedit phantasiæ: quod eorum gratia dictum sit, qui sibi eosdem imaginationis effectus & semper, & in omnibus monstrari postulant, in eo etiam deficientes, quòd patientis dispositiones necessarias esse non animaduertant.

Ex fixa imaginatione non solùm pulchriores, aut magis deformes reddi natos, qualis ille, cuius meminit Gal. de Theri. ad Pis. z sed aliquando etiam portentosè efformatos fętus visos fuisse, & antiquiores, inter quos Emped. † & Recentiores pleriq; scriptis memoriæq; mandarunt. Hancq; ego fuisse causam existimo, cur Seleuco anchoræ signum, materno annulo insculptum, tam altè fuerit impressum, vt id per multas successiones humero affixum nepotes gestauerint. Quapropter meritò annulus ille fatalis ab Alexandro Neapolitano a vocatus est, b qui num fabula fuerit, aut adiectum fabulæ, quod ferunt de posteritate Seleuci, Sabellicus c animi anceps, fidem apud lectorem censuit relinquendam. Ego non ausim negare, quod, ex naturalium causarum dispositione non est penitus impossibile, & quod tam diu fuit in opinione hominum, non solùm vulgarium, sed etiam eruditorum.

z Cap. 11.
† Apud Plutarc. 5. de plac. vt ph c. 12
a 2. Geni. cap 19.
b vid Iust. lib. 15. Fulg lib. 1 cap 6.
c Aen. 4. lib. 7.

Vtut se res habeat, frequens experientia docet, ad hunc modum stigmata, immò interdum etiam prominentes ex carne formatas imagines quasdam eorum, quæ à prægnãtibus intensiùs appetuntur, fętibus ipsis adnasci. Causam & modum assignant nonnulli, d quòd

d Fracast. Laur. & alij.

ex magna phantaſia moueantur ſpiritus & humores, rebus imaginatis proportionati, ex quibus, cùm tenellus embryo facilè à quacumq; vel leui alteratione mutabilis, nutriatur, alimenti ita affecti in ſumma cute veſtigium contractum remanet. Cenſent alij, imagines in ſpiritibus, haud ſecus quàm in aere, medijſuè conſimilibus receptas, ſpecies ſibi ſimiles in fœtu poſſe producere, ſcilicet formatiua, quę viget in ſpiritibus ſeminis, ab harum imaginum præſentia alterata, atq; ad earum naturam conuerſa & limitata.

Ego opiniones iſtas non probo, qui, vt antea dicebam, vias animalibus ſpiritibus peruias non agnoſco, & ſi agnoſcerem, haud facilè caperem, quo pacto ſpiritus ferre valeant Ideas, & tam mirabiliter ac determinatè membro inſculpere, quod genitrix manu vel leuiter contrectauerit aut tetigerit. Exemplum Diaphani, ſpecies viſibiles recipientis, & aliorum mediorum, quę cætera ſenſibilia recipiunt ac deportant, receptioni ſpirituum non bene reſpondet; aliter enim recipit organum ab anima regulatum, aliter medium nihil habens ſenſitici, aut vitaliter alteratiui. Quòd ſi idem etiam ſit recipiendi, comportandi, & propagandi modus, difficile adhuc intellectu eſt, quomodo corpus aereum, aut ſimile aliud, imbuatur ſpeciebus nihil habentibus reale præſens, quod ipſis reſpondeat in re; & ſi habeant, quomodo cùm ſit ſpiritus, vaſorum anfractibus implicitus, poſſit per tot gyros conceptas ſpecies integras deferre, quę niſi rectis quibuſdam tractibus ad inſtar luminis diffunduntur. Equidem determinabam, phantaſiam habere virtutem rerum, ex qua fortaſſe videbitur cuipiam, realem quandam non deeſſe phantaſiæ in actu radicem propagationis & diffuſionis ſpecierum imaginatarum: ſed ego intellexi, virtutem rerum eminenter agentem, non more naturæ vſitato, cum ſpecies ſenſibiles media & ſenſus peruadunt atque afficiunt. Intellexi, phantaſiam cum ſenſu eſſentialiter ordinatam, non de ſe fingentem, & phantaſmata fabricantem.

Obijciunt huic ſententiæ Recentiores, nec malè, quòd alia præter imagines, puta terrores, ex rebus imaginatis fœtibus imprimantur, quib. euentibus per has cauſas non ſatis fit. Sed illis priorib. præterea non ſubſcribo, quòd, vt alij quoq; notarunt, modū poſſ habeāt, quo ex præſentia ſpecierum in ſeminis ſpiritibus receptarum formatrix alteretur, aut dirigatur. Minùs ſubſcribo illis, ᵉqui à phantaſia exemplariter formatiuam dirigi autumant. Ratio eſt, quòd hæc merè naturalis ſit, ſolo inſtinctu operans, quapropter à nullo typo dirigi formariuè poteſt, potiſſimùm adeò particulariter, atq; ad amuſſim. Sufficere opinantur, ſi inſtinctu capiat aut perſentiat. Sed

e Fien. de viri. ima. q. 15.

præ-

præterquam quòd captus eiuſmodi vel perſenſio, res eſt prorſus imaginaria, quando inſtinctus naturalis nihil fortaſſe aliud ſit, quàm inſiti principij procliuitas. Non etiam ſatis perſpicio, quid captus is commentitius purè naturalis facere habeat cum cognitione exemplariter mota, quę non ſolùm cognitione exemplaris fieri ſolet, ſed et iudicio circa ipſum imitatiuo cum electione. Tribuunt hanc præeminentiam formatiuæ, propter illius Diuinitatem, & pleraq; alia confingunt, quibus nullatenus poſſum aſſentiri, quòd nullis ſint probationibus innixa.

Reperiuntur, qui naturam haud temerè agentem, non cæcam prorſus exiſtiment. Sed hos remittere oportet ad doctrinam Alexandri, f de qua fortaſſe alibi plura, atq; opportuniùs. Nunc vt ad propoſitum pertinet, crediderim potiùs ego, imaginationem vel ex ſe immediatè atq; eminenter agere, ſi res imagini conceptæ reſpondens, in iam formato fętu inſculpatur, cuiuſmodi ſunt purę maculæ, puta vini, lactis, & ſimilium; vel phantaſiam formatrici cooperari, ſi, quod inſuetum apparet, vnà cum reliquis membris efformetur, & ab his magnitudine, figura, & ſitu ſeparatum exiſtat, qualia ſunt ceraſa, vel pyra carnea, à collo, manuuè, aut parte alia propēdentia; vel etiam ſi membra ipſa monſtroſè fuerint conformata, ad ſimilitudinem rei ſub tempus conceptionis vel conformationis à fœmina concupitæ. Mulierem plebeiam Pataulj notiſſimam agnoſco, quæ adhuc viuit, cùm hæc in vulgus profero; huic ſub oculo ſiniſtro prominet ceraſum carneum, ſubtili & oblongo petiolo appenſum, quod toto anni tempore album conſpicitur, menſe autem Maio & Iunio, quando matureſcunt ceraſa, nigrum euadit. Similis fructus propendebat ex labro fratris, quem cùm inciſione leui, & dolore exiguo ſuſtuliſset, vlcus inſanabile & cancroſum contraxit; quo exemplo exterrita mulier, nunquam voluit portentum ſibi à facie diuelli. Vtrumque ex imaginatione matris, atque ex contactu partis, vbi ſignum apparuit, enatum refert, de tempore appetitus materni nihil elicere potui. Et quoniam certè ſcio fore, vt ſimilium monſtroſitatum ex prægnantum imaginationibus quotidie obſeruentur exempla, non laborabo, vt vlteriùs legentibus perſuadeam, iſthæc omnia fideliter intellecta & narrata fuiſse. Interim qui contrarias partes defendunt, atque eminentem phantaſiæ agendi modum reijciunt, his effectibus ſuas cauſas citra vehementes abſurditates accommodent, & mihi ſint Apollines & oracula. Veritatis autem ingenuos amatores, ſi Aſtrologiæ periti fuerint, rogabo, vt ne grauentur eorum genituras obſeruare, qui ex appetitu materno enormes maculas.

f *Apud Simplicium 2. physic. com. 22.*

las vel carneas appendices gestarunt: Has enim ego semper infęlices inueni, quales fermè monstrorum; sicuti è contrà valde fœlices insignium quorundam Virorum, qui figuris insuetis quidem, sed regularis fuere signati, quales extitisse memorant anchoram Seleuci, cuius antea memini, & Augusti notas genitiuas ad Vrsæ cęlestis similitudinem dispositas.

g Fien. de vir. imag. q. 16. Volunt, g nullam aliam imaginationem, præter eam, quæ fit cum assensu, & quam animi passiones sequuntur, posse signare. Obijcientibus varia & multa in contrarium experimenta, partim falsa esse dicunt, partim supra naturam; vel tales notas non fuisse veras signaturas, sed tantùm deformitates monstrosas, casuales, & fortuitas, ab alia peculiari causa, & non ab imaginatione profectas: omnia voluntaria, & quæ sponte cum alijs consimilibus excogitatis concidant. Esto verum, quod profitentur, animi passiones turbare conformatricem, agitando spiritus & humores matris, & per consensum spiritus etiam ac humores in fœtu. Habeant, vt credunt, facultatem species ipsas phantasticas vigorandi. Quis, amabo, tandem

h quæst. 15 „ eam doctrinam amplectetur, qua decernunt, h [propter actum „ appetitus, & animi passiones, quæ phantasiæ coniunguntur, spe„ cies in remotas partes irradiare? Quādo signatura (inquiunt) fit, „ ꝓpter imaginationē habitā in hora coitus, species irradiāt rectà per „ neruos in testes, & semini immediatè imprimuntur, quod semen „ cùm in vterum recipitur, secum defert species illas, & aliquanto „ tempore retinet, & cum formatrix incipit illud efformare, format „ ad similitudinem earum. Quando autem fit figurata propter ima„ ginationem habitam post conceptum, tum per neruos, mediante „ actu appetitus, species communicantur cordi, ibidem sanguini & „ spiritibus vitalibus imprimuntur, & illis tanquam subiectis delatę, „ inde per arterias matris, & tandem per vmbilicales fœtui com„ municantur.] Quis non reijciet hanc specierum deportationem per neruos non perforatos, & qui nihil pertinent ad semen in prostatis contentum? Quis non mirabitur transitum harum specierum, à neruo per solidam cordis substantiam disperso ad spiritus & sanguinem in ventriculis atque arterijs contentos?

Sunt, qui non intelligentes, quod nemo forsan intelligit, aut intelligere potest, quomodo phantasia esse tanti valeat, vt eiusmodi admirabilium euadat causa efficiens; alios comminiscuntur modos, nihil minùs (quantum ego arbitror) à consentaneo remotos, extrinsecam materialem causam stigmatum generationi adhibentes, hancque referentes ad rei concupitę substantiam tenuiorem, qua spectrum cō-

por-

portetur; cùm tamen, vt magnas alias prætercam obiectiones, quod necessariò consequitur, longè absurdissimum sit, scilicet vel hanc substantiam vim obiecti formatricem habere, pyti, cerasi, & consimilium; vel saltem formam aut figuram eorumdem, instar defluxionum Democrito, & Epicuro probatarum. Cæterùm consensus mirabiles inter partes nostri corporis, cuiusmodi ferme sunt fœtus nondum separati, & phantasiam ex promiscua motione & actione, paucos esse puto prudentes, qui non aduerterint. Hos ego in me ipso sæpenumero expertus sum, qui obseruaui, ex malè affecto stomacho, nauseabunda somnia; lasciua, ex multiplicato ac diu retento semine excitata fuisse. Vt prætercam, in confesso esse, ab atra bile, aliqua in parte redundante funesta; à pituita, aquea; ignea & terribilia, à bile; à sanguine, læta semper repræsentari. Quam ob causam Medici elegantes, vt notabat Philosophus, [k] somnia ægrotantium attentè obseruare consueuerunt. Cùm igitur, vt modò dicebam, fœtus in vtero viuat quasi pars matris; hinc quantum ego perspicio, conformitas nascitur principiorum, affectuum & commotionum, vt proinde facilè mutuæ oriantur alterationes; quales iam dictæ inter partes ab humoribus affectas, & phantasiam; qualesque experimur inter duas citharas eodem tono temperatas, si vel super eadem tabula, vel contiguæ collocentur. Pulsatio enim vnius efficit vt altera non pulsata eundem concentum sonet.

k De Diuin. per som.

Dicam mirum quod ad partes affectas phantasiam mouentes pertinet, mihi nocte quadam rure meo dormienti mus pollicem sinistrum arrodebat, interim somniabam, me aspero cortice eiusdem digiti extremitatem inuoluere, indeque asperitatem, mox & abrasionem persentire, quæ cùm inualesceret, atque altiùs semper videretur infigi, somno excussus, digitum inueni ex profunda vna punctura cruentatum, cætera circumcirca leuiter arrosa. Inde statim recordatus sum mirabilis Historiæ Matthæi de Grado, [l] memorantis, Alexandrum Vicecomitem quoties somniasset se comedere, semper die sequenti renali dolore corripi consueuisse, & quò duriora apparuissent commansa, eò sæuiùs excruciatum. Mox legi apud Fienum [m] ex Fulgosio, [n] quod non minùs mirandum sit, Arnoldum Philosophum scripsisse, cùm nocte somniasset, se à cato in pede morderi, postridie mane in eodem pede vlcus vel anthracem contraxisse. Excitatur ergo ab affecto corpore phantasia & mouetur, ipsam autem vicissim posse mouere corpus, & fœtũ ipsum vtero prægnantis cõtentum, huncque mirabiliter, & supra humanum captum alterare & afficere, vt plerisque, ac ferè omnibus est persuasum, & nuper monstratum

l In com. 9. Rasis cap. 14.

m De vir. ima q. 10.

n lib. 1. cap. 5.

fuit, & monstrabo etiam, si amplius dixero, mores quoque animi atque affectus à phantasia parentum intenta, tam ordinarios, quàm extraordinarios fœtibus inseri; qualia enim assiduè & vehementer meditantur parentes, talia etiam non difficulter nati eligunt & recipiunt, vt non sit à consentaneo alienum dixisse,

„ Qui viret in folijs, venit ab radicibus humor,
„ Sic patrum in natos abeunt cum semine mores.

o Thom. Erastus de occul. pha. propo. cap. 34. Referunt, o prægnantem mulierem exterritam ob cati seu felis casum ex alto, filiam peperisse, quæ in reliquis prudentissima, catos maximoperè auersabatur atque timebat. Hinc putant alij, non esse præceptum Hesiodi spernendum, p

p lib. qui inscr. opera & dies. „ Neque ab infami sepulcro reuersus
„ Seminato progeniem, sed Deorum à conuiuio.

Sunt admirabilium phantasiæ motionum ac impressionum sexcenta alia exempla, ab auctoribus fide dignis conscripta, quæ si huc transferre voluero, nunquam finem scribendi faciam. Qui plura videre

q Obser. lib. 4. r De vir. ima. q. 13 cupit, adeat SchencKium q & Fienum, r qui longum historiarum ordinem recensent. Si quis verò hoc loco curiosiùs perquirat, vnde fit quòd signa in fętu exprimantur, & maneant, non in matre; respondebo, id accidere tum propter materiæ promptissimam passibilitatem, quæ ex mollitie prouenit; tum quia embryo motu increscente mouetur; & quæ format vis validissimè agere nata est; sic quò velociùs currunt nauigia, eò faciliùs temonis motu flectuntur vel leuissimo, nedum validiore.

Hæc ergo narrata, atque à Philosophis grauissimis recepta, si vera sint aut omnia, aut saltem illa, quæ ad fętuum figurationes ex phantasia generantium immutatas pertinent, videant eruditi, quàm apposite sapientem prudentemque organorum animæ opificem extrinsecus aduenientem, & vel propria actione immediatè, vel interuentu animę formantem induxerint Viri classici: etenim qua ratione probabile sit, summam prouidentiam & sapientiam cœlitus deductam, suapteque vi & conditione impatibilem, à leui phantasię motione seduci, & non solùm impediri, sed vitiari quoque, atque ita à proposito exturbari, vt nedum secundum formam ordinariam à parentibus dissimiles, sed omnino etiam monstrosos partus efficiat, in conformatione potissimùm & situ? Impeditur quidem Solis radius, quod

ſ Bonamici 4. de alim. c. 38. est Philosophi non incelebris exemplum, ſ extrinsecus aëri aduenions nebula obiecta, sed non commaculatur aut inficitur, ita vt consuetos effectus à propria forma prodeuntes diuersos & corruptos producat: quanto minùs forma immaterialis extrinsecus aduenions, & cum

corpore

corpore nequaquam extensa vitiabitur, quantumuis, quòd materię alligata, illius actiones impediri posse concedas.

Sed hęc obiter, illud magis ad rem pertinet disseruisse, an tantum imaginatio valeat, vt pro fœmina paratam materiam, seu vt cum Hippocrate loquar, fęmineum semen masculeo sexu aliquando exornet, aut contrà fęmineo, quod paratum est pro masculeo? Huius profectò euentus cām esse solā calidiorē, vel minùs calidam seminis temperaturam, Galenus diceret, t à quo non diffidet Aristoteles, u cui ego subscribens adderem, x in vtroque sexu contineri principium: neque maris & fœmellę genitalia esse vt pyrum carneum, aut cerasum, nihil vltrà valens quàm caro simplex. Recentiores Conciliatoris fortasse iudicium y probantes, solam etiam imaginationem posse sexus differentiam pręstare contendunt: quod libenter ego quoque concederem, si cùm ex fixa imaginatione mas creditur generari, mihi esset perspectum, non potuisse etiam semen esse ex se masculeum, vel calidius. Fernelius z omnem causam similitudinis filiorum, quo ad effigiem parentum, imaginationi acceptam refert. Quanta id cum ratione, viderint illi, qui maiorum signa & effigies in fœtibus reuersa notauerint, quorum proximi generantes nunquam fuerint recordati.

t ex locis de sem. & de vsu pa. antea cit.
u 4. de ge. an. cap. 1. & 2.
x ex 1. de ge. an. c. 2. & ex 4. de ge. an. c. 1.
y Dif. 28.
z 7. Physi. cap. 12.

FINIS.

PATAVII
APVD PAVLVM FRAMBOTVM
MDCXXVII.
Superiorum Permissu.